


БІБЛІОТЕКА
ГР. КАТ. КАПІТУЛИ
в Перемишлі

PARADISVS PRECVM, EX R. P. F. LVDOVICI GRANATENSIS SPIRITVALIBVS OPVSCVLIS,

aliorumque sanctorum Patrum, & Illustrium cùm veterum, tum recentium Scriptorum concinnatus

PER MICHAELEM ab ISSELT Amorfortium.



COLONIAE,
Apud Geruinum Calenium, & hæredes Ioannis Quentelij.
Anno M. D. LXXXIX.

Cum gratia & priuilegio Cæsareæ Maiestatis.

De S. Catharina Patrona Studiosorum

Salve S. Catharina V. benedicta Regis aeterni sponsa obsecro te ut quibuscunque necessitatibus et tribulationibus gravatus fuero, levamen et auxilium et profectum in studiis meis per tuam intercessionem apud Deum accipiam. Iterum te precor o V. Sancta Catharina ut pro me misero peccatore Dominum Deum ter maximum orare digneris ut in omnibus meis tum vivent[is] tum morientis necessitatibus misereatur mei Amen

Ad Proprium Patronum cuius quis nomen gerit

O gloriosissime S. N. inter caeteros mihi dilectissime te ab ineunte aetate mihi patronum delegi et qui in sacro baptismatis fonte a Deo mihi datus es et dilecti parentes sollicitique patrini quorum clientelae me Ecclesia Catholica commisit te sibi assumpserunt, tu ut tuo auxilio in caelis sisti melius mei rationem haberent, quam ut ego annos discretionis attingens, piae vitae tuae vestigiis insisterem, ideoque me nomine tuo vocaverunt In te igitur omnem spem et confidentiam apud Deum patrocinandi colloco deprecorque ut vias meas dirigas in via virtutis, pacis prosperitatis et salutis aeternae ut numquam a virtutum tramite ad vitae tuae exemplar discedam: mei quoque in periculis tam animae quam corporis curam et custodiam suscipe, in caelis pro me ora, in terris me doce, rege et guberna in extremo mortis articulo succurre et cum Jesu Deo meo Maria matre eius novem Angelorum choris, omnibusque SS. via vitae aeternae comes occurre: ut cum iis et tecum partem paternae gloriae habere merear in caelis per eundem Christum Dominum nostrum

Conuentus Visnicensis [illegible] Discalceatorum

NOBILI, GENEROSO, LITTERIS NON MINVS, QVAM VIRTVTIBVS ORNATO Iuueni, Hermãno à Valckenaer, Domino in Haeck, & Duijckenburch: Domino & Patrono suo Michael ab Isselt S. D. P.



NTER *omnia, quæ ab initio sapientißimus ille, & potentißimus huius vniuersi Architectus condidit, Nobilis & Generose Domine, nihil post Angelos aut dignius homine, aut excellentius creatum esse, omnium & Christianorum, & Ethnicorum est sententia. De huius creaturæ dignitate dicturus B. Chrysostomus, inter cetera sic inquit: Homo est chara possesio Dei; homo cuius causa firmatum est cælum, extensum mare, fundata est terra super aquas: propter quem Sol oritur & incumbit,*

Ex varijs in Matth. locis homil. 27.

*2 Luna

Luna crescit, astra micantia surgunt. Propter quem diuersa animalia quadrupedia, volatilia, & natantia: propter quem terra producit herbam, & dat cibaria in tempore suo omni animæ. Propter quem montes & colles, valles & campi: propter quem fontes & flumina, stagna & paludes: propter quem tēpora & menses & anni; propter quem Angeli & Archangeli, Principatus & Potestates, Throni & Dominationes, Cherubin & Seraphin. Et quid multa loquar? propter quem vnigenitus filius Dei sanguinem suum fudit, & genus redemit humanum. Insignis profectò laus, & quæ post Angelos nulli potest attribui creaturæ. Minuit enim Dominus hominem paulò minùs ab Angelis, gloria & honore coronauit eum, & constituit eum super opera manuum suarum.

Psal. 8.

Ceterùm cùm homo tanto esset in honore, non intellexit propriā dignitatem & excellentiam; sed diuinitatem ambiens, cùm Deus esse vellet, nec Dei

Genes. 3.

mandato obtemperaret, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Psal. 48. *O incredibilis hominis metamorphosis: siccine repentè ex optimo peßimus factus es? ab vno extremo ad alterũ sine medijs motus esse non solet: at hîc nulla inueniuntur media. Per peccatum enim vnius hominis adeò totius humani generis massa corrupta est, vt nũc inter omnes creaturas, post Dæmonem, miserior homine nulla reperiatur. Factus est enim homo natura fragilis, ingenio hebes, consilio improuidus, viribus imbecillis, affectibus præceps, curis anxius, cupiditatibus furẽs. omnibus denique molestijs, casibus, iniurijs & morbis obnoxius. Quæ omnia Philosophi considerantes, vitã humanam vt grauißimũ tormentum exhorruerunt. Insignis ille Philosophus Anaxagoras, longioris vitæ tædio fatigatus, mortẽ sibi diuturna inedia consciscere voluit: & certè fecisset, nisi Pericles Atheniensis, vt si sibi viuere nollet, saltẽ viueret Pericli, rogasset. Sed & Silenus senex à*

Mida Rege captus, rogatus ab eo, quid esset homini optimũ, diu silentium tenuit: Tandem adactus dicere, ait; Optimum esse nunquam nasci, proximum quàm ocyßimè aboleri. Quare Seneca mihi verißimè dixisse videtur; Nemo vitã acciperet, ait, si daretur scientibus. Siue enim animã inspiciamus hominis, siue corpus, vbique tantã imperfectionum, tantamq́; malorum copiam inuenimus, vt Aristoteles hominem definire non dubitauerit, imbecillitatis exemplum, temporis spolium, fortunæ lusum, inconstantiæ imaginẽ, inuidiæ & calamitatis trutinam: reliquum verò pituitam & bilem. Veram, imò verißimam esse hanc Aristotelis descriptionẽ, multis argumentis ex ipsis humanæ vitæ circũstantijs probare possem: ceterùm cùm alij, vt Innocentius Pontifex tertius, Granatensis noster, & alij plures inter Christianos; Seneca verò inter Ethnicos de miserijs hominũ integros aut libros, aut tractatus scripserint, quos & te, Generose Domine, aliquando legis-

se, &

ſe, & adhuc ſæpenumero legere non dubito, his recenſendis ſuperſedebo, ne dedicatoriæ limites excedam.

Quòd ſi quis interrogauerit, cur amator hominum Deus tot ærumnis eorum vitam voluerit exagitari; multas ſanè conſilij huius cauſas deprehendet: inter quas non poſtrema illa eſt, quòd hac ratione hominum inſolentiam atque ſuperbiam reprimere, & ad humilitatis ſtudium voluit incitare. Sicut enim qui aues domi nutriũt, cùm aliquando eas auolare contigerit, vbi eas iterum ceperint, pennis nudant, vel alas præſcindunt, ne earum adminiculo fretæ iterum aufugiant: ita Dominus cùm hominem conditum cæleſtibus donis (quæ initio conditionis ſuæ multa & præclara acceperat) elatum vidiſſet, meritò illum donis ſuis ſpoliauit, & velut implumem reliquit: ne diuinorum beneficiorum pennis ſeſe iterum in ſublime attolleret.

Ne tamen miſeriarũ pondus prorſus hominem opprimeret, aut ad animi vel

delirium, vel desperationem adigeret, idē benignißimus Deus, qui minutißimis animalculis media contulit, quibus noxia sibi fugerent, & vtilia consequerentur, etiam hominibus remediū, quo tantas ærumnas euadere queant, reliquit. Sed hîc magna inter Ethnicos & Christianos oritur controuersia. Philosophi namque rati naturam per se sufficientem esse ad bene, beateq; viuēdum, solam rationem constituerunt, qua sibi homo omnibus in rebus consuleret: mala omnia propulsare, bona omnia sibi posset comparare. Sed miserè hîc seculi huius sapientes desipuerunt. Ratio enim, præterquam quòd per se infirma atque imbecillis est, frequenter etiam multum ex acumine & splendore amittit, quoties varijs affectibus & cupiditatibus, velut atris quibusdam nebulis, ita obscuratur, vt magis illis, quàm veritati pareat. Vbi enim cupiditas in homine dominatur, ibi exulat ratio, & caligo mentis oculis offunditur. Hinc Philosophi ipsi sæpe nisi sunt

rationes excogitare, quibus id quod amica caro concupiscebat, licere sibi alijs persuadebant, puram & liquidam veritatem impugnantes.

Quàm infirmũ in ratione præsidium ad cetera mala corporis depellenda positum sit, illud satis argumento est, quòd nec potentissimi, nec opulentissimi, nec sapientissimi, nec eloquentissimi huius mundi, in quos opes suas natura effudisse videtur, miserias huius vitæ effugere potuerunt. Testes sunt Iulius Cæsar, Pompeius, Crœsus, Annibal, Alexander Magnus, Salomon, Achitophel, M. Tullius & alij infiniti, qui præter varias ruinas, casus & pericula in vita perpessa, omnes ferè aut violenta, aut infelici morte perierunt. Quis igitur aut fortunæ, aut naturæ præsidijs ita munitus erit, vt suis viribus tutò fidere audeat, cùm nec præstantissimis viris naturæ indolem, nec felicissimis fortunas suas, nec sapientissimis prudentiam suam tantum videat tribuisse, vt ab omni periculo &

casu immunes essent?

Aliud igitur in miserijs & calamitatibus huius seculi, præter rationẽ, remedium nobis quærendum est. Et quod aliud, præter illud, quod ab optimo Rege Iosaphat nobis demonstratur: qui in
2 Par. 20. *extremis angustijs constitutus, totũ spiritum suum contulit ad rogandum Deum, & dixit; Cùm ignoremus, Domine, quid facere debeamus, hoc solùm habemus residui, vt oculos nostros dirigamus ad te? Quibus verbis malorum nostrorum remedium sanctus Rex monstrauit; orationis scilicet vocem, qua Dei misericordiam imploramus. Oratio enim velut legatio quædam est, quæ à terris ad cælum transmissa, cuncta mala nostra cælesti medico denunciat, vt periclitantibus opem ferat: quandoquidem ipse eam piè petentibus pollicitus est, cùm ait;*
Psal. 49. *Inuoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me. Precatio enim ad ea omnia, quibus humana eget natura, commune remedium est. Latißimè namque inter ce-*

teras

teras virtutes eius vtilitas patet. Ceteræ namque virtutes aut merendi, aut satisfaciendi vim potissimùm habent; quorum illud ad gratiam & gloriam, hoc ad pœnarum remissionem pertinet. Precatio autem non solùm merendi & satisfaciendi, sed etiam impetrandi vim habet; quod illius proprium est. Impetrare autem non solùm gratiam respicit; sed etiam quicquid diuina miseratio dare potest. Vt enim Deus in corporali hoc cælo quasdam constituit causas particulares, Solem verò tanquam vniuersalem, vt qui illuminat, qui calefacit, qui anni tempora mutat, qui hominem & plantam generat: sic in spiritali cælo, quod Ecclesia est, præter diuersa malorum remedia particularia, vnum instituit vniuersale, Orationem scilicet, commune atque præcipuum nostrorum malorum medicamentum: ad quam, quasi ad sacram anchoram, quoties in calamitatibus constituti sumus, confugere debemus. Hinc sancti viri per orationem non modò

gratiam & pœnarum remißionem con-
3 Reg. 3. *secuti sunt, sed alius sapientiam, alius*
4 Reg. 20. *sospitatem, alius diuturniorem vitam,*
Exod. 17. *alius aduersus immanes hostes victori-*
1 Reg. 1. *am, alius orbitatis remedium, alius lu-*
Tobiæ 11. *men oculorum amissum, alius mortu-*
4 Reg. 4. *orum remißionem, alius miraculorum operationem, alius denique liberationem ab instantibus malis. Ecce virtute orationis, inquit, Augustinus, Hieremias cõfortatur in carcere, Daniel inter leones exultat, tres pueri in fornace tripudiant: Iob in sterquilinio nudus triumphat; paradisum de cruce latro inuenit; Susanna inter senes defenditur; Stephanus de torrente lapidum in cælum suscipitur, & inter lapidantes pro Saulo exauditur.*

Cum itaque, Nobilis & Generose Domine, tot calamitatibus hæc vita nostra, siue corpus, siue animam, siue externa, quæ circa nos sunt, intueamur, exposita sit, aduersus autẽ hæc omnia vnicũ habeamus remediũ, orationẽ; videt N. V. quãtopere ea sit necessaria. Si animam

conspiciamus, caro semper concupiscit aduersus spiritũ, & hinc perpetua virtutum & vitiorum lucta: hanc augent affectus inordinati, & perturbatissimũ appetituum regnum. Si corpus, tot affectiones, tot lethales morbi sunt, vt his omnium Medicorum libri pleni sint, & crescentibus quotidie morbis ars ipsa crescat. Si externa consideremus, quot naufragia, quot bella, quot terræmotus, quot eluuiones, quot ædificiorum ruinæ, quot venenorum genera, aliaq; similia mala, quæ vitæ nostræ insidiãtur, (vt de minoribus taceam) in mundo reperiuntur? quibus omnibus diuites non minùs quàm pauperes, nobiles non minùs quàm ignobiles, principes nõ minùs quàm subditi (cùm omnes ex eadẽ Adæ massa procreentur) obnoxij sunt. Ad hanc igitur cõmunem orationis anchoram omnes confugiãt homines necesse est, siue Rex, siue aliquis ex infima plebe sit: imò quo quis in dignitate sublimior, eo in oratione sit frequentior oportet: pluribus enim occupatur negotijs, quo-

rum ſingula orationis auxilium requirunt, & pluribus periculis eius vita exponitur, quibus depellẽdis orationis præſidiũ eſt tutiſsimum. Non ignorauit hoc potentiſsimus Rex Dauid, qui inter tot regni negotia, tot aulæ curas, tantum domeſticorũ ſtrepitum, nunquam orationis ſtudium intermiſit, ſed ſepties in
Pſal.118.
die laudem dicebat Domino, & media nocte ſurgebat ad confitendum ei: imò ſemper (vt ipſe fatetur) erat laus Dei in ore ipſius. Sed quid Dauidem refero? Clariſsimum illum Ducem, Scipionem Africanum, legimus nunquam aliquod opus arduum moliri voluiſſe, quin priùs à ſuo illo Ioue auxilium poſtularet, vt illi bene verteret: qua de cauſa multi illum Iouis filium crediderunt. Quod igitur tanti principes, quorum alter etiam ethnicus fuit, tot circumſtrepẽtibus negotijs ſecularibus fecerunt, pudor eſt nos Chriſtianos, minùs occupatos facere aut nolle, aut detrectare: præſertim cùm præceptũ Chriſti habeamus quòd ſemper (id eſt, vt
Luc.18.

Patres interpretantur, ſingulis diebus certis horis) orare debeamus: & quod corporibus ſunt nerui, quod piſcibus aqua, quod arborum radicibus humor, quod ciuitati murus, quod denique huic viſibili mundo Sol eſt, idipſum animæ ſit oratio, vt Chryſoſtomus diſertiſſimis verbis in ſuis de Oratione libellis oſtendit.

Sunt qui offenduntur, vel ideo ab orandi ſtudio abhorrent, quòd interdum orationes noſtras non exaudit Deus. Ceterùm ſi huius rei cauſas diligenter inſpicerent, non hoc eos offenderet. Interdum enim differt ſua dona Deus, vt creſcant orantium affectus, & deſideria, vt inſtantiùs, & maiori cum feruore orantes maiora & ampliora accipiant. Aliquando precatio noſtra comites ſuos non habet, ſine quibus infrugifera & inanis eſt. Bonæ autem orationis comites ſunt, mentis attentio, humilitas, fiducia, integritas vitæ, & perſeuerantia: iſta ſi adſint, fieri non poteſt, quin oratio vel tandem exaudi-

atur, modò audiri expediat. Sunt enim nonnulli, qui ea petunt, quæ non oportet, de quibus ait B. Iacobus: Petitis, & non accipitis, eò quòd malè petatis: vt in concupiscentijs insumatis. quod fit, cùm ea petimus, quæ non ad salutem animæ, sed ad cupiditatum nostrarum fomenta magis pertinẽt: vt sunt honores, diuitiæ, voluptates, & horum species, quæ cælestis Pater clementer negat, ne nobis delinquendi materiã præbeat. Sic enim carnis parentes filijs nocitura petentibus piè negãt, quæ crudeliter concessissent. De his Augustinus sic ait; Deus bonus tibi est, si det quod vis. Quid si malè vis? nónne erit tibi magis non dando misericors? AEger petit multa à medico: non dat medicus. Non exaudit ad voluntatem, vt exaudiat ad salutem. Ergo medicum tuum pone Deum; pete ab eo salutem, & salus tua ipse erit. Si itaque oratio nostra fuerit suis numeris omnibus absoluta; si comites suos habeat adiũctos, si de rebus fuerit nobis vtilibus, omnino exaudiatur ne-

Iacob. 4.

August. in Psal. 58.

cesse

cesse est. De Tito Imperatore, quem delicias populi Romani solent appellare, legimus, quòd in omnibus desiderijs suis obstinatissimè tenuit, ne quem sine spe dimitteret: de Galieno verò, quamuis peruersissimo, quòd nihil vnquam petenti denegaret: quanto minùs Deus, qui bonitate superat omnem creaturam, nobis aliquid petentibus denegabit, cùm ipse dicat; Si vos cùm mali Luc.11. *sitis, nostis bona data dare filijs vestris: qnanto magis Pater vester dabit spiritum bonũ petentibus se? Adeamus igitur* Heb.4. *cum fiducia ad thronum gratiæ Dei, vt misericordiam consequamur.*

CETERVM *cùm multi in arte bene precãdi minùs exercitati sint, Christus cælestis Doctor primam nobis orandi formulam tradidit, breuem quidem, sed absolutissimã: vt quæ à nullo Christiano, quantumuis rudi, deberet ignorari. Hanc alijs atque alijs interpretantibus, variæ precationes prodierunt, dum quisq; pietatem suam nouis affectibus, nouóque loquendi genere pro-*

nunciauit, peculiaribus precibus singulis rebus & personis accõmodatis. Contulit non parum ad hoc studium amplificandum nostra ætate Ludouicus Granatensis, Hispanus, ordinis Dominicani Monachus; qui diuinis suis, quos de rebus spiritualibus edidit, libellis sparsim multas inseruit orationes, prolixiores quidem, sed pijs affectionibus plenas. Quæ cùm multis probarentur, varij à me typographi contenderũt, vt eas ex omnibus auctoris opusculis, pridẽ à me translatis, corraderem, atque libello quodã separato excudi curarem. Quod onus antequam suscipere volui, ante omnia de ordine in his precibus seruãdo seriò deliberaui, vt singulæ preces suis locis, quasi certis sedibus cõtinerentur: quod à paucis Neotericis obseruatũ vidi: cùm tamen preces sine vllo ordine congestæ, lectorẽ facilè conturbent. Placuit ante omnes R. D. Simon Verrepæus, qui hac in re ceteris antecellere videtur, quòd pulcherrimũ ordinẽ secutus est. Hunc dum nobis imi-

tandũ proponimus, nõnulla detrahere, addere quædã, & quædam capita primaria transponere coacti sumus. Inuenimus enim apud Granatẽsem quasdam orationes, quæ peculiare caput exigebant: quoddã caput apud Verrepæum, cui nulla orationum Granatensis potuit accõmodari. Sed & hanc difficultatem inuenimus, quòd plurimis rebus necessarijs accõmodatas preces Granatensis nobis non suppeditaret; quare eas aut ex alijs probatissimis auctoribus eligere, aut ipsi nouas facere, suisq; locis accommodare debuimus. id vbique diligenter cauentes, ne à D. Verrepæo positas repeteremus, ant vulgares precationes, sed selectissimas quasque lectori traderemus.

PROPERABAT iam libellus hic ad finem, & patronum sibi aliquem postulabat, sub cuius auspicijs in lucem prodiret. Obtulit sese Nobilitas tua, Generose Domine, cùm alias ob causas, tum maximè ob eximiam pietatem, quæ in vtraque familia tua, pa-

terna ac materna, iam à multis secu-lis mirum in modum eluxit: quod plurima in templis ac locis sacris relicta patrum monumenta testantur. Id de VALCKENARIIS *testabuntur Vltraiectensium ij, quorum adhuc recens est memoria earum rerum, quæ ante Iconoclastarum exitiosam cladem paßim in templis extiterunt. Nam vt* BOETBERGII *apud Neomagenses summo semper in honore fuerunt; sic apud Vltraiectenses illi; & apud vtramque gentem vtriusque familiæ gratißima patrum adhuc extat memoria. Horum pietatem, eximiasq́; virtutes tantum abest, vt tu obscures, quòd etiam ob singulares animi dotes, ingenijq́; dexteritatem, indies magis magisq́; illustres; & maximam maximarum rerum spem (si hæc ætas ad senilem grauitatem, atque prudentiam peruenerit) Christianæ Reipub. de te præbeas: ea enim in te iacta sunt fundamenta, quæ nobilem & absolutam nobis structuram*

promittunt: eas diuitias opum largitor Deus tibi contulit, illud dedit ingenium, eamq́ generis inter Gelros auctoritatem, vt poßis: illam etiam pietatem ac bonitatem, vt velis quàm plurimis, atque adeò toti patriæ prodesse. Tantùm id caue, ne in tam sublimi positus felicitatis fastigio, quæ ad virtutes sectandas data sunt adiumenta, vitiorum (quod in multis vidimus) fiant instrumenta: ætas enim illa multis periculis est exposita, quæ occasionibus sæpe fiunt maiora; & nauis vento secundo, si vehementiùs flauerit, facilè subuertitur. Sed his malis medebitur optima disciplina, quam generosa Nobilitas tua vnà cum litteris ab optimis præceptoribus traditam imbibit: quæ si pietate condiatur, omnia pericula fient leuiora: ea enim, Apostolo teste, Vtilis est ad omnia. Per illam reges regnant, & legum conditores iusta decernunt. Per illam principes imperant, & potentes decernunt iustitiam. Cum ea sunt diuitiæ & gloria,

1 Tim. 4.
Prouer. 8.

opes

opes superbæ & iustitia. Sine ea non modò florentißimæ familiæ, sed integra regna non rarò pereunt, & euertuntur. Magnum ad pietatem adfert adiumentum oratio, qua pietas impetratur, impetrata augetur, & aucta quasi in naturam transit. Oratio igitur ab ore tuo non recedat, sed illam fac tibi familiarem, & in ea iuuenilem, sed generosam, mētem tuam quotidie exercere ne pigeat. Cuius rei perficiendæ vt N. T. maiorem habeat commoditatem, has nostras Preces, omnibus rebus accommodatas, sub tuo nomine prodire volui: nec tu dedicationem hanc aliter accipies, quàm amoris inter nos mutui pignus. Deus Opt. Ter Maximus Nobilitatem Tuam nobis quam diutißimè seruet incolumem. Nouiomagi Gelrorum, ipsis Nonis Septembris, Anno post Christum natum 1589.

AD LECTOREM,

De Collectoris consilio, & vsu harum precationum.

PRodit iam tandem, candide Lector, Paradisus precum Ludouici Granatensis, à multis diu desideratus. Eum ad maiorem tuam vtilitatem in 18 capita primaria distinximus; vt semper sine vlla difficultate inuenias, quod orare velis. Hoc enim vnicè curauimus, vt orare volenti nulla, quæ in preces nostras venit, desit materia. Et quia Granatensis de omnibus his peculiares preces non habebat, multas ex alijs probatissimis auctoribus seligere debuimus. Auctorum nomina ad marginem adiecimus, ex quibus singulę desumptę sunt. Sed & si apud auctores illos etiam orationes materiæ congruentes non inuenerimus, eas ipsi nouas fecimus, & sub nomine Collectoris posuimus. Hoc autem sæpe obseruabis, Lector, non semper integras, aut verbotenus orationes vel Granatensis, vel aliorum auctorum à nobis poni, sed subinde ijs aliquid vel detrahi, vel addi, aut in ijs aliquid mutari, prout tempori aut rei propositæ expedire videbatur. Quibusdam etiam capitibus præfationes, rectum istarum precum vsum explicantes, præmisimus: &

ſubinde pias admonitiones inter ipſas preces inſeruimus.

Porrò omnium capitum vſus cuique facilè manifeſtus erit: cùm vnumquodque ſuis rebus, perſonis, aut temporibus ſit accommodatum: exceptis meditationibus Orationis Dominicæ, capitibus etiam 4. 7. 9. 10. quorum ſingula in ſeptem meditationes, orationes, aut gratiarum actiones diſtribuimus. Ne autem tædium eadem ſemper orandi tibi ſubrepat, ex omnibus his capitibus ſingulis diebus vnam orationem aut meditationem deſumere potes. Hoc modo ſingulis ſeptimanis ſemel orationem Dominicam, & totam Chriſti vitam percurres: ſemel Deo pro omnibus eius beneficijs gratias ages, & quotidie (vt oportet) pro nouitate vitæ, & amore Dei (in quo noſtra conſiſtit perfectio) Deum precaberis. Obſeruandum etiam in capite ſecundo, noſtram fuiſſe intentionem, vt iſtud ſufficeret ſolenni Miſſæ, quæ canitur. Quod ſi prolixius ſit pro priuata Miſſa, quædam orationes poſſunt omitti. Illuſtrauimus nūc Ludouicum Granatenſem quantum potuimus: tu Lector eo nunc vtere, & pro laboribus meis id quæſo à te præmij fetam, vt pro me infelici peccatore Deum ores, meque precibus tuis illi commendes.

VALE.

PRAEFATIO IN ORATIONEM DOMINICAM.



VM *quid petendum, aut quomodo orandum sit, ex nobis ipsis nesciamus, Seruator noster, pro sua bonitate, nobis formulam orandi tradidit; quam si seruemus, non est periculum, ne ab ipso audiamus*; Nescitis quid petatis. *Breuis autem hæc est formula; sed absoluta, & mysteriis referta. Cùm enim omnibus velut regula exhibeatur, oportebat esse breuem, vt capi & retineri posset à pueris, à senibus, ab ægrotis, à mulierculis, ob occupatis, à rudibus, ab obliuiosis, ab ignauis. Nihilominus absoluta est; cùm nihil peti posit aut debeat à* Deo, *quod paucis istis verbis non contineatur.*

Rom. 8.

Matt. 20.

Petimus hic bona omnia tam spiritualia, quàm corporalia: deprecamur etiam mala omnia: illa quatuor petitionibus prioribus, hæc tribus posterioribus. Porrò cùm qui rogat bona cum spe & fiducia, quòd exoraturus sit, rogare debeat, nec quod illam in nobis generat omissum est. Nascitur enim fiducia ex considerationa duarum rerum; quòd is à quo aliquid expectamus & potest facere, & volet. Voluntas in paternitate declaratur; poten-

tia in sede cælesti. Magnam igitur fiduciam concipiamus necesse est, cùm dicimus; Pater noster, qui es in cælis. *Singulæ itaque particulæ, singula sunt expendenda verba, atque adeò literulæ ipsæ & apices. Referta sunt mysteriorum omnia, sicuti & ipse, & vita eius, omnesq; eius actiones qui dictauit.*

Plurima sunt de explicatione orationis huius à sanctis viris, à magnis ingenijs perscripta, nec tamen varietatem & multitudinem sensorum poterunt exhaurire. Pulcherrimam, & pijs affectibus plenam explicationem in hanc orationẽ ante paucos annos scripsit Ludouicus Granatensis; *quam ex suo* Memoriali *vitæ* Christianæ, *mutatis paucis, additis & detractis quoque nonnullis, prout nostro instituto conuenire videbatur, desumptam huic libello præfiximus; rati omnino nullas in lucem preces prodire debere, quæ non ab hac salutari, & planè diuina, vtpote ab ipsa* Dei *sapientia præscripta oratione felix faustumq; sumerent auspicium.*



DEVO-

DEVOTISSIMA, PIIS'QVE AFFECTIBVS PLENA ORATIONIS Dominicæ expoſitio, in ſeptem Meditationes, ſeu orationes diſtributa.

MEDITATIO I.

Pater noſter qui es in cælis.

Ex libro ſeptimo Memorialis Granatenſis.

DOmine quis in nubibus ęquabitur tibi, ſimilis erit Deo in filijs Dei? Confitentur namque cæli mirabilia tua, & terra videns opera manuũ tuarum obſtupeſcit. Quia facis magna, & incõprehenſibilia, & mirabilia, quorum non eſt numerus. Ea namq; facis opera, quibus omnis humana laus eſt inferior, quæ nullius hominis eloquẽtia poteſt enũciare, nullius intellectus cõprehendere. Nec mirum: Etenim par erat, vt opera tua cum tua natura quandam haberent proportionem. Cùm igitur natura tua ſis omnipotens, immenſus, incircunſcriptus, incomprehenſibilis, infinitus; quid mirum, ſi illa facias opera, quę ſi quis curioſiùs ſcrutari velit, ſtet attonitus, & à mentis ſuæ ſtatu dimoueatur? Pſal. 88. Iob 9.

Mirentur alij, ô Domine, quòd pugillo aquas metiris; quòd cælos palma ponderas; quòd tribus digitis molem terræ appendis, libraſque in pondere Eſa. 40.

montes, & colles in ſtatera: Mirētur, inquā, alij opera creationis, quorū non eſt apud homines aut numerus, aut ratio, aut intellectus: ego miſericordię tuæ opera contēplabor, & admirabor: miſericordia nāque tua ſuper omnia opera tua. Pſal.144.

Horum operum primum & principale, eſt myſterium incarnationis vnigeniti filij tui, quem ante conſtitutionem mundi prædeſtinatum, cùm temporis plenitudo veniſſet, è ſummo cælo, atque adeò, è ſinu tuo in hoc mundi exilium demiſiſti, vt ex carne noſtra, & oſſibus noſtris corpus ſibi formaret; noſtram naturam aſſumeret, frater noſter ſecundum humanitatem fieret, atque nos ſuos fratres, non quidem natura, ſed adoptione faceret. Galat.4. Myſterium igitur incarnationis ſemper ego venerabor, ſemper prædicabo, ſemper adorabo: per illud enim mihi beneficium collatum eſt, quo magnificentius nec in cælo, nec in terra poſſet à te poſtulari: vt ego ſcilicet filius tuus, & tu meus pater eſſes. Huius rei fidē mihi fecit filius tuus Chriſtus Ieſus, Dominus noſter, qui Matth.6. in vniuerſo euangelij ſui contextu te Ioan.20. patrem noſtrū appellauit. Quam ob cauſam nec filius tuus confunditur fratres nos appellare, dicens; Nunciabo nomen Heb.2. tuum fratribus meis.

Mirabatur Dauid bonitatem tuam, qua in eum vtebaris, & dignitatem, ad quam illum euexeras, ſtuporeque ple-

nus exclamabat; Quis ego sum Domine Deus, & quæ domus mea, quia adduxisti me huc vsque? exiguū tamen erat, quod ille mirabatur, si cum eo, quod mihi in hac adoptione donasti, conferatur: Regem illum vnius prouinciæ in mundo feceras, & filios eius hęredes regni fore promiseras: me autem filium Regis Regum, & Domini Dominantium, cui cælum & terra parēt, effecisti, nec filium tantùm, sed etiam hęredem omnium regnorum tuorum instituisti. 2 Reg. 7.

Cęterùm cùm in hoc mundo multi sint tituli honorum potiùs, quàm rei, quorum nomini effectus non respondet, tuque Dominus tam excelsus sis & potens, ego tam vilis & infirmus, dubitare meritò possem, anne Patris illud & filij nomen, quibus te & nos dignatus es, honoris potiùs tituli sint, quàm rei, nisi filius tuus addidisset; Patrem nolite vobis vocare super terram: vnus est enim pater vester, qui in cælis est. significans tantam esse prouidentiam & curam tuam erga nos, tantum esse amorem, quo nos complecteris, tot & tanta beneficia, quibus nos oneras, vt si cum ijs conferatur, quidquid filijs à parentibus terrenis fieri potest, ipsi ne parentum quidem nomine digni sint. Quis enim pater filijs suis tot tantaque bona præparauit? quis filios suos ad tantos honores vnquam erexit? quis vnquam tantos thesauros, tot laboribus & dolo- Matt. 23.

ribus filijs suis cumulauit, quantos tu nobis vnigeniti filij tui pretioso sanguine mercatus es? tu nos captiuos redemisti, & ad supremam cæli gloriam prædestinasti, ad quam morte vnigeniti tui nobis aditum patefecisti. Dicam igitur
Psal. 26. Domine cum Dauide; Pater meus & mater mea dereliquerunt me: Dominus autem assumpsit me. Non vocabo mihi patrem super terram, sed dicam cum E-
Esa. 63. saia; Tu Domine pater noster es, & Abraham nesciuit nos, & Israel non cognouit nos. Certus enim sum, quòd non de-
Esa 49. relinques me: tu enim dixisti; Nunquid obliuisci potest mulier infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui? sed & si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui. Ecce in manibus meis descripsi te, & muri tui coram oculis meis semper.

Cùm igitur tanta, tamque ineffabilis sit hęc tua misericordia Domine, non dubitauit filius tuus fiduciam in nobis duplicare, & licentiam dare, imò præcipere nobis, vt in posterum orantes dicamus ad te, *Pater noster, qui es in cælis.* O Regale verbum, ô verbum dulce, verbum plenum deuotionis & consolationis inæstimabilis. Quis vnquam, ô Domine mi, ausus fuisset te Patrem compellare,
Ioan. 1. nisi vnigenitus filius tuus, qui est in sinu tuo, hanc nobis licentiam, & hoc priuilegium dedisset? Quis enim es tu Deus meus, & quis sum ego, vt te patrem au-

dicam nuncupare? Tu es qui es, & ego sum qui non sum: imò vniuersa hæc mundi machina in tuo conspectu quasi stilla situlæ, & quasi momentum statere est reputata. Esa. 40.

Quid igitur magis admirandum, & quæ copiosior esse potest misericordia, quàm quòd tu Deus infinitæ Maiestatis, Rex Regum, Dominus Dominantium, Sanctus Sanctorum, Deus Deorum: tu Deus Angelorum gloria, & Sanctorum gaudium meus Pater esse voluisti, & me in filium tuum adoptare, qui nihil sum aliud, quàm immundum quoddam sterquilinium, vilis & contemptus vermiculus, creatura fœtore & horrore plena? O admirabilem pietatem, ô longitudinem, latitudinem, altitudinem & profunditatem diuinæ charitatis & bonitatis.

Pater noster. Ecquod mel vnquam inuentum est tam dulce, tam suaue nectar, tam odoriferum balsamum, quàm verbum hoc? Quid? ergóne te Creator mi Patrem meũ appellabo? Tantáne in me erit fiducia, vt audeam te hoc nomine interpellare? O inæstimabile gaudium, ô dulcedo ineffabilis. Quid amplius facere potuisti tu Domine, & ego quid amplius optare? quid pretiosius desiderare potuissem, quàm te Deum meum habere Patrem? Euge quàm bene intellexit huius gratiæ magnitudinem Euangelista cùm diceret; Videtis qualem chari- 1. Ioan. 3.

tatem nobis dedit Pater, vt filij Dei nominemur & ſimus. quaſi diceret; non fuit tibi ſatis dediſſe nobis nomen & titulum filij, niſi etiam dares nos eſſe veros filios, & filiorum nobis dignitatem atque prerogatiuam donares, vt eſſemus certi, te Patrem noſtrum eſſe: cùm non inueniatur Pater ſine filio, nec filius ſine patre: ita vt nos deinceps tu Deus Pater habeas pro tuis filijs, & filius tuus pro ſuis fratribus, & Spiritus S. pro ſuis templis atque viuis ſacrarijs. Quæ gloria magnificentior? quæ dignitas eſſe poteſt auguſtior?

Vetus eſt prouerbium, Dulcis odor lucri de re qualibet; & ſanè, nõ eſt quicquam in mundo gratius aut ſuauius vtilitate: ſolet enim omne opus fieri tolerabile, cùm præmium eius cogitatur, & ſpes pręmij ſolatium eſt laboris. Sed omne lucrum, omnem vtilitatem, omne præmium longè ſuperat, Deum habere patrem, non tantum nomine, ſed effectu etiam & re. Quid igitur in mundo dulcius? quid ſuauius? quid delectabilius hoc nomine Patris poteſt excogitari? Vox illa vulnerat cor, commouet interiora viſcera, confortat ſpiritum, exhilarat animam, aperit clauſos lachrymarum fontes.

Pater noſter: O verbum compendioſum, ô verbum abbreuiatum quod fecit Dominus ſuper terram. Clamat Apoſtolus, ſe nihil ſcire, præter Chriſtum, &

hunc crucifixum : nec male; in eo namque mysterio comprehenduntur omnes scientiæ ad salutem necessariæ. Et ego Domine aliud nil scire cupio, quàm te Patrem meum; discere nil aliud volo, quàm quæ sit vis gratissimæ illius voculæ, *Pater noster*. In hac sententia studere, in ea philosophari, in ea die ac nocte volo meditari. huius enim vnius vocis scientia ad omnia mihi sufficit. Vt enim homo propterea microcosmus, hoc est, mundus minor appellatur, quia in illo solo inuenitur, quidquid in vniuersa mundi machina spectatur à te creatum: sic & scientia horum verborum ferax, & compendiosa dici potest, cùm in ea breuiter comprehẽdatur, quidquid per vniuersum scripturæ corpus diffusum est. Tota namque scriptura commodè in duas partes diuidi potest, sub quarum vna petitiones, altera promissiones continentur: in hoc enim tota occupatur, vt petat ab homine reddi, quod Deo debetur, & facienti hoc, omne bonum vicissim pollicetur. Vna igitur parte scriptura docet quid tibi, Domine, debemus; & altera, quid à te expectamus. Sed quæ promissio dari potest, quæ non comprehenditur sub nomine Patris? & quæ obedientia, quæ sub voce filij non continetur? Quæ igitur bona, quam solicitudinem, curam, prouidentiam & gratiam non sperabo ab illo, qui verè pater meus est?

Si enim Pater meus ſis, omnino & naturæ & rationi conueniens eſt, vt me ames, mihi neceſſaria tribuas, me dirigas, me iuues, me defendas, me honores, mihi conſulas, me doceas, me hæredem inſtituas, me (cùm opus erit) vt pater caſtiges. Quis enim filius quem pater non caſtigat? Viuere igitur ſub talis patris tutela & prouidentia, conditio eſt ſuauis, ſeruitus libera, cuſtodia ſecura, timor lætus, caſtigatio mollis, paupertas opulenta, poſſeſſio diues. Patris enim eſt omnes ſolicitudines, curas & labores in ſe ſuſcipere, & fructum eorum cum filio diuidere.

Porrò ſi tu Pater Deus ſis omnipotens, omniumque rerum creatarum Dominus, quid mihi deeſſe poterit, ſi talem patrem habeam? ſcio enim quòd filij partem habẽt in patris poſſeſſione. Quæ tribulatio, quæ anguſtia, quæ fames, quę nuditas, quod periculum animum meum turbare poterit, ſi te Deum meum Patrem habeam? Si inimici me perſequantur, tu me defendes; ſi bonis me temporalibus exuant, tu mihi vitæ reddes neceſſaria; ſi aliquo in dubio verſer, tu me docebis; ſi ambulauero in tenebris & in vmbra mortis, tu mihi dux eris; ſi contra me teſtimonium falſum dicatur, tu pro me reſpondebis; ſi inſurgant aduerſum me caſtra, non timebo, quia tu pater mecum es. Quæ itaque gloria maior? quis honos ſublimior? quæ

misericordia esse poterit vberior? Prima dignitas quæ in rerum natura inuenitur, est, esse filium Dei per naturam; secunda verò, eiusdem filium esse per gratiam. & quia impossibile erat alios præter vnum esse filium Dei naturalem, ad secundam nos dignitatem euexisti, faciens nos filios tuos per gratiam; cui beneficentiæ quid amplius addi posset ignoro.

Videmus igitur, ô benignissime Domine, promissiones tuas omnes simul iunctas in hac vna voce Patris reperiri: imò plura eadem significari, quàm vniuerso scripturæ contextu comprehenditur. Multò enim maius est, quòd tu Deus Pater noster esse dignatus es, quàm reliqua omnia, quæ absque hoc vno promittere nobis potuisti. Cùm enim tu sis Pater noster, & nos tui filij, omnium bonorum tuorum sumus participes, omniumque diuitiarum tuarum simul cum vnigenito & naturali filio tuo sumus cohæredes.

Præterea vox illa Patris non tantùm docet, quid mihi sperandum, sed etiam quid mihi faciendum est. Si tu enim Pater meus verè sis, ego vicissim ero verè tuus filius. & quid hinc sequitur, nisi me obstrictum esse ad opera filij facienda: nam si à te officium boni patris expectem, æquum est, vt ego vicissim boni filij officium faciam. Quid igitur mihi incumbit ô pie Pater? vt te tanquam pa-

trem diligam, tanquam patrem colam, tanquam patrem timeam, tanquam patri obediam: vt ad te tanquam ad benignissimum patrem in omni mea tribulatione recurram; in te, vt in patre fidelissimo spem omnem meam collocem. Muneris adhæc mei est honorem tuum zelare, vbicunque & quandocunque potero: eundem promouere, puro amore, puraque intentione tibi velut patri seruire, me totum in manus tuas, tanquam in manus optimi patris, commendare: omnes castigationes & correctiones tuas, quasi à charissimo patre missas patienter, & cum gaudio sustinere.

Denique omnes meas solicitudines & curas in te, vt in charissimum patrem conijcere. Omnia hæc nomen filij à me requirit, & quoties te patrem appello, toties horum omnium me debitorem agnosco. Quidquid igitur pręcipis, quidquid in vniuersa scriptura promittis, in vna voce Patris concluditur. Valeat igitur Plato, valeat Aristoteles, valeat omnis humana Philosophia, valeat denique infinita librorũ multitudo, in hoc vno vocabulo Patris verbum habeo abbreuiatum, & doctrinam compendiosam, in qua vna toto vitæ tempore studere & meditari est animus.

Noster.

Erunt autem hæc manifestiora, si secundum verbum primo iungamus, di-

centes, *Pater noster*. Non enim voluit vnigenitus filius tuus, vt diceremus; Pater mi; neque in tota hac oratione meum aut tuum inuenitur, sed noster, nostrum, nobis, & nos. Voluit enim omnibus hominibus dignitatis huius gloriam esse communem, vt omnes essemus per gratiam, quod ille est per naturam. Cùm itaque dicimus *Pater noster*, disertis verbis fatemur omnes nos esse fratres, tanquam vnius, eiusdemque Patris filios: debemus igitur singulos vt fratres, & te, vt vniuersalem omnium patrem, diligere. In his itaq; duobus verbis monemur amoris Dei & proximi, in quo duplici amore lex & Prophetę consistũt. Quæ igitur doctrina posset esse sublimior, vtilior, vberior, & tamen compendiosior, cùm duobus vocabulis apertissimè doceat, quidquid scire ad salutem est necessarium?

Denique non tantùm me docent hæc verba, quid scire, quid facere, quid sperare debeo: sed viam mihi quoque ad pœnitentiam sternunt, portamque spei, peccatis meis mihi occlusam, aperiunt. Non enim desperabo, non despondebo animum, fiduciam & spem non abijciam, etiam si grauissimè peccauero, si te Deum habeam Patrem, quem Apostolus tuus Patrem misericordiarum, & Deum totius consolationis appellauit: sed potiùs exemplum filij prodigi imitabor, reuertar ad te Patrem meum eadem 2 Cor. 1.

cum verecundia, eodemque cum animi affectu, quo ille reuersus est, & dicam; Pater mi, peccaui in te, & in cælũ ipsum. non sum iam dignus vocari filius tuus: fac me sicut vnum de mercenarijs tuis. Licet enim ego dignitatem filij amiserim, tu tamen, ô Domine, pietatem & beneuolentiam Patris non amisisti. Hęc ex intimo corde si dixero, antequam orationem meam absoluero, spero quòd aderis, occurres mihi, cadensque super collum meum, me osculo pacis osculaberis. Hæc de visceribus Patris mei mihi spes est, id omni studio aget, ne pereat filius suus: & si perierit, reuocabit illum; imò si opus fuerit, ad se trahet. Si auis pullum suum nido excidisse & periclitare viderit, non quiescit priusquam in nidum reduxerit: sed & si bestiam accedere conspiciat, circumuolitat, rostro tuetur, alis defendit, donec pullum suum liberauerit: sic & tu Pater cælestis de salute mea solicitus es; mederis meis infirmitatibus, sanas mea vulnera, & feras bestias, hoc est, cacodæmones persequeris, filiosque tuos ad nidum, & ad gremium tuum reducis: etsi offensus sis, iniuriarum tamen obliuisceris, nec quiescis, priusquam filij tui ad pœnitentiam reuertantur. Huc accedit, quòd non cessas eos iugiter admonere, ijs tanquam pius pater consulere, & si errauerint, in viam salutis reducere. Si quis lucem diei videre cupiat, non accendit lucernam,

Lucæ 15.

vt quærat eam: ipsa enim lux quærenti se offert, & in oculos eius influit: sic quicunque vult oculos suos in cælum leuare, & te Patrem intueri, non est quòd externum lumen adferat: sed in lumine tuo te lumen videbit, nec deerit cuiquam petēti serena lux tua, quæ se communicat omnibus. Psal. 35.

Qui es in cælis.

O cæli terræque Conditor, diffusa est gratia in labijs tuis; ideo dulciora sunt eloquia tua super mel & fauum: nectare & ambrosia dulciora sunt verba, quæ præcedunt, nec minùs dulcia sunt, quæ immediatè sequuntur: copiosa sunt illa, & tamen succincta; sed nec minùs copiosa sunt hæc, nec minùs succincta. Si enim tu Domine, qui Deus meus, pater meus, hæreditas mea es, in cælis habites, quid mihi cum terra? si thesaurus meus sit in cælis, quid quæro super terram? Si tu pater meus sis in cælis, ego filius tuus quid hîc in mundo sum, nisi hospes & peregrinus? manentem ciuitatem in terris non habeo, sed quasi extorris solum vertens veram patriam meam quęro, ad patriam meam gemens aspiro. Psal. 18.

Sicut peregrinus qui ad patriam festinat, nullis grauatur sarcinis, sed solum corpus secum fert: omnes eius curæ & solicitudines de patria sunt, vbi domicilium & habitatio eius est: sic ego Domine qui peregrinus sum, cur non ex-

cuſſis omnibus huius vitæ curis & ſolicitudinibus, cor & omnes cogitationes meas ad te dirigo, quamdiu à te diſiungor? cur non feſtinus ad te propero?

Qui es in cælis. Verbum hoc ſpem meam corroborat, & ſecuriorem meam reddit abſentiam. Etenim ſi tu Pater meus in cælis ſis, ius in eoſdem cælos habeo: pedem iam alterum in iſto diuerſorio iamdudum collocaui, cùm tu in illo habites, & verus illius ſis paterfamilias. Vbi habitabunt filij, niſi vbi Pater eorum habitat? vbi erunt membra, niſi vbi caput eſt? vbi congregabuntur aquilæ, niſi vbi corpus reperitur? An tu Pater vnquam denegabis ei domum, cui titulum filij & hæredis non denegaſti?

Qui es in cælis. Verbum hoc magnificat animam meam, & ſuper omnia quæ creata ſunt extollit. Quæ namque maior animi ſatietas, quæ dignitas ſublimior, quæ gloria poſſit optari magnificentior, quàm habitare in terris, & Patrem habere in cælis, qui Rex eſt cæli & terræ, cuius beneficio nos etiam cælorum Reges conſtituimur? O vos omnes qui gloriam & honores ambitis, quid quæritis hæc in fumo qui ſubitò euaneſcit, & in puluere quem proijcit ventus à facie terræ? Cur contemnitis honorem qui vltro vobis offertur, vt ſitis filij Regis cæleſtis, & gloriam huius ſeculi, quæ fugit inſequentes, tam multo ſudore quæritis? Aut igitur Chriſtianos eſſe vos

oſten-

oſtendite, & diuinos honores vltro oblatos ſuſcipite: aut ſi hos negligatis, & vanos huius ſeculi honores tantis cum difficultatibus quærere pergatis, profectò Chriſtiani non eſtis. Lætamini in Domino & exultate iuſti, & gloriamini omnes recti corde, quia precioſiſſimum pignus vobis in cælo repoſitum eſt, & cæli Deum Patrem habetis. Aſſumam, ô Domine mi, pennas vt aquila, derelinquam ima hæc, terrenarum opum ſordes deſeram, & in cælum ad te ſubuolabo: quî namque poſſem magni facere quæ ſunt in terris, cùm inſtitutus ſim hæres omnium eorum, quæ ſunt in cælis? quomodo potero me conuertere ad brutas & immundas huius mundi voluptates, terrenaſque & momentaneas mundi diuitias, qui beneficio patris mei omnium cæleſtium opum atque regnorum poſſeſſor effectus ſum? Id profectò gloriæ meæ non leuem aſpergeret maculam; ſed & turpius atque ignominioſum magis mihi eſſet, quàm ſi Regis alicuius filius equilia purgaret, aut ſtrigillando victum mendicaret. Pſal.31.

Sed miſer adhuc ſum, & in calamitatibus multis adhuc viuo. differtur hæc ſpes, & nondum apparet quid ero. an igitur inanis ſit hæc mea gloriatio? nequaquam. Si primogenitus Regis, licet poſſeſſionem regni nõdum adeptus eſt, propter ius tamen quod in regnum paternum habet, haud aliter quàm Rex

ipse habeatur: ego qui simile ius ex adoptione & promissione Dei viui, non ad periturum & mundanum, sed ad æternum & cæleste regnum habeo, cur me diuitem & felicem non dicam? cur de Regis nomine non gloriabor? Etsi enim hæc spes differatur, tu tamen Deus verus es in promissionibus tuis; & fœdus tuum quod pepigisti nobiscum non facies irritum: sed absterges omnem la-
Apoc. 5. 7. & 22. chrymam ab oculis nostris, & sedere nos tecum facies in throno tuo, regnabimusque tecum in secula seculorum. Amen.

MEDITATIO II.

Sanctificetur nomen tuum.

IGitur, ô benignissime Pater noster, cùm omnia quæ sub cælo sunt, in vsum nostrum creaueris, nos autem in
Psal. 15. vsum (etsi bonorum nostrorum non egeas) tuum, vt scilicet tibi seruiamus, te laudemus, sic viuamus, vt nomen tuum vbique glorificetur; pulcherrimo quodam ordine quod summum est, id primò petendum esse, nos tuus docuit Filius: vt scilicet orantes dicamus; *Sanctificetur nomen tuum.* Etenim si iam in filium tuum adoptatus sim, quid mihi magis faciendum incumbit, quàm vt sancti nominis tui gloriam vbique & semper promoueam? victoriam regni tui optem? & obseruantiam tuæ voluntatis omnibus rebus anteponam? Accepta

pta namque filij noua diguitate, quid restat, nisi vt ad possessionem illius procedam, quęque filio conueniunt, ea cum amore & timore, quantum datur, exequar?

Quemadmodum enim homo nuper Rex, Antistes, aut alterius dignitatis Prælatus electione creatus, mox dignitatis illius possessionem capit, & ea quæ ad officium suum pertinere videntur incipit cogitare: sic ego, Domine, gratia nouæ huius dignitatis accepta, ad ipsius possessionem aspiro: quæ officij illius sunt meditor, paratus omnia facere, omniaque velle, quæ tanti Patris filium decent: hoc est, vt nomen tuũ sanctificetur, & gloria regni tui in omni tribu, & lingua, & populo fiat manifesta; vt Maiestas tua ab vniuerso mundo adoretur & glorificetur. Dum enim, vt hæc fiant, quantum in me est, laboro atque desidero, quid aliud ago, quàm quòd propriæ studeo laudi atque vtilitati? Gloria namque patris est & gloria filij, vt quidam tuorum amicorum ait. Prou. 17.

Porrò cùm natura sic comparatum sit, vt bonus filius amet Patrem; amoris verò proprium sit, amantẽ in rem amatam trãsformare, adeò vt qui amat, iam quasi sui oblitus non minùs quærat, appetat, & concupiscat ea, quæ illius sunt, quem amat; quàm quæ propria sunt: quid ego Domine totus in te per amorem transfusus aliud velle, aut desidera-

re possem, aut debeam, quàm quod tu ipse vis & desideras? Et quid tu maiori cum desiderio quæris, quàm nominis tui gloriam? non enim est quidquam aut in cælo, aut in terra maiori dignum appetitu: æquum igitur, vt & ego ex totis viribus meis eandem gloriam tuam apud omnes prædicem, vbique magnificem, & totum per orbem vt celebris habeatur exoptem.

Scio mi Pater, scio te bonorum meorum non egere, nec meis tibi laudibus opus esse: nam si mortalium lingua taceat, omnes creaturæ vociferabuntur, gloriam tuam prædicabunt, & se mutuò ad laudem tui nominis exhortabuntur. Si namque Spiritus Angelicos intueamur, quid aliud agunt in cælis, quàm quòd sine requie, sine vlla intermissione te laudant, nomen tuum sanctificant, diuinoque te Treishagio concelebrant? Si vertamus nos ad admirabilem illam cęlorum compositionem, motuum concordiam, & miracula quæ in ijs conspiciuntur, vtique Domine; Cæli enarrant gloriam tuam, & opera manuũ tuarum annuntiat firmamentum. Si consideremus pugnantem inter sese elemẽtorum concordiam, fluxum & refluxum maris, fontium scaturigines, perpetuos fluminum decursus, tantam arborum diuersitatem, herbarum varietatem, tot animalium species, & tot naturæ miracula, quæ modum & numerum non ha-

Psal. 18.

bent, ſingula ſecundum propriam virtutem naturalem, prout tibi dare placuit, quid aliud prædicant, quid aliud toti mundo annunciant, quàm nominis tui magnificentiam? omnia hæc quaſi viua voce clamant te ſolum Deum verum, Deum viuum, Deum omnipotentem: te ſolum Deum ſapientem, bonum & miſericordem; te ſolum Deum iuſtū, terribilem & admirabilem; te denique ſolum dignū, qui ſine intermiſſione lauderis, atque ſanctificeris.

Inter omnes creaturas alias homo maximè obſtrictus eſt ad ſanctificandum nomen tuum, teque magnificandum. Cùm enim ipſe ſolus inter omnes creaturas viſibiles à te acceperit aptitudines, facultateſque & perfectiones omnium rerum creatarum (vnde & microcoſmus, hoc eſt, paruus mundus appellatur) illarum autem ſingulæ ſuo modo nomen tuum ſanctificare teneantur; quid non debebit ille, qui omnia ſimul accepit, & in cuius gratiam atque vſum omnia creata ſunt, quæ in hoc viſibili mundo conſpiciuntur?

Ex toto igitur corde meo, ex totis viribus meis, ô Pater oro, opto, atque deſidero, vt nomen tuum per vniuerſum mundum ſanctificetur: vt non ſit lingua, tribus, populus, ſexus, ætas & conditio hominum, quæ non conuocet cœtum & conuentus faciat ad laudandum & glorificandum ſanctum nomen tu-

um. O Domine mi, non peto vt des mihi diuitias terræ, honores mundi, aut illecebras huius carnis; ſed tantùm oro, *Sanctificetur nomen tuum* in vniuerſo terrarum orbe. Sit hæc prima, ſit & ardentiſſima petitio mea; hæc principalis ſit mea cogitatio, hic æſtus, denique ſit & impetus meorum deſideriorum. Amor enim in te omnium amorum oportet vt ſit fortiſſimus. Cumq́ue hanc gloriam & honorem tuum optem in hoc ſeculo, da ne in meum commodum, ſed in tuam optem gloriam; vtq́ue beatos iudicem omnes regni tui ciues & incolas: ipſi enim te laudant, te glorificant, tibi benedicunt per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

MEDITATIO III.

Adueniat regnum tuum.

VIdes, ô Pater, vides multos Tyrannos & Dominos inter nos regnare, nobisq́ue dominari: Hîc Diabolus premit cum ſua ſuperbia, illic mundus cum ſua pompa infeſtat: caro cum ſuis blanditijs & delitijs nos ſolicitat, propria voluntas cum ſuis appetitibus nos oppugnat. Omnes iſti crudeliſſimi Tyranni ſuam in nobis tyrannidem exercent, tuo regno vim inferre, & iuriſdictionem tuam vbique minuere conantur; id vnicè laborantes, vt ſua voluntas in nobis fiat, non tua: vt ſecundum leges & præſcripta regni ſui, non tui viuamus.

Exurge igitur ô cæleſtis Rex, & hanc ataxian corrige : inuerſum hunc ordinem conuerte, & ne patiaris, vt crudelis hæc tyrannis in tuo regno præualeat, aut nobis dominetur. Eijciantur iſti Tyranni, diſſipentur inimici tui, & à tua præſentia fugiant omnes, qui te oderũt. Impera tu nobis Domine, tu rege nos, ſceptrum tuum & regnum tuum inter nos tantùm agnoſcatur. Voluntas tua ſit noſtra lux, & verbum tuum lumen pedum noſtrorum ; præceptum tuum noſtra ſit exultatio, iuſtificationes tuæ noſtræ ſint diuitiæ, atque aſperrima quæque pro nomine tuo pati noſtra ſit gloria.

Rege nos Domine tua prouidentia, defende nos tua dextera, duc nos tuo Spiritu, doce nos tuo verbo : tuis nos legibus moderare, tuis nos beneficijs dita, miſericordi nos manu tua caſtiga. Fac Domine mi, ne poſthac caro, mundus, diabolus, aut propria voluntas vllum in nobis locum inueniat. Longè fac Principem mundi huius à nobis : tu ſolus in nobis dominare, tu ſolus nobis impera, tu ſolus habita in anima noſtra, & regnum tuum totum cor noſtrũ occupet. Tu ſolus eſto lumen intellectûs noſtri, tu refectio voluntatis noſtræ : te ſolum quærat, te ſolum petat, te ſolum deſideret anima noſtra. Et quid plura commemora ? cur ſingula percurro ? *Adueniat regnum tuum*, & ſufficit nobis.

Da mihi, ô Pater, tuam gratiam, ne in posterum aliquid cogitem, quæram, desiderem, præter regnum tuum. id solum mihi sufficiat, id nocte dieque solicitè quæram, in eo sit omnis mea conuersatio. Tu Pater solus bonus es, tu solus pulcher, tu solus amabilis, tu solus animarum nostrarum sponsus es: ideoque tu solus regna, tu solus impera, tu solus dominare, tu solus voluntatem meam dirige, tu solus Rex meus esto, & ego fidelis tuus subditus. Pectus meum in te solo recreetur, cor meum in te solo quiescat, anima mea te solo repleatur: Concede Pater, vt ad te solum curram, qui es vltimus finis meus, centrum & regnum meum, in quo animæ puræ & sanctæ sine fine suauiter requiescunt.

Adueniat regnum tuum, quod finis est & complementum nostræ spei, communisque omnium nostrorum desideriorum portus: in quo videbimus te Regem & Patrem nostrum in tua pulchritudine, in quo conspectu tuo sine termino fruemur. Ecquod enim magis proprium, magisque naturale potest esse filiorum desiderium, quàm velle videre patrem suum in regno & Maiestate sua? Mi Deus, quando veniet ille dies? & hora illa, quando tandem aderit? quando lucem tuam videbo? quando veniam & apparebo ante conspectum tuum? Aureum illud palatium quando videbo? quando, inquam, videbo hortos tuos

æternis floribus consitos? fontes salientes in vitam æternam? portas & muros ex gemmis lapidibusque pretiosis extructos? choros illos Angelorum & Virginum quæ sequuntur Agnum immaculatum quocunque ierit? Cantores, phonascos & psaltrias quæ perpetuis carminibus & hymnis celebrant, laudantque summum Regem atque communem omnium Patrem, quando præsens audiam?

O Hierusalem mater nostra, quando ab hoc exilio reuersus in te totus recipiar? quando erit illa dies, in qua ad tua limina vocabor? quando videbo muros tuos & iaspide & hyacintho elaboratos? quando audiam voces & concentus canentium & laudantium te in te? Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum, concupiscit & deficit anima mea in atria Domini. Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Hoc naturale filiorum est desiderium, & proprietas aquarum salientium in vitam æternam, eleuantium corda hominum è terris in cælum: Hæc est aqua illa, de qua singularis amator tuus, ô Pater, B. Ignatius, cùm ad martyrium duceretur, ait; Amor meus crucifixus est, nec in me ignis est, qui quippiam amet: sed aqua viua, quæ exilit in me, mihique intrinsecus ait; Veni ad Patrem.

Psal. 83.

Psal. 41.

Ignat. Epist. 12. ad Roman.

Hic est ille communis Pater omni-

um, quem desideramus, & ad quem aspiramus in hoc exilio, clamantes, & dicentes, *Adueniat regnum tuum.* quem cognoscere est vita æterna, quem videre est ipsa beatitudo, quam vt nobis pro tua ineffabili misericordia largiri digneris, ô Pater, supplices precamur omnes, per filium tuum super omnia benedictum, Iesum Christum, Dominum nostrum. Amen.

MEDITATIO IIII.

Fiat voluntas tua, sicut in cælo & in terra.

Rom. 8. Psal. 113.

VOluntati tuæ quis resistet, ô Pater? Omnia enim fecisti quæ voluisti, & tamen in nobis voluntatem deprehendimus tam peruersam, vt tuæ voluntati sæpe reluctetur. Sol, Luna, & stellæ; mare & omnia elementa, quicquid creatum est, tuæ paret voluntati: soli nos homines rationis participes nō obtemperamus. *Fiat* igitur ô Domine, *voluntas tua in terra* in nobis, inquam, qui nihil nisi cinis & terra sumus, *sicut ea fit in cælo,* & Spiritibus illis cælestibus, qui ad nutum tuum dicto sunt audientes. Et quæ voluntas tua est ô Pater?

Cypria. in Orat. Dominic. Quæ sit voluntas Dei.

Hæc est voluntas Patris, inquit gloriosus ille tuus martyr, quam Christus Vnigenitus filius tuus & docuit & fecit: Humilitas in conuersatione, stabili-

tas in fide, verecundia in verbis, in factis iustitia, in operibus misericordia, in moribus disciplina; iniuriã facere non nosse, & factam tolerare posse; cum fratribus pacem tenere, Deum toto corde diligere, amare in illo quòd Pater est, timere in illo quòd Deus est; Christo nihil præponere, quia nec nobis ille quicquam præposuit; charitati eius inseparabiliter adhærere, cruci eius fortiter & viriliter assistere: quando de eius nomine & honore certamen est, exhibere in sermone constantiam, qua confitemur; in quæstione fiduciam, qua congredimui; in morte patientiam, qua coronamur.

Vnam in te agnoscimus voluntatem tãtùm, sed duos habet illa respectus: aut enim refertur ad illa, quæ tu ab æterno infallibiliter fieri disposuisti; aut ad illa, quæ monuisti, præcepisti, consuluisti & prohibuisti. illam beneplaciti, hanc signi appellamus: illi resistere potest nemo, in hac libertatem arbitrij reliquisti. Hinc est quòd voluntas tua sæpe in nobis non fit, & tu de nobis conquereris, dicens; Quoties volui, & noluistis? Duplex voluntas Dei. Matth. 23.

Hoc igitur, ô Domine, peto, hoc desidero, hoc solum quæro; vt in me, & per me, vtraque tua voluntas fiat: illa, vt nihil mihi displiceat eorum quæ ab æterno mecum facere decreuisti, siue læta sint, siue tristia: hæc, vt ego nil faciam tuis præceptis & monitis contrarium

ſed quæ tibi placent, in ea vbique incumbam, licet voluntati meæ ſæpe contraria. Non enim cupio, vt poſthac aliquid fiat ſecundum optionem vel appetitum meum, neque ea quæ mihi iucunda ſunt & grata volo quærere. Nolo, inquam, agere quod ſuadet affectus erga cognatos & amicos, nolo aures præbere mundo, non quid caro & ſanguis hortetur audiam. Da vt non diſcutiã poſthac quid honorabile, quid ignominioſum, quid facile, quid difficile, quid dulce eſt, quid amarũ: ſed in eo ſolo omnis mea ſit voluntas, tuam voluntatem vt faciam. Illud opus me tantùm lætificet, illud ſolum ſuaue ſit mihi, in eo ſolo ſit omnis animæ meę conſolatio. In omni cogitatione, verbo & opere non alius mihi præfixus ſit ſcopus niſi tua voluntas. Da me ſolum id velle & poſſe facere, quod tuæ conueniens eſt Maieſtati.

Verè Domine, ſi etiam in minutiſſimas partes totus eſſem diſcerpendus, idque pro gloria & amore, qui tibi debetur, id mihi iucũdius eſſe deberet, quàm ſi cunctis mundi fruerer voluptatibus: niſi fortè voluptates illæ in maiorem tui nominis gloriam redundarent. Non enim voluptates propter voluptates, ſed propter obſequium & cultum tuum, ſi ita volueris, appetam. quoniam non vt mea, ſed vt tua voluntas fiat petere me præcepiſti. Nihil mihi ſit dulcius, nihil amabilius, nihil iucundius, quàm

vt totus amore tui liquefiam. Hæc mihi ſit ſumma delectatio, aliquid durum & aſperum pro honore tuo tolerare. Illud enim eſt gaudium Angelorum, deſiderium Sanctorum, exultatio iuſtorum; tibi ſcilicet perfectè ſeruire, tuæ voluntati in omnibus cõformes fieri, & quidquid agunt ad tuum ſemper honorem dirigere.

Scio Domine mi, ſcio Angelos & Sanctorum animas in cælis magis ob gloriam & magnificentiam nominis tui, quàm ob propriam exultare; magis ob excellentiam honoris tui, quàm ob ſuam tripudiare: & ſic voluntatem eorum tuæ voluntati commixtam eſſe, vt in omnibus, & per omnia tuæ voluntati ſatisfiat. Vt igitur in cælo, Pater, ſic & in terra voluntas tua fiat: eam cum maximo cordis feruore & iubilo ſequamur per gloriam, & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam, per aduerſa & proſpera, aliorum omnium voluntates, blanditias, minas, & promiſſiones contemnentes. Etſi enim voluntas noſtra mala ſit & peruerſa, tamen vt virgultum minùs frugiferum & arbor fertilis cùm conſeruntur, vna arbor fructuoſa fieri conſueuit: ſic & nos, ſi voluntatem noſtram ſterilem & longè à tua diuerſam tuæ frugiferæ inſeramus, vna fiet voluntas, eaque bona, & bonorum operum ferax. Ad inſitionem autem hanc, ô Pater, tui Spiritus gratia requiritur: contraria

namque contrarijs miſceri, non niſi vi quadam ſupernaturali accedēte poſſunt. Da mihi ergo Pater Spiritum ſanctum tuum, qui doceat me facere voluntatem tuam, qui det legem tuam in viſceribus meis, & ſcribat eam in corde meo; qui cæcam voluntatem meam dirigat, intellectum eius ducem illuminet, cor durum emolliat, appetituum ardores cæleſti rore aſpergat, & naturam infirmam ſanet atque corroboret, ne poſt hac difficile mihi ſit aut arduum abnegare meipſum, tollere crucem meam, & ſequi te. Tu enim ſolus es noſter Deus, tu ſolus noſter Pater, tu ſolus Rex Regum, & Dominus Dominantium: tibi debetur omnis obedientia, reuerentia, honos & gloria in ſecula ſeculorum. Amen.

Hier.3.

MEDITATIO V.

Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.

QVis vel mediocriter à te doctus, Pater, quis ſtyli tui non ignarus te non facillimè videt huius tam concinnæ atque perfectæ orationis magiſtrum & doctorem eſſe? Vt enim cętera præteream, ſolus petitionum pulcherrimus ordo id manifeſtiſſimum facit. Quid enim feruentiori cum deſiderio filij poſſent optare, quàm ante omnia honorem & nomen bonum patris? deinde proſperitatem eius regni vel poſſeſſionis? ter-

tio loco paternæ voluntatis obseruantiam? Porrò quid magis propriũ & quid vsitatius est filijs adhuc paruulis, quàm à patre panem petere? Verbum hoc toties ab illis repetitur, quoties esuriunt: tum enim obsecrant eum voce lachrymabili, tunc ploratu & fletu paterna viscera mouent, vt panem ipsis distribuat.

Igitur, ô Pater cęlestis, ego filius tuus ætate quidem prouectior, sed meritis adhuc paruulus, famelicus, & multis necessitatibus circumuentus, ea cum libertate atque fiducia, qua pueri solent à suis parentibus, à te panem, hoc est, ad vitæ huius sustentationem quæ necessaria sunt, flagito.

Cęterùm quia in me duas substantias deprehendo, corporalem vnam, alteram spiritualem, panem peto pro vtraque: pro corporali terrenum, pro spirituali cælestem: panem, inquam, Angelorum, qui tanquam creaturæ spirituales, non alio viuunt nutrimento, quàm teipso; qui cibus es spiritualiũ substantiarum. Quare & ego, ô Pater cælestis, qui hactenus sedi in AEgypto, inter putridas carnium ollas, in medijs mundi voluptatibus, omne iam despiciens pabulum bestiarum, ad te suspiro; à te panem Angelorum, qui de cælo venit, supplex peto. Hunc quæro, hunc volo, ad illum totus famelicus anhelo. O amor inæstimabilis, ô misericordia inaudita: Deus Deorum, Dominus Dominãtium,

præmium Sanctorum, gaudium Angelorum, Verbum Patris, Sapientia æterna, lux mundi, Sol cæli, & conditor vniuersorum factus est cibus viatorum; factus est cibus hominum. Quid amplius optare, quid magnificentius possemus desiderare?

Valete igitur porcorum siliquæ, valete mundi voluptates, cibus non hominum, sed bestiarum; aliud mihi reseratum est promptuarium: introduxit me
Cant. 5. Rex in cellaria sua: Verus Melchisedech
Genes. 4. protulit mihi panem & vinum, panem
Genes. 48. Asar prębens delicias Regibus, & vinum
Zach. 9. germinans virgines: cibum pretiosum, delectabilem, & salutiferum: quem etsi non semper audeam sumere sacramentaliter, spiritualiter tamen sumere semper debeo. Cùm itaque, ô bone Iesu, tu mihi datus sis in edulium, nauseat anima mea cùm delicias mundi cogitat: te namque solum manducare cupio, nullius rei præter te me appetitus incessat. Si namque solus odor tuus mundum vniuersum refocillet, quid nō faciet gustus? quid non refectio qua te comedentes exhilaras? Sed, ô Domine, quî fit vt manducantiū te corda non liquefiant à tua præsentia? quî fit, vt quoties ad te accedo anima mea nimio amore tui in te tota non transferatur? à te absorbeatur adeò, vt omnium rerum, imo meiipsius obliuiscar? Si res terrenæ, quid res ipsas dico? si earum imagines & figuræ tan-

tùm adeo nonnunquam cor meum ad ſe rapiant, vt planè me tui faciant immemorem: cur non eandem in me vim habet realis tua præſentia, vt quoties ad eam accedo, ſic alteretur cor meum, & amore tui incaleſcat, vt mundi, & quæ in eo ſunt obliuiſcar?

Da igitur nobis hodie, ô cæleſtis Pater, panem iſtum, vt comedamus eum nunc ſub ſpeciebus velatum, & in futuro ſeculo nudum omni detracta ſpecie & ænigmate. Memēto Pater, Filium tuum Vnigenitum panem hunc vocare quotidianum, & præcepiſſe, vt hodie peteremus. Dic mihi, ô bone Ieſu, ô cohæres & frater noſter, cur tam anxiè & ſolicitè voluiſti nobis adeſſe, vt præceperis nos hodie te petere, & non vſque in craſtinum expectare. Quid boni in nobis reperiſti, quæ cauſa amoris tam flagrantis, vt vnum diem non velis expectare? Si amor ille quo nos complecteris ſic vrgeat, vt hanc morulam non feras, & aduentum noſtrum ne tantillo temporis differri velis, ſed confeſtim, & iugiter nobiſcum eſſe cupias, cùm tibi nullum in eo poſitum ſit commodum; quantò magis ſolicitos oportet eſſe nos, qui miſerrimi ſumus vermiculi, qui ſine te nec eſſe, nec ſpirare poſſumus, vt tibi iungamur ſemper, tibi adhæreamus iugiter, ad te veniamus quolibet momento, vt qui ſummum bonum es, ſpeculum ſine macula, & gaudium Angelorum?

Sed optimè inter nos, ô bone Iesu, conuenit: Tu conuentum hunc differri non vis, & nos prorogare non cupimus: tu vis, vt panem hunc petamus hodie, & non cras: ecce venimus, ecce hodie petimus, hodie nos gratiam illam accepturos confidimus. Nam si hodie petamus, & non obtinuerimus, inutilis esset tua doctrina, nec sibi cõstaret. Cùm igitur nos hodie te possidere cupiamus, & tu ad nos hodie venire petas, veni, ô Domine, & in animas nostras illabere.

Da ô cælestis Pater, vt sicut tu totus inflammatus es amore nostrî, sic nos vicissim amore tui ardeamus, & idẽ pondus quod te deprimit ad nos, vicissim nos eleuet ad te. Concede vt sublatis omnibus impedimentis te anima mea tam tenerè diligat, vt in amplexibus tuis deficiat, & nimia dulcedine tua inescata, quasi deliquium patiatur: Et quia vis vt te petamus quotidie, da nos semper tecum esse, nec patere, vt à te, qui cibus es delicatissimus, & animarum nostrarum Sponsus amantissimus, vnquam diuellamur. Amen.

MEDITATIO VI.

Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.

O Bone Iesu, tu licet benignè me admodum & liberaliter cumque magna instantia ad mensam tuam inuites,

panemque illum quotidianum offeras, vereor tamen ad te accedere. Timeo venire ad conuiuium Hester, ne mihi accidat, quod Aman euenit, qui inuitatus ab illa, paulò pòst suspendio necatus est, delicto id eius exigente. Scio, Domine, hanc non esse tuam intentionem, conscientia tamen me reprehendit, facitque vt malam in me dispositionem metuam: idque propter multitudinem peccatorum meorum, quæ super numerum arenæ maris multiplicata sunt. Quis enim vnquam subducere poterit calculum vanarum mearum cogitationum? mala opera mea & otiosa verba mea quis numerabit? Vix enim iusti suam, vt decet, linguam norunt refrenare: sed nec criminum transgressionis & omissionis vllus est numerus. Quid igitur faciam, Domine, positus in hoc certamine? Tu quidem ad mensam tuam me inuitas, & fames suadet, imò vrget vt accedam, sed sentio tantam meorum peccatorum multitudinem, vt me retrahant, animumque despondere faciant. Quia verò mihi licentiam tribuisti, te patrem vt appellem, venio ad te corde contrito, & dolore pleno: venio cum pudore & affectu filij, petēs peccatorum remissionem, quæ meritò debitorum nomine veniunt appellanda. Debemus enim celsitudini tuæ venerationem, debemus paternitati obedientiam & obsequium, bonitati beneuolentiam, vt

Hest. 7.

amantem redamemus; debemus pro beneficijs atque amplissimis muneribus gratitudinem; debemus veraci fidem, optimo atque potentissimo fiduciam. Hæc quoties non præstamus quum res poscit (& poscit quàm creberrimè) debitum non dissoluimus, sed alienum detinemus.

Præterea qui vsurpat aut detinet sibi, quod alterius est, inuito domino, is debitor illius est: cùm autem nos tui simus, omniaque nostra in cultum & obsequium tuum expendere debeamus, id non tantùm non fecimus; sed etiam in omnibus, & cum omnibus te offendimus: & facultates nobis datas à te, vt earũ opera tibi seruiamus, in arma quibus te oppugnamus sæpe conuertimus; ideoque honoris tui, quem tibi denegauimus, nos debitores agnoscimus.

Sed, ô Domine, *dimitte nobis debita nostra:* tu namque præcipis nobis, vt eorum remissionem petamus. O admirandam Domini clementiam: nos peccamus, tu peccantes vocas; nos te despicimus, & tu oculis benignis aspicis; nos tuam Maiestatem ad iram prouocauimus, eam vilibus huius seculi rebus postponentes; tu tantùm non castigas, sed vltrò vt indulgentiam petamus iubes, & cùm tu læsus sis, pacem tamen offers & reconciliationem. Hanc misericordiam, ô Pater, peccantibus Angelicis Spiritibus non exhibuisti: illi enim in suis

iniquitatibus remanent, & remanebunt ſemper, quamdiu tu Deus eris Deus.

Sed, ô Pater, ſiccíne dimittes nobis debita noſtra gratis, & ſine vlla commutatione? Gratis vtique & non gratis: Nō gratis, quia etſi miſericordia prompta ſit ad remittendum, iuſtitia tamen ſibi vult ſatisfieri: gratis verò, quia idipſum quo iuſtitiæ ſatisfacimus, tu nobis gratis propinaſti: theſaurum ſcilicet immenſum & incomparabilem, quem Vnigenitus tuus filius triginta tribus annis nobis theſaurizauit, & ad quem ſanguine ſuo nobis aditum pateſecit. Hunc theſaurum offerimus tibi Pater, inde tibi ſume quantum placet. hauritur, non exhauritur; erogatur, non minuitur: eius merita noſtra ſunt, eius ſatisfactio noſtra eſt, & eius ſanguis noſtrum eſt pretium. Oramus igitur Domine, vt ſanguine & meritis filij tui placatus ad delicta noſtra cōniueas; quæ ſi ad examen volueris reuocare, nullus vel iuſtitiæ tuæ manſuetudinem, nedum ſeueritatem ſuſtinebit. Subueniat nobis tua miſericordia, quos multorum eſſe iam à iuſtitia ſcelerum damnatos agnoſcimus. Purga nos igne fauoris tui, repone nos in gratiam, reconciliare nobis, *dimitte nobis debita noſtra.*

Sicut & nos dimittimus debitoribus noſtris: O felix offenſa, ô beatum debitū, quod, poſtquam à nobis dimiſſum eſt, in iudicium pro nobis adducere poſſumus, &

quaſi cauſam allegare, cur iudex nos debeat abſoluere. Cùm lædimur ab alijs cogitatione, verbo, conſilio, opere, exemplo; in fortunis, in corpore, in animo, in amicis, in exiſtimatione, nõ contriſtemur; ſed gaudeamus potiùs, & lætemur: dum enim nos iſtas iniurias dimittimus, Deus viciſſim dimittit nobis iniurias noſtras, quibus illum laceſſiuimus. Et quæ hec eſt commutatio? Quantulum eſt quod à me poſcitur, & quantum ego poſco? quantulum quod ego do, & quantum quod recipio? Accipio theſauros immenſos, do nummulum. Ego peccaui in te ſummum Deũ; frater meus peccauit in me, lutũ, & puluerem platearum. Ego à te Deo meo veniam peto, tu vt fratri veniam dem iubes. Accipe igitur, ô Pater, lutum pro auro, ſtipulam pro margarita. *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* O ſumme Iudex & Aduocate noſter Ieſu Chriſte, da mihi mitem animum, vt debitores meos non ad repoſcendum debitum agnoſcam, ſed ad remittendum, vt cùm veneris ad iudicandum, mitiùs mecum, quàm cum illo, Matth. 18. qui conſeruo ſuo debitum dimittere nolebat, ſed in carcerem detruſit, agatur. Amen.

MEDITATIO VII.

Et ne nos inducas in tentationem.

Sed

SEd quid proderit mihi Domine, si dimittantur mihi debita antiqua; & denuo noua contraxero? quid proderit me lauari à mortuus, si mortuum denuo tetigero? Igitur, ô Domine, si permiseris nos tentari, vt humiliemur, vt exerceamur, ne fides in nobis languescat, & emoriatur, vt patientia nostra manifestetur, vt corona nostra augeatur, denique vt in medijs tentationibus constituti, varijsque tribulationibus & casibus attriti ad te Patrem nostrum recurramus, saltem ne sinas nos à tentationibus vinci, vt vel faciamus malũ, vel, quod proximum est, non faciamus bonum. Tanta est nostra fragilitas, vt non possimus non cadere sine tua gratia; non possimus perseuerare, sine singulari tuo auxilio: datur enim multis gratia, sed non omnibus perseuerantia.

Magnum, atrox & horrendum prælium instructum est contra nos: Caro inimica domestica, assidua & familiaris pellicit nos suauitate, terret asperitate, nunc titillationes & voluptates, nunc cruciatus & dolores parturit. Mundus illusor & impostor, mendax & proditor scenam suam sensibus nostris subinde ostentat, commodis & incõmodis permixtam. Dæmon crudelis, fortis, astutus, & in impugnando exercitatissimus ruditati ac fragilitati nostræ innumeris dolis atque artibus tendit insidias. Pandit latissimè quoquo versum sua retia,

& indagine nos circuncludit, in hoc totus, vt abs te abscedamus, à bono ad malum, à salute ad perniciem, à vita ad mortem.

In medio igitur tot hostium constitutus, inter tot carnis appetitus, tot spiritûs infestationes, solus & inermis relictus quid faciam Domine, si tu me deseras? Quid faciet innocens ouicula inter tot lupos derelicta? quid creatura infirma inter tot potentissimorum hostium agmina? quid faciam, Domine? non inuenio effugium, non remedium aliud, quàm vt te inuocem, ad te, sicut pullus hirundinis clamem, gemā sicut columba? Quid faciam, nisi vt oculos meos leuem in montes, vnde veniet auxilium mihi?

Psal. 120.

Ad te igitur oculos meos tollo, qui habitas in cælis; ad te leuo animam meam Deus meus, in te spero, ne confundar in æternum. intende in adiutoriū meum, veni & noli tardare. Vsquequo Domine obliuisceris me in finem? vsquequo auertes faciem tuam à me? Vsquequo exaltabitur inimicus meus super me? Quot sunt dies serui tui, quando facies de persequentibus me iudicium? Ne finas nos deuenire in tentationem; aut si omnino vt manum conferamus stet sententia, ne discedas latum à nobis pilum: accende in nostris mētibus lumen tuum, vt inimici quò pertineant insidię cernamus. Suggere vires, ne nos robore

Psal. 12.

Psal. 118.

ſuo proſternat; Auge in rebus lætis conſtantiam, in triſtibus fortitudinem.

Infelix ego homo, quis me liberabit à tot inſidijs, laqueis, dolis, & artibus inimicorum? quando liber ero, Domine, ab omni tentatione? quando perueniam ad te, vbi nullus premit hoſtis, nulla ſolicitat tentatio? Quando erit, vt nemo ampliùs me poterit à te ſeparare? Quando rebus omnibus huius ſeculi, imò mihi ipſi mortuus ero, vt expeditiùs curram ad te? Quando erit, vt omnium rerum oblitus, te, & quæ tua ſunt tantùm recogitem? Quando tandem omnia, quę tu non es, mihi ſordebunt? Quando tuus ero ex animo & voluntate, qui tuus ſum ex iure & iuſtitia?

O Pater miſericordiarum & Deus totius conſolationis, da mihi gratiam, vt mortuis omnibus meis paſſionibus, moriar etiam mihi, & inimicis meis; tibi autem ſoli viuam. O Pater, ô Rex, ô Domine, ô ſummum bonum meũ, & centrum animæ meæ, da vt habitem in te, quieſcam in te, latitem in foraminibus petræ, & in cauernis maceriæ, ne miluus me comprehendat, aut accipiter Diabolus me deuoret. 2 Cor. 1. Cant. 2.

Sed libera nos à malo.

Mala, ô Pater, in hoc æui decurſu multa ſunt; ſed ea hoc præcipuè nomine conſignanda ſunt, quæ adeò vrgent corpus, ac premunt, vt à recordatione

tui nos abripiant. Huiusce generis sunt necessitates quotidianæ, fames, sitis, nuditas, æstus, algor: tum morbi & cruciatus corporis, vel in nobis, vel in rebus voluntatis nexu nobiscum coniunctis. Adhæc animi motus concitati & perturbati, & diuersæ passiones, quæ regnāt in membris nostris: tenebræ quoque & cæcitates mentis. Sed & is, qui tibi perpetuò aduersatur Dæmon malus est, qui & robustissimus est, & callidissimus. Sed si nec aperta vi, nec dolis aliquid proficiat, vniuersam suam officinam terroris explicat: infert fortunis, amicis, corporibus nostris damna, agit, rapit, trahit, diuexat. Libera nos Pater à praui huius sæuo dominatu, & tyrānide, quam propter peccatum nostrum incurrimus: auerte immanem illius truculentiam à capitibus nostris, & oppugnationem, cui tantoperè sumus impares. Libera nos Pater ab omnibus malis animi & corporis, quæ violentia sui vel contrahunt animum, vel auertunt, vel opprimunt; vt tua benignitate liberi hæreditatem cælestis regni, sanguine filij tui nobis etiam filijs tuis partam perpetuò possideamus, & inter Angelicos choros, beatosqúe Spiritus cęlestibus delicijs semper fruamur; patrocinante nobis benignitate atque gratia Iesu Christi, Seruatoris nostri, cui & tibi Patri nostro, cum Spiritu sancto imperium, gloria, & honor nunc & in omnia secula. Amen.

CON-

CONCLVSIO, VEL *Precatio Dominicæ orationi subijcienda.*

EN Pater amantissime, functa est infans nostra ratio suo munere, quoad eius facere potuit, exprimendo verba, quæ Vnigenitus filius tuus nos docuit: nunc vniuersum ad te desideriũ semel & simul sine verbis effundimus, vt tuo nutu approbes, quæ abs te nobis euenire petimus. Omnia ista beneficia, gratias istas omnes, ô Pater, hactenus cõmemoratas vt nobis benignus largiaris supplices oramus, non indignitatẽ nostram, sed dignitatem Iesu Christi filij tui vnigeniti intuitus: ille enim noster est Aduocatus, Sacerdos, Sacrificiũ & Patronus coram te. Non enim iniustificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, vt ait Propheta, sed in miserationibus Dan.9. tuis multis, & in meritis filij tui Domini nostri. Quicquid enim ille fecit & passus est, id totũ nobis donauit, id totũ nobis fecit & passus est. Per illum itaque oramus te, vt his precibus nostris annuas. Per eum creasti omnia, & per eum restituisti, quæ iam erant perdita. Per eum creasti hominem ad imaginem & similitudinem tuã, & ad eandem imaginem hominem per illũ reformasti. Ille fundamentum est nostræ essentiæ, ille fundamentum nostræ iustitiæ, nostrorumque meritorum causa. Ille apud te no-

ſter eſt Interceſſor, ille Aduocatus, & robur noſtræ ſpei.

Quicquid ergo hactenus à nobis petitum eſt, ô cæleſtis Pater, id omne per Filium tuum petimus; quod enim non debetur noſtræ iuſtitiæ, id debetur illius meritis. Si in nobis nihil boni inueneris, ecce in illo nihil inuenies mali. Si in nobis nulla ſint merita, ecce in illo meritorum nec pretium eſt, nec numerus. Per eum igitur te oramus, per eum tibi ſupplicamus; honora illum in nobis: quod enim nobis tribuis, hoc ipſum tribuis illi: quidquid enim datur membris, id omne redundat in caput cuius membra ſunt.

Fatemur quidem, ô Pater, fatemur, inquam, paupertatem noſtram, vt qui nihil habemus ex nobis, quod tibi offeramus: ne tamen vacui in conſpectum
Exod. 23. tuum veniamus (id enim in lege tua prohibes) ecce immolamus tibi Vnigenitum filium tuum, cum omnibus eius laboribus & doloribus, plagis & liuoribus: quidquid fecit, & quidquid pertulit ex illo momento, quo primùm in lucem effuſus eſt, vſque ad extremum ſpiritum, quem in cruce moriens emiſit, id omne tibi offerimus: Nos enim horum omnium ſumus participes, noſtra hæc omnia ſunt, nobis hæc ille fecit, nobis pertulit.

Hac oblatione, hoc ſacrificio & his meritis freti ad te venimus, & miſeri-

cor-

cordiam à te per modum iustitiæ petimus: nam si filium tuum respexeris, iustitia est : si nos intuearis, misericordia.

Sed & aliud est quod fiduciam nobis auget, spem erigit, animum addit; quia scilicet non ex humana præsumptione, aut perfrictæ frontis audacia venimus ad te, & petimus hæc tam magna: sed venimus missi à proprio filio tuo: ille enim iubet nos ad thronum tuum accedere, & in nomine suo petere, quicquid ad vtramque vitam nobis est necessarium: nec tantùm hoc iubet, sed ipse misit in os nostrum verba ad hoc conuenientia; ipse tradidit nobis phrases tibi cognitas, & familiares, quas vsque huc recitauimus. Agnosce illas Domine; est enim stylus filij tui, sunt verba, quæ ille nobis reliquit ad nostram salutem promerendam. Recordare Pater mulieris illius Thecuitæ, quæ à Dauide veniam delicti filio illius Absaloni impetrauit mox, vt intellexit Rex, quòd veniret ab exercitûs Principe Ioab emissa: quam gratiam Ioab interpretatus est sibi, non mulieri factam esse. Sic ego Domine mittor ab Vnigenito filio tuo; ille est qui posuit mihi hæc verba in ore meo, ille est qui te orat per me, & pro me: quod mihi tribuis, hoc illi tribuis, ille tibi gratiarum referet actionem.

Matth. 6.

2 Reg. 14.

Memento Domine quòd nō damnasti, sed commendasti iniquum bonorum

tuorum dispensatorem, qui de tuis bo-
Luc..16. nis sibi fecerat amicos : & inuidere mi-
hi noli, quòd ego omnium hominum
pauperrimus, qui opes tuas malè expen-
di, easque dilapidaui, accedo ad filium
tuum, illi me reconcilio, eius patroci-
nio me submitto, vt in hoc necessitatis
tempore me in sua tabernacula recipiat,
eius me merita protegant. Scio enim
periculosum esse in conspectum tuum
Genes.44 venire, sine spirituali fratre nostro Ben-
iamin ; hoc est, Vnigenito Filio tuo ;
Ecce igitur illum, ecce adducimus eum
nobiscum, & offerimus eum tibi, vt eius
intercessione benignè à te audiamur.

Et tu Vnigenite Fili Dei, qui etiam filius hominis es, extende super nos brachium tuum : tu enim es noster protector, & tuo pallio nostram tege nuditatem, tuis opibus nostram subleua paupertatem, & ne repellas à tua gratia, quos naturæ tuæ fecisti fratres & socios : Qui viuis & regnas cum Patre & sancto Spiritu in secula seculorum. Amen.



CAPVT

CAPVT PRIMVM, CONTINENS PRECATIONES QVOTIDIANAS, certis horis diei & noctis ferè adaptatas.

ADMONITIO MAtutina.

NON *est eò fabricata nox, inquit Chrysostomus, vt eam totã dormiendo transigere debeamus, & vt eam otiosam degamus : præsertim cùm multi propter humana commoda laudabiliter laborent.* In Ecclesia quoque *consueuerunt eius ministri media nocte consurgere ad* Deum *laudandum.* Ita *& tu te gerere debes, & contemplari stellarum choros, laudantes factorem suum. Cùm cæteri somno vacant, tu interdum vigilabis, flebis & orabis, tibiq; propones illud;* Laboraui in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum. *Quemadmodum enim vtilißimus est nocturnus ros ad contemperandum diei æstum; ita lachrymæ nocturnæ vtilißimæ sunt ad emendandas diurnas concupiscentias; & vt nox ea componat, quæ interdiu perturbata sunt, & malè acta. Christus in die prædicabat, & docebat, per noctem verò insomnis in oratione erat, in monte, interferas, & in solitudine.*

Hom. 26. in Acta Apost.

Psal. 6.

Simile.

Lucæ 6.

Qui

Vide Granat. lib.2. de orat.& meditat. cap.14. Sap.16. Exod.16. Eccli 30.

Qui media nocte surgere non possunt, operam dent, vt paululum ante ortum Solis *surgant, vti monet Sapiens;* Quoniam, *inquit,* oportet præuenire Solem ad benedictionem tuam, & ad orientem lucis te adorare. *Manè collegerunt filij Israel delicatum illud manna, habens in se omnis saporis suauitatem.* Et de *iusto dicitur;* quòd cor suum tradit ad vigilandum diluculò ad Dominum, qui fecit eum; & in conspectu Altissimi deprecabitur,

Ad surgendum maturiùs multum proderit breuis cœna, durus lectus, & subinde in vestibus dormire: hæc enim somnum faciunt breuiorem, & tempus orationis longius. Econtrariò *cùm cœna est longa, lectusq; mollis, difficilè somnus relinquit nos: cùm enim multum est digerendum, multum est edormiendum, & lectus mollior difficiliùs relinquitur.*

Consule Granat. lib.4. de Orat. & medit.in proœmio

Statim verò vbi expergisceris, occlude portam omnibus cogitationibus prophanis; & ante omnia Dominus *noster admittatur: offer ei primitias diei, & cum eo colloquens, hæc tria obseruabis:*

Huic exercitio accommodata est Oratio capitis primi.

Primò gratias ages illi pro quiete nocte illa tibi concessa, & quòd liberauit te ab omnibus illusionibus, laqueisq; inimici: pro alijs etiam omnibus beneficijs creationis, conseruationis, vocationis & redemptionis: quòd bonas inspirationes tibi instillauit, quòd libera-

nit

uit te ab omni malo; quòd tanto tēpore tanta cum patientia & misericordia te ad pœnitentiam expectauit.

Deinde offer illi temetipsum & omnia tua; quidquid eo die facies, quidquid patieris; vt ipse omnia pro bona voluntate sua disponat.

Tertiò pete gratiam, ne quid illo die committas diuinæ voluntati contrarium: ora vt det tibi auxilium, quo peccatis magis tibi familiaribus, & ad quæ natura propendes, queas resistere, firmoq; & immobili proposito te corroboret.

CVM EXPERGISCIMVR. I

PAter Deus, qui dixisti in principio, Fiat lux: & facta est; illumina oculos meos, ne vnquam obdormiā in morte: ne quando dicat inimicus meus, Præualui aduersus eum. Collector. Psal. 12.

Fili Deus, lumen de lumine, lux maxima & verissima, vnde lux ista nascitur solis & diei; lux lucens in tenebris, illuminansque omnem hominem venientem in hunc mundum, pelle à me omnes tenebras ignorantiæ, & da mihi intellectum, vt in te, & per te videam atque cognoscam Patrem, quem nosse viuere, & cui seruire regnare est. Ioan. 1.

Spiritus sancte Deus, ignis illuminās pariter & calefaciens; accende in me lumen tuum, vt fallaces huius mundi delicias & vera cælorum gaudia cognoscam: Illustra mentem meā, vt cernam

quantum bonum inimicus noster solicitet nos leuissima vmbra commutare. Da vt quæ tua sunt tantùm videam, cæcus ad reliqua. Infunde quoque in mentem meam charitatis tuæ donum, vt spretis his transitorijs, iugi desiderio ad ea, quæ sempiterna sunt, anhelem.

Sancta Trinitas, vnus Deus, ✠ defende me hodie ab omni impetu Diaboli: ✠ Custodi me hodie ab omni peccato: ✠ à subitanea & improuisa morte hodie me protege. Esto mihi in tribulatione solatium, in tentatione præsidium, in morte iucundum animæ meæ receptaculum.

Excitasti ô Deus corpus somno consopitum, oro te, vt animum quoque meum à somno peccatorũ & tenebris mundi huius liberes; quodque ex somno ad vigiliam reuocasti, post mortem reddas vitæ: est enim somnus tibi, quæ
Apocal. 7. nobis mors est. Tibi benedictio, & claritas, & sapientia, & gratiarum actio, honor, virtus, & fortitudo in secula seculorum. Amen.

CVM SVRGIMVS *& induimur.*

2 Ephes. 5. Esa. 52. SVrge, ô anima mea, quæ dormis, exsurge à mortuis, & illucescet tibi Christus. Surge ô filia Sion, ô anima mea Christi sanguine redempta, excutere de puluere peccatorum, & sede in pace Christi meritis tibi conciliata.

Ex precibus diur- Christe generis humani patrone in-

dulgentiſſime, vt graue hoc onus corporis mei tuo beneficio erigis, ita & animos noſtros ad cognitionem amoremque euehe tuæ ſublimitatis. ſit & corpus ſocium atque adminiſtrum pietatis animæ in hac vita, quo ſit & in altera illa vita particeps beatitudinis ſempiternæ. nis Lodouici Viuis

Exue me, ô Domine, vetere hoc & corrupto Adam, qui peccato maceratus in animæ formatur perturbatiões, morbosque à te alienos, cum tota illa ſua tẽtatrice Eua, quæ ab obſequio Patris tui auertit. Indue me temetipſo, homine ſecundo & nouo, qui per iuſtitiam factus es Deo patri tuo adiuratiſſimus, ad exuendas concupiſcentias omnes, & crucifigendum regnum carnis. Tu nobis, ô Chriſte, aduerſus frigus mundi huius eſto indumentum, quo foueamur: qui ſi abſis, omnia fiunt protinus torpida, infirma, mortua: ſin adſis, viuida, tuta, fortia, vigentia. Et vt corpus amiculo hoc circundo, ita tu me totum, ſed animum potiſſimùm, teipſo veſtias, ne in die iudicij cùm Martyres ſua vulnera, Confeſſores ſuam fidem, mille bonorum operum floribus ornatam, & Virgines ſuam caſtitatem, aliasque virtutes ſuas oſtendent, ego nudus ante tribunal tuum compaream: ſed tuis potiſſimùm, deinde & bonorum operum meorum meritis amictus, audiam à te dulce verbum illud; Veni benedicte in regnum Matth. 25.

Patris mei: Vbi tu viuis & regnas cum Patre & Spiritu sancto in secula seculorum. Amen.

MEDITATIO.

POst orationem hanc, donec vestiaris, meditare primò, quanta erit in illa resurrectione corporum nostrorum in nouissimo die bonorum lætitia, & quantus tremor & horror malorum, cæterasq; illius resurrectionis circunstantias.

II. *Quanto potior lux animi, & præstabilior mentis oculus, quàm corporis: quàm conuenit magis curare vt acutiùs cernat mens, quàm corpus. oculum corporis bestiolæ habent, mentis autem soli homines, & quidem sapientes.*

III. *Quanta erit claritas ciuitatis illius, in qua nox vltrà non erit; quæ non egebit lumine lucernæ neque lumine solis; sed quem ipsa Dei claritas illuminat; & cuius lucerna Agnus est: in qua singuli Spiritus claritatem stellæ, aut lunæ, aut solis habebunt.*

Apoc. 21. & 22.

IIII. *Quod stipendium sit peccati, nuditas scilicet, impudici rebellis & infrunitæ carnis motus, animiq; perturbationes: frigora quoque & alia corporis incommoda.*

V. *Quid sit induere Christum.*

Postquam surrexeris, & vestitus fueris, age Domino gratias, quòd nocte illa te defen-

dit, & supplex ora, vt dies itidem instans, illo te protegente, felix faustusq; tibi sit.

ORATIO.

OMnipotens æterne Domine, Pater Domini nostri Iesu Christi, te laudo, tibi benedico, & ex toto pectore gratias, non quas debeo, sed quas possum ago, quòd pro immensa tua bonitate me hac nocte paterna tua prouidentia custodiuisti; quòd mihi adesse voluisti, vt te præsente Diabolus propiùs accedere non auderet, sopitoque corpore anima in te vigilaret, quòd ab omni malo tam animæ, quàm corporis me protexisti, quòd me profundo sopitum somno sanctorum Angelorum præsidio, quasi muro inexpugnabili, aduersus omnes insidias & machinationes antiqui illius Satanæ, qui nullis nocendi nobis oportunitatibus indormit, circũuallasti: quòd denique me à somno, vera mortis imagine, ne in peccatorum meorũ tenebris præfocarer, suauiter excitasti, vt spatium & tempus vel tandem seriò pœnitendi mihi suppeteret.

3 *Collector.*

Sed & nunc tibi, ô Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, supplico, quin & ex toto corde precor, vt me etiam hoc die in paternam tuam tutelam assumas, oculis tuæ misericordiæ me obserues, in viam mandatorum tuorum me dirigas, atque ijs me sancti Spiritûs charismatibus dones, quorũ præsi-

2. Cor. 1.

dio hunc itidem diem ad laudem &gloriam diuini tui nominis, ad proximorum vtilitatem, & animæ meæ salutem auspicari, traducere &finire possim; vbique & in omnibus satagens, ne vsquam desim officio meo, sed vocationi meæ, in qua vocatus sum, per omnia satisfaciam.

Custodi me Domine ab omni peccato, carnem meam & sanguinem meum ad omnem iniquitatem propensum, veteris illius Adami amicũ & ministrum refrena: ardorem cupiditatis, quæ in membris meis dominatur, rore tui Spiritûs refrigera, ne hodie vsquam impingam in vllum peccatum, tuamque in me iram & indignationem prouocem. Da, pie Pater, da benigne Deus, vt quod reliquũ est vitæ meæ in timore & amore tui transigam.

Dirige hodie cor & corpus meũ, sensus, sermones & actus meos in lege tua, & in operibus mandatorum tuorum. Auerte cor meũ ab omnibus rebus trãsitorijs, & ad æternas conuerte, vt spretis huius seculi diuitijs atque delicijs ad regnum tuum aspirem, quæ sursum sunt
Colos.3. quærã, vbi filius tuus est in dextera tua; quæ sursum sunt sapiam, & non quę super terram. Constringe & cohibe potentiam Diaboli, veteris & iurati hostis no-
1 Pet.5. stri, vt licet quasi Leo rugiens circũeat, quærens quem deuoret, me tamen lędere, aut mihi obesse non possit: ab omni-

bus etiam periculis cùm animæ, tum corporis, & à subitanea morte me protege: vt sub vmbra alarum tuarum sedens, tuo patrocinio tutus, ab omni immundorum spirituū impugnatione securus & lætus hunc diem inoffenso pede percurram.

Fateor, ô Pater, & Domine mi, fateor, nō sum ego hac tua paterna cura & prouidentia dignus; non sum dignus, vt inter filios tuos me numeres: nulla ènim merita mea sunt, quibus ego fretus tale quid à te petere præsumam; sed ecce mecum adduco Vnigenitum filium tuum Christum Iesum Dominum nostrum, in quo tibi bene complacuit: hunc mediatorem constituo inter me & te; hic est Pontifex summus, hic propitiatio pro peccatis meis: is pro me in cruce obdormiuit, vt animam meam ab æterno somno, atque à tenebris tam interioribus, quàm exterioribus liberaret In huius igitur faciem respice, ô Pater, & propter iustitiam filij parce peccatis famuli: quod mea non merentur opera, id eius merentur abundè vulnera: Ille mea est redemptio, ille mea satisfactio, ille mea iustitia, ille mea sanctificatio. Eum tibi offero Pater sacrificium matutinum, vt pinguedine & odore suauitatis illius delinitus, mihi concedas ex misericordia, quod non debetur ex iustitia. Qui viuis & regnas Deus per omnia secula seculorum. Amen.

4 ORATIO DEVOTISSIMA

manè dicenda; in qua cõmemorat homo præcipua Dei beneficia, vt cognoscat ex ijs, quid Deo debeat: deinde gratias Deo pro illis agit, illi se offert, nouaq; beneficia ab eo petit.

PRAEFATIO IN ORATIONEM SEQVENTEM.

M*Atutinum vel nocturnum tempus precandi officio maximè accommodatum est. Quare* Propheta; Consurge, *inquit*, in nocte in principio vigiliarum, & effunde sicut aquam cor tuum ante Dominum. *tunc enim omnes animæ nostræ potentiæ sunt alacriores, & ad officium hoc magis præparatæ. Visus est magis collectus, stomachus leuis, caput somno refocillatum, cor ab omnibus imaginationibus liberum, tempus quietum, locus solus, & à salutationibus amicorum magis imperturbatus. Manè in descensu roris cælestis decidit etiam gratia, Spiritus sanctus in corda eorum, qui de Deo meditantur: Manè igitur diutius, quàm alijs diei temporibus cum Deo colloquendum est: manè potissimùm salutis nostræ tractanda sunt negotia.*

Threu.2.

Subiecimus igitur orationem sequentẽ prolixam per se, sed quam extendere vel contrahere pro voto licebit. Eius partes sunt quatuor, Commemoratio scilicet beneficiorũ Dei; *Gratiarum*

tiarum actio, Oblatio, & Petitio. In gratiarum actione si longior esse velis, poteris totum Canticum trium puerorum, & eo absoluto omnes choros Angelorum, Sanctorumq; ordines percurrere, in singulis versibus repetens; Laudate & superexaltate eum in secula. Dan. 3. *Miram enim habent ista verba energiam, in cordibus eorum, qui Deum diligunt. In petitione omnia postulare potes, quæ ad vtramque vitam corporalem & spiritualem sunt necessaria. Primam & tertiam partem cuiusque arbitrio relinquimus.*

DEus, Deus meus ad te de luce vigilo, dicit sanctus ille tuus Propheta: & paulò pòst addit; Sic memor fui tui super stratum meum, in matutinis meditabor in te, quia fuisti adiutor meus. Et ego, Domine mi, cum eodem hoc Rege sancto vigilare cupio. Hoc initium sit mearum occupationum: hanc meam cogitationem exordium diei excipiat: Huc enim adigunt me debita quibus tibi obligatus sum, hic finis est meæ creationis. vt enim te laudem, glorificem, magnificem & nomen tuũ sanctificem conditus sum. Tu enim principium es & finis omnium rerum. principium dico sine principio, & sine fine finis. Quemadmodum enim nemo vnquam potuit aliquid creare sine te, ita creari non potuit aliquid per aliũ, quàm per te: vt omnia tibi seruirent, te lauda-

Granatẽsis lib. 5. Memorialis. Psal. 62.

rent, & gloriam tuam prædicarent.

Tu es vniuersalis omnium bonorum largitor, cùm nullum bonum inueniatur naturæ vel gratiæ, corporis vel animæ, quod à te, qui fons es omnium bonorum, non trahit originem : tu es pelagus omnium perfectionum, omnis magnitudinis abyssus; infinitæ misericordiæ atque bonitatis Oceanus, incomparabilis pulchritudinis imago. Tu es Deus Deorum, Sanctus sanctorum, Rex Regum, Dominus Dominantium, causa causarum, ens entium, vita viuentium, ordo Vniuersi, pulchritudo mundi, gloria cæli.

I Commemoratio beneficiorũ Dei.

Tu es Creator meus, qui me de nihilo creasti ad imaginẽ & similitudinem tuam. Tu es meus Conseruator, qui me tua prouidẽtia conseruas, ne in nihilum recidam. Tu es meus Sanctificator, qui me per gratiam tuam ad ea, quæ diuina sunt, extollis. Tu es meus Glorificator, qui me vt tua gloria sine fine fruar condidisti. Tu meus es defensor, adiutor, pastor, benefactor. Tu meus es Rex, meus Dominus, meus Pater, meus Sponsus; Tu es centrum animæ meæ, vltimus finis meus, in quo vno cõsistit omnis mea felicitas, beatitudo, vitæque meæ vltima perfectio. Quid multis? tu mihi omnia in omnibus es, quatenus Deus es.

Quatenus verò homo es, tu meus Redemptor es, Saluator & liberator. Tu es,

1 Cor.3.

Apostolo teste, mea sapientia, mea iusti-

tia, mea sanctificatio, mea redemptio, meum sacrificium, meus agnus, meus sacerdos, meus aduocatus, meus intercessor, meus doctor, meum exemplum, mea fortitudo, mea consolatio. Tu es vniuersalis omnium vulnerum & infirmitatum mearum medicus: tu sanasti meam superbiam, tua humilitate; meam auaritiam tua paupertate; meas voluptates tuis doloribus; meam iram tua mansuetudine; meam inuidiã tua charitate; meam gulam tuo felle & aceto, quod amore mei bibisti; pigritiam meam tua diligentia, & immensis pro me exantlatis laboribus.

Tu pro me ieiunasti, huc illuc discurristi, sudasti, vigilasti, orasti, lachrymatus es, in exilium eiectus, persecutiones passus, derisus, subsannatus, consputus, flagellatus, spinis coronatus, crucifixus, plus cæteris hominibus huius mundi afflictus, & tandem mortuus es.

Omnia hæc Domine beneficia tua sunt, pro quibus omnibus tibi gratias agere debeo: imò causæ sunt iustissimæ, ob quas meipsum tibi debeo, & vincula quibus me comprehensum & ligatum tenes. Quid retribuam tibi Domine pro omnibus quæ retribuisti mihi? quo munere, aut quibus obsequijs tantas gratias mihi exhibitas cõpensabo? Credo equidem quòd etsi omnia corda hominum solus haberem, & ex ijs omnibus te solum amarem, non possem ne minimum

II Gratiarũ actio.

Psal. 115.

tibi debitum reddere: quomodo igitur pro tot, & tantis tibi satisfaciam? quomodo negare tibi potero illud cor vnum, quod habeo pro omnibus, cùm tantundem tibi debeam pro singulis tuis in me beneficijs? Quid dicam Domine mi? Quid faciam? Non enim ego solus sufficiens sum, pro tanta beneficiorũ multitudine dignas tibi gratias agere. Sed scio quid faciam: Inuocabo omnes creaturas, quæ sunt in cælo, & in terra; petamque vt mihi assistant, tuasque mecũ laudes decantare non grauentur, communemque me glorificare Dominum adiuuent. Cantemus igitur canticum quod cecinerunt tres pueri in ardenti fornace Babylonis, dicentes; Benedicite omnia opera Domini Domino, laudate & superexaltate eum in secula. Benedicite angeli Domini Domino, laudate & superexaltate eum in secula. Benedicite cæli Domino, laudate & superexaltate eum in secula. Benedicite aquæ omnes, quæ super cælos sunt Domino, laudate & superexaltate eum in secula. &c.

Dan. 3.

III Oblatio

Has omnes laudes atque benedictiones tibi debeo, Pater, sed & maiora multo tibi debentur. Nam si rem propiùs inspexero, non tantùm mea, sed & meipsum tibi debebo. Si enim in India homo hominẽ rubro emat pileo, emptusq; tam vili pretio eum in modum totus transeat in ius & potestatem emptoris, vt nec temporis momenti, nec teruntij

maneat dominus, ſed & ſæpe à domino ſuo in vincula conijciatur, flagelletur, fuſtibus cædatur, & pro libidine emptoris tractetur: quid de me fiet Domine? Ego tuus ſum, & quidem totus, nec vno titulo vel nomine, ſed infinitis. Tu me creaſti, tu me non rubro pileo, ſed pretioſo tuo ſanguine mercatus es; tu me in omnibus & ſingulis vitæ meæ momentis conſeruaſti; ſine te namque vel manum, vel pedem mouere nõ poſſum; ſpirare nec reſpirare abſque te mihi datum eſt, nec quidquam aliud agere. qua igitur fronte tuum in me dominium recuſabo? quomodo potero tibi negare quod tuum eſt? quo iure potero libertatem mihi arrogare, aut qua impudentia velle ſecundum proprium beneplacitum, iugo Domini mei abiecto, viuere, cùm ex tot cauſis tuus ſim atque me totum tibi debeam?

Humiliter igitur agnoſcens tuum in me dominium, ecce me totum tibi offero, me totum tibi in perpetuũ ſeruum & mancipium trado: nec tantùm me tibi offero, ſed & omnia mea; quidquid hodie aut in reliqua vita mea cogitabo, dicam, aut faciã; cum omnibus ijs, quæ mihi propter te quocunque tempore venient perferenda: adeò vt in poſterum nec comedam, nec bibam, nec dormiam, nec quicquam ſimile faciam, cuius finis non erit honor & ſanctiſſimi tui nominis gloria.

Iterum dico, Domine, immolo tibi memetipſum, ne poſthac ſim meus, ſed tuus: non viuam ampliùs ſecundũ meam voluntatẽ, non laborabo mihi, non quæram me; ſed in omnibus, & per omnia quæram te, tuæ parebo voluntati, atq; in tuo aſſiduus ero obſequio. Quòd ſi quandoque contrarium fecero, furem me dicam, & alieni raptorem: obſequium namque & obedientiam, quæ tibi tot titulis, & tam multiplici iure debetur, tibi denegatam & ſuffuratam mihi vſurpabo.

IIII Petitio.

Sed quia tale debitum reddere non poſſum ſine tua gratia, oro te Domine, vt in hoc me iuues, & crees in me cor nouum, quod ne momentum temporis ſuũ eſſe iudicet; ſed perijſſe putet, quidquid tuo non impenditur obſequio atque cultui. Da mihi voluntatem, cui nihil æquè in deſiderio ſit, atque obſeruare diuina mandata tua, tuæque voluntati obtemperare: largire intellectum, qui in lege tua meditetur die ac nocte, cum memoria, quæ tui nunquam obliuiſcatur.

Pręterea, Domine, tribue fręnum linguæ meæ, & cuſtodiã oculis meis: Concede mihi puritatem cordis, aſperitatem carnis, mortificationem omnium appetituum, animique perturbationum. Da mihi denique profundam humilitatem cordis, & cum ea patientiam, obedientiam, manſuetudinem, caſtitatem, veram

discretionem : adde paupertatem spiritûs, feruentem honoris tui zelum, amorem proximi, & sinceram in tribulationibus illius compassionem : Qui viuis & regnas in secula seculorum. Amen.

Deinde ora Deum, vt illo die te Angelorum præsidio muniat, hac oratione :

ORATIO. 5

OMnipotens, mitis & misericors Deus, pietatẽ tuam planè patriã agnosco, & prædico. Dilexisti me vnice amor meus, antequam diligerem te, & ad imaginem tuam creasti me, & sanguine filij tui dilectissimi redemisti me per acerbam mortẽ innocentis agni Iesu Christi; lauisti, liberasti, ornasti & sanctificasti me, denique tanquam magno pretio emptum thesaurum Angelis tuis & sanctis Spiritibus custodiendum & defendendum commisisti, vt in omnibus vijs meis me tueantur. Hi enim sunt ciues beatæ ciuitatis supernæ Hierusalem, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capient salutis. Hi sunt fidelissimi custodes super muros nouæ vrbis Hierusalem, diu noctuque excubantes, & peruigilantes super gregem tuum, quẽ sanguine tuo redemisti. Te humillime oro ô clemens & misericors Deus, ô dulcis Iesu Christe, vt me præsidio Angelorum tuorũ ita munias, vt omni tempore & loco, in omnibus actionibus

August. in Soliloq. cap. 27.

Heb. 1.

custodiar & conseruer, vt arceatur & compescatur rabidus ille sanguinis sitiens tartareus Leo, qui nihil aliud machinatur, quàm vt me destruat ac dilaniet: qui veluti Leo rugiens semper circumit, quærens quem deuoret ac perdat.

1 Pet. 5.

O ęterna Sapientia, tu nosti inueteratum & acerbissimum odiū antiqui serpentis, sanguinei Draconis, calumniatoris & accusatoris fratrum, lupi infernalis huius mortiferas cogitationes & pernicio sas insidias habes perspectas. Aduersarius meus & hostis agilis est, expeditus, fortis & mille dolis instructus artifex; ego verò timidus, debilis & imbecillis, vt huic monstro resistere non valeam. Te igitur oro, misericors Saluator, ô fortissime Heros, ô inuicte Deus Israël, qui es vnicum auxilium meum, fortitudo mea, confugium meū, & spes mea. Respice Deus, & cogita quid pro me in cruce expenderis, commenda sanctis tuis Angelis, vt ipsi mihi adsint hodie, omnibus horis mihi succurrant, pro me pugnent, corpus meum & animam meam defendant, gemitus meos atque suspiria referant ad te in conspectū gloriæ atque Maiestatis tuæ; vt benignitatis tuæ propitiationem mihi impetrent, & desideratam tuæ gratiæ benedictionem mihi reportent: vt me alliciant, moneant & commoueant ad veram & sanctam pœnitentiam, vt & ipsi de vita

mea gaudere possint : & vt in pio proposito, & in vita inculpabili perseuerem: quò tandē cùm anima mea ex hoc corpore est excessura, ab ipsis in sinum Abrahæ ferar in requiem perpetuā, in consortium & societatem conciuium cælestium & in vitam æternam perducar. Amen.

AD ANGELVM *Custodem.*

6 Ex Lodouico Viue.

QVantum, ô fidelissime custos corporis & animæ meæ, debeo communi nostro Domino & parenti, qui te mihi dedit, vt duceres videns cęcum, sapiens stultum, fortis imbecillem, gnarus viæ ignarum, & quidem inter tot pericula & præcipitia? O quoties me discriminibus exemisti, quoties in perniciem ruentem seruasti? tu præcedis me, tu custodis me in via, tu introduces me in locum quem præparauit mihi Dominus: tu in manibus tuis portas me, sicut frater natu maior infantulū fratrem in vlnis gestat, vt ab omni me peccatorum offendiculo eripias. Pro his omnibus hactenus mihi præstitis beneficijs maximas ago tibi gratias, & vehementer peto atque obtestor, vt seruare me pergas, ac perseueres: abducas à malo, retrahas ad bonum. Coge nolentem, adiuua volentem, impelle euntem. Denique sic ducito, vt tandem ad beatitudinem perducas, qua tu semper iam frueris; vt quemadmodum hîc vel pupillus fui tu-

Exod. 23.

us, vel cliens, ſim illis conciuis & ſocius, gaudeasque creditum, commiſſumque tuæ curæ tam felici portui appuliſſe.

7 COMMENDATIO MATVTINA, *qua post nos omnes Christi fideles Deo commendamus.*

Granatẽſis lib. 5. Memorialis.

ADoro, benedico, & glorifico te, ô ſancta Trinitas, omnipotens Deus Pater, Fili & Spiritus ſancte. Ecce me tuæ diuinæ Maieſtati offero, & me tuæ ſanctiſſimæ atque irreuocabili voluntati trado. Oro te, Domine, tolle à me, & ab omnibus fidelibus Chriſtianis, quicquid tibi diſplicet: redde quod gratum eſt in oculis tuis, & fac vt tales efficiamur, quales nos eſſe præcipis.

Commẽdo tibi patrem, matrem, fratres, ſorores, filios, cognatos, benefactores, amicos, familiares & vicinos, omneſque illos qui ſe meis orationibus cõmendârunt, aut pro quibus orare debeo. Commẽdo tibi Sanctã tuam Eccleſiam Catholicã, fac, Domine, vt omnes & ſinguli te cognoſcant, omnes te colãt, oẽs te diligant, & viciſſim à te diligãtur. Reduc errantes in viam, hæreſes deſtrue; omnes ad veram & ſinceram fidem conuertantur, qui non habent ſancti tui nominis cognitionem. Dona nobis pacem, & nos in illa conſerua. In omnibus tamen tua, non noſtra voluntas fiat. Conſolare & iuua omnes qui ſunt in tribu-

latione, quique in miserijs, tentationibus, perturbationibus, & afflictionibus tam spiritualibus, quàm carnalibus vitam ducunt. Denique omnes creaturas tuę protectioni commendo, vt viuis tribuas gratiam, & defunctis requiem sempiternam. Ameu.

AD OMNES SANCTOS. 8

Salue candidũ & pulcherrimum formosi veris lilium sanctissima Virgo Maria, Salue rosa diuinę suauitatis odorifera. Salue noua viola plena cælesti gratia, plena venustate, de qua nasci voluit & lactari paruulus Iesus Christus Dei filius, Rex cælorum inclytus, splendor paternæ gloriæ, & figura eius substantiæ. Impetra, ô Domina mea, mihi ab vnigenito Filio tuo omne quod noueris animæ meæ necessarium. Adiuua pia Mater fragilitatem meam; adesto mihi hodie in omnibus calamitatibus, tentationibus & periculis meis: præcipuè verò in hora mortis mihi assiste, opem fer, nec à me discede; vt per auxilium & patrocinium tuum securus esse merear in vltimo illo & periculoso certamine.

Granatẽsis ibidẽ. Ad B. Virginem.

O BEATI Spiritus Angelici, qui suauissima melodia communem glorificatis Dominum, & de eius præsentia semper gaudetis, miseremini mei. Et tu pręsertim sanctissime Angele, Custos animæ meæ, & corporis mei, cui specia-

Ad omes Angelos.

Ad Angelũ custodem.

li man-

li mandato Dei commendatus sum, oro te, fideliter & diligenter officium tuum fac, meque hodie ab omni malo visibili & inuisibili custodi, tuere, protege.

Ad omes Sanctos.

O omnes Sancti & Sanctæ Dei, qui iam transistis turbulentum huius mortalitatis pelagus, & peruenistis ad portum perpetuæ tranquillitatis, securitatis & pacis; quique iam meruistis cælestium gaudiorum consortes fieri: securi estis de vobis, soliciti estote de nobis; procuratores & aduocati mei esse ne dedignemini. Orate Dominum pro me, vt vestris orationibus & meritis nunc gratiam impetrem, & in hora mortis salua naue, & integris mercibus securo perpetuæ gloriæ portui detur appellare: vbi vos cum Deo sine fine regnatis. Amen.

ANTEQVAM DOMO EGREDIARIS, ADMONITIO.

IN publicũ processurus memento te in mundum esse venturum. Et quid est mundus, nisi silua periculis mille obnoxia, & saltus spiritualium venatorum indagine cinctus, tot habens tendicula, quot vias tot retia, quot homines; tot casses, quot sensuum obiecta; tot plagas, quot studia; tot sagenas, quot negotia,

1. Ioan. 2.

Quidquid enim in mundo est, aut est concupiscentia oculorum, aut concupiscentia carnis, aut superbia vitæ: & in omnibus laquei, casses & retia. facilè namque oculus videt, au

ris audit, & cæteri sensus percipiunt, quo infelix anima illaqueatur. Hinc pauci in mundo saluantur, & pereunt quàm plurimi. In mari quantumuis procelloso vix decima nauis perit, in mundo vix anima decima saluatur. Mare mundus est, in eo piscatur Christus, piscatur diabolus: sed Christus arundine hamatili, & extrahit paucas: Diabolus expansis retibus & sagenis, & capit multitudinẽ maximam. Vidit olim D. Antonius totum mundum tensis laqueis plenum, & exclamauit; Domine quis laqueos omnes istos euadet? Hæc cùm ita sint, quis inter tot serpentes audebit ire nudis pedibus? quis inter tot laqueos clausis oculis? inter tot hostes inermis? inter tot peccatorum occasiones securus & inconsideratus? Vis esse tutus ab istis laqueis? vis, si non melior & sanctior, saltem non deterior domum reuerti, quàm exieras, pijs orationibus pectus tuum muniatur. Oratio sit tibi galea, oratio sit tibi clypeus, in oratione tuum inuenies præsidium. Vtere itaque hac aut simili precatione.

ORATIO. 9

O Deus propitius esto mihi peccatori, & custodi me: sis mecum omnibus diebus & noctibus vitæ meæ. O Iesu Christe, Dominus meus & Deus meus, miserere mei, & mitte mihi in adiutorium sanctum Michaëlem Archan- Ioannes Faber.

gelum,

gelum, qui me defendat & protegat ab omnibus inimicis meis. Sancte Michaël Archãgele defende me in prælio, vt non peream in tremendo iudicio. Precor vos omnes SS. Angeli & Archangeli, vt veſtra interceſſione detur mihi auxilium & potentia, vt nullus inimicus mihi nocere poſſit in via, nec in aqua, nec in igne; nec offendar à ſubitanea morte, nec dormientem vel vigilantem opprimat, aut lædat. Ecce Cru ✠ cem Domini, fugite partes aduerſæ, vicit Leo de tribu Iuda, radix Dauid. Saluator mundi ſalua nos, qui per Crucem & ſanguinem tuum pretioſum redemiſti nos, auxiliare nobis te deprecamur Deus noſter; Sancte Deus, Sãcte fortis, Sancte & immortalis Saluator miſerere mei. Crux ✠ Chriſti ſalua nos; Crux ✠ Chriſti protege nos; Crux ✠ Chriſti defende nos. In nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti. Amen.

10 ALIA.

Collector. OMnipotens æterne Deus, qui es via, vita & veritas, ecce inter tot laqueos à Dæmone & mundo eius miniſtro extenſos mihi gradiendum eſt; ſed & ſtimulos lubricæ carnis meæ circumfero, fieri non poteſt vt illæſus vel anima vel corpore inter tot voragines & præcipitia, quæ malus ille hoſtis fabricatus eſt nobis per peccatum exoculatis, ambulem, niſi tu manum porrigas. Duc igi-

tur me certissime & fidelissime dux, aperi oculos meos, & deduc me per regiam viam, vt neque ad sinistram, neque ad dextram declinem. Vias tuas demonstra mihi, & semitas tuas edoce me. Rectos fac cursus meos, & itinera mea dirige in pace: Domine in tua iustitia deduc me: propter inimicos meos dirige in conspectu tuo viam meam. Qui sanctis hominibus mittis Angelos custodes, à quibus tanquam imbecilliores filij à filijs natu grandioribus & magis validis ducantur: qui Tobiæ probi patris filio modestissimo iter ingressuro Raphaëlem ministrum tuum misisti viæ comitem; mihi virtute quidem Tobiæ longè inferiori; sed bonitate tua confiso mitte sanctum Angelum tuum, qui me nunc per vias tibi gratas deducat, & tandem ad æternæ vitæ portum perducat. In nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. Amen.

Psal. 24.

Prou. 4.

Psal. 5.

INGREDIENS ALIquod iter. II

Ex Breuiario Romano.

DEus qui Abraham puerum tuum de Vr Chaldæorum eductum per omnes suæ peregrinationis vias illæsum custodisti, quæsumus vt nos famulos tuos custodire digneris. Esto nobis Domine in procinctu suffragium, in via solatium, in æstu vmbraculum, in pluuia & frigore indumentum, in lassitudine vehiculum, in aduersitate præsidium, in lubrico baculus, in naufragio portus; vt

te duce, quò tendimus, proſperè perueniamus, & demum incolumes ad propria redeamus: Per Chriſtũ Dominum noſtrum. Amen.

ADMONITIO.

Egreſſus domo ſepoſitis nonnihil curis ſecularibus & negotijs externis, ante omnia ſatisfacito Saluatoris noſtri præcepto, dicẽtis; Quære primùm regnum Dei & iuſtitiã eius, & hæc omnia adijciẽtur vobis.

Matth. 6.

Deus enim victum, amictum, defenſionem & cætera vitæ commoda largitur his, qui ante omnia illum colunt & venerantur, eiusq́; iuſtitiam diligunt. Sic in veteri teſtamento præceperat Deus quotidie offerri ſacrificium matutinum, vt populus ante omnia negotia externa, quæ ſalutis erant cum Deo tractaret. Sic in nouo teſtamento primi Chriſtiani antelucanos cœtus celebrabant, in quibus omnes hymnis & canticis Deum collaudabant. Laudandus eſt & antiquus Chriſtianorum ritus, apud quos religio erat, ſi quis ad ſeculares occupationes manum miſiſſet, priuſquam Miſſæ ſacrificio interfuiſſet: aut manum ad panem materialem extendiſſet, priuſquam animum ſuum pane illo ſuperſubſtantiali, hoc eſt, Euchariſtico, ſpiritualiter ſaltem (quod ſacramentaliter faciebant quotidie fideles Eccleſiæ primitiuæ) verboq́; diuino (ſi feſtus erat dies) refeciſſet. Orationes igitur ſub auguſtiſsimo hoc Miſſæ

ſacrificio legendæ, ponuntur infrà capite ſecundo.

ORATIO ANTE *Concionem.*

12

LAEtare & exulta anima mea, quia Dominus benefecit tibi, & miſericordiam ſuam inclinauit ſuper te, relinquens tibi ſemen diuini verbi ſui; quod niſi reliquiſſet, omnes quaſi Sodoma fuiſſemus, & quaſi Gomorrha ſimiles eſſemus. Non enim eſt inſtrumentum potentius ad operandam ſalutem, quàm verbi diuini miniſterium. Vt enim tu, ô Paſtor & Doctor populi tui, omnipotens es; ita & ſermo tuus poteſtate plenus eſt. Tuum enim verbum, non minùs quàm tu ipſe ſuſcitat mortuos, regenerat viuos, ſanat ęgrotos, cõſeruat ſanos, oblectat pios, reuocat impios, illuminat cæcos, accendit tepidos, conſolatur mœrentes, deſperanteſque confirmat.

Pleraque ex concione 2 Granaten. de Sexageſ. Eſa. 1.

Infelix & miſer ego peccator, quotidie verbum tuum audio, & nihil horum effectuum in me ſentio. Si verbũ tuum, ô Deus, lumẽ ſit, cur animi mei tenebras non diſcutit? Si panis ſit, quomodo ieiunus adhuc & famelicus perduro? Si vinum, cur amore tuo non inebrior? Si medicamentum, cur tot vitiorum morbis oppreſſus iaceo? Si malleus, cur duritia cordis mei tot eius ictibus percuſſa non frangitur? Si ignis, cur tui charitate adhuc algeo? Si denique ſemen ſit, cur

toties iactum in terra cordis mei vix vllum pietatis fructum refert?

Collector Fateor Domine, non est hæc verbi tui impotentia, sed cordis mei duritia. Verbum tuum vim & energiam suam non amisit, sed animus meus sensum & vitam perdidit. Diuturna namque consuetudo audiendi verbum tuum quasi callos in anima mea obduxit, vt nihil sentiat, promissionibus non moueatur, minis non terreatur. Vereor igitur ne in me locum habeat illa tui Apostoli maledictio; Terra venientem super se bibens imbrem, proferens autem tribulos & spinas, ijs à quibus colitur reproba est, & maledicto proxima, cuius consummatio in combustionem. Heb.6.

Hier.7. Tu mittis seruos tuos prophetas per diem ad me surgens diluculo; tu manè, tu nona, tu vndecima hora conducis & mittis operarios in vineam tuam. Non desunt operarij, & quidē idonei, in messe tua. Sed quid prodest mihi, si idoneus sit Doctor, & ego non studeam, vt idoneus sim auditor? Idoneus autem esse non possum, nisi tu Domine dederis. Nisi enim Spiritus tuus auditorum corda repleat, ad aures corporis vox Doctorum frustra sonat. & in cassum homo exteriùs monetur, si intus cor eius tua gratia non repleatur.

Duo itaque ô salutis opifex oro, vt scilicet mittas Doctores ad nos à te edoctos, & spiritu sapientiæ ac bonitatis tuę

instructos, vt non se ac res suas, sed te vnum & prædicare velint, quia boni; & sciant, quia sapientes. Huic autem, ex quo verbum tuũ audituri conuenimus, de sapientiæ tuæ thesauris largire, quod in nos ad salutem nostram transfundat. Deinde & in me quæso cordis mei fenestras aperi, vt lumen tuũ sanctissimum admittam: operetur in me verbum tuum effectus salutares: tanquam panis in via virtutis me alat ac sustentet; tanquam vinum diuinorum beneficiorum ac promissionum cõmemoratione me lætificet; sit mihi medicamentum animæ meæ morbos sanans; sit gladius qui vitia, libidines & cupiditates meas resecet; sit malleus pectus meum emolliens; & ignis illud amore tui inflammãs. Da, inquam, Domine, ne quod in me hac hora incidet semen præfocetur sentibus curarum huius seculi; ne exarescat siti & defectu roris sancti Spiritûs in tempore tribulationis; ne diripiatur ab auibus cæli: sed sancti Spiritûs calore & operatione confotum germinet in terra bona, & æternæ vitæ fructum proferat, vt te cognoscam, diligam, & laudẽ laude perpetua, qui es laudabilis & gloriosus in secula. Amen.

Origenes in Exodum.

Videte fratres nè fortè effluant quæ dicuntur, & pereant. Volo vos admonere religionis vestræ exemplis. Nostis qui diuinis

mysterijs interesse consueuistis, quomodo cùm suscipitis corpus Domini*, cum omni cautela & veneratione seruatis, ne ex eo parum aliquid decidat, ne consecrati muneris aliquid dilabatur.* Reos *enim vos creditis (& rectè creditis) si quid inde per negligentiam decidat.* Quòd *si circa corpus eius conseruandum tanta vtimini cautela,(& meritò vtimini) quomodo putatis minoris esse piaculi verbum* Dei *neglexisse quàm corpus eius?*

Audiant hęc qui in concionibus fabulãtur, dormiunt, animo tractant quæ foris sunt

13

ORATIO POST
Concionem.

Ioannes Faber.

DOmine Iesu Christe, æterne Saluator, gratias tibi ago, quòd cibo verbi tui me pauisti, & abundè refecisti: oro te, vt apud me sit efficax & salutaris tui verbi perceptio, ne sine fructu depereat sementis illa cælestis. Custodi cor meum, & circunda sepimento gratiæ tuæ, & per sanctos Angelos tuos prohibe, ne auis infernalis ex corde meo auellat: sed pectus meum tibi præpara, vt verbum tuum conseruet, & veluti recens memoriæ inhæreat meæ. Tu es qui dixisti per Prophetam tuum; Verbum quod egredietur de ore meo, non reuertetur ad me vacuum: sed prosperabitur in his, ad quæ misi illud. Eia Domine prosperetur verbum ex ore ministri tui iam auditum in me; da vires, vt vita mea doctrinæ iam perceptæ respondeat: da incrementum verbo tuo, ô cælestis Agricola,

Esa. 55.

vt in me augeatur & crescat, vt sancto tuo elogio nō tantùm ad cognitionem tuæ voluntatis perducar; sed etiam impleam & exequar quod iubes & vis; & sic perseuerē vsque in finem, donec perueniam ad regnū tuum cæleste & sempiternum. Amen.

CVM QVOD OPVS *aggredimur.* 14

NOs in obscurissimam caliginem Protoplastorum nostrorum præuaricatione deturbati, ô fons æternæ Sapientiæ, ignoramus quid tibi placeat, quid non; & quid nobis expediat, quid obsit. Ego nihilominus, ô benigne & misericors Deus, hoc opus arduum, si vires meas; leue & facile, si ad opem tuam aspexero, nunc aggredior, nescius an hoc à me fieri velis, an itē mihi profuturum, an verò obfuturum sit. O Splendor diuinæ maiestatis, ô candor paternæ gloriæ, ô dator munerum, descendant quęso cęlitus in me tuæ gratiæ stillicidia, vt hîc voluntatem tuam cognoscam. *Collector.*

Non te latet in hoc opere mea intentio, quæ non est alia, quàm illud ad tui nominis gloriam, proximorum vtilitatem, & meam salutem perficere. Si me fallat mea existimatio, dissipa consilium meum, inuerte propositum: fiat voluntas tua, nō mea: & vt olim Dauidem cogitantem tibi ædificare domum à suo instituto deterruisti; sic me quàm lon- 2 Reg. 7.

gissimè ab hac mente mea abducas sequentem oro, vel etiam repugnantem abstrahas & auellas: hominis enim est proponere, tuum autem disponere.

Sed etsi opus hoc boni spiritûs instinctu conceptum sit, vt deinceps aggrediar, mea me terret infirmitas: velle bonum mihi adiacet, perficere autem non inuenio. Nisi enim tu ædificau ris domum, frustra laborat, qui ædificat eam: omnis namque sufficientia nostra ex te est.

Rom. 7.
Psal. 126.
2. Cor. 3.

Ad te igitur, ô in altissimis habitans, Deus, & Pater omnipotens, corde humili, affectu pio, oratione deuota cõfugio; tuum in hoc opere inchoando suffragium flagito. Intelligis enim tu profunditatem ignorantiæ meæ, virtutum inopiam, bene agendi inertiam, morumque meorum deformitatem maximam, quæ vniuersa ad huiusmodi peragendũ opus efficiunt me indignum. Da mihi ergo sapientiam sedium tuarum assistricem: mitte illam de cælis sanctis tuis, vt mecum sit, & mecum laboret. Cõfirma me Domine Deus Israël, & respice in hac hora ad opera manuum mearum; tribue mihi robur, fer opem, da auxilium ne in hoc opere perficiendo malignus me Spiritus impediat; peruersorum hominum oblocutiones ab eo me reuocent; ipse alibi peccem, aut ante operis finem deficiam: sed te tanto moderatore & rectore omnia ritè instituam & peragam,

Sap. 8.
Iud. 13.

Iesu Christo mediatore, qui est Deus in secula benedictus. Amen.

REGVLAE QVAEDAM PRVdentiæ in rerum agendarum deliberationibus obseruandæ.

I. *Negotia nostra Domino Deo commẽdemus.* Deprecare Deum, *inquit Sapiens*, vt dirigat in veritate viam tuam: Ante omnia opera tua præcedat verbum verax, & ante omnem actum tuum consilium stabile. Granatẽsis lib. 2 Ducis peccat. parte 2. Eccli 37.

II. *Perpendamus summa cum diligentia non tantũm substantiam operis; sed singulas etiam eius circunstantias; vna enim circunstantia, si incõueniens sit, bonitatem totius operis nonnunquam euertit.*

III. *Consulamus alios, & cum alijs conferamus, quæ sunt agenda. Sint autem huiusmodi Consiliarij numero quidem pauci, fide verò probatissimi. Et si plures consulantur, determinatio tamen penes paucos sit.*

IIII. *Deliberationi iustum temporis spatium detur, vt temporis diuturnitate, & conuersationis longitudine hi, quorum consilijs vtimur, an boni sint, an mali, cognoscãtur: sed & eorum sententiæ propiùs examinentur & probentur.*

V. *Quatuor nouercæ veræ prudentiæ diligenter euitentur; quæ sunt præcipitatio, affectus, pertinacia, vana ineptia. Præcipitatio nam*

que non deliberat, affectus excæcat, pertinacia bonis consilijs portam occludit, & vana ineptia, quamcunque deliberationem ingreditur, eam sine fructu dissoluit.

VI. *Extrema fugiamus: Virtus enim & veritas mediũ tenent. Nunquam igitur omnia simul sunt reprehendenda, nunquam omnia simul probanda: nunquam omnia negare, nunquam omnia credere, nunquam omnia non credere debemus: nunquam ob delictum paucorum damnandi multi, nunquam ob sanctitatem aliquorum omnes iustificandi sunt.*

Valet hæc regula in Ethicis nõ in dogmaticis.

VII. *In æstimandis rebus non semper ad antiquitatem est respiciendum: multa namque longo iam tempore pessimè vsurpata sunt, & multa quæ optima, non ita pridem inuenta sunt.*

VIII. *Figuris & rerum apparentijs ne decipiamur cauendum est: non enim omne quod fulget aurum est; nec bonum omne, quod bonitatis habet speciem.*

15

GRATIARVM ACTIO
opere iam perfecto.

Collector.

HVmani generis Redemptor, ô dulcissime Domine Iesu Christe, qui es α & ω, principium & finis, per quem facta sunt omnia, & sine quo factum est nihil, qui pensas vota, coronas merita, & confers præmia; tibi gratias ago, quòd opus te præueniente inceptum, tandem

Apoc.1.
Ioan.1.

te co-

te cooperante absolui. Tuum nunc est, ô bone Iesu, valorem eius ponderare: si quid in eo peccatum, id omne meum est: si quid oculis tuæ Maiestatis gratum, id omne tibi acceptum fero. In peccatis namque concepti, in peccatis nati, & in peccatis enutriti, quid aliud nisi peccare possumus? & bonum quomodo operabimur, nisi tu dederis Domine? Non inuenit in sacco Beniamin frater Ioseph aurum, nisi quod ipse posuerat: nec tu, bone Iesu, in pectore nostro bonum inuenies, nisi quod ipse præstiteris. Vtinã, Domine, vtinam in pectoris nostri sacco gratiæ tuæ scyphum clementer abscondas, & piè inferas, hac lege, vt in quo beatum furtum inuentum fuerit, tibi seruiat in æternum: nam tibi seruire regnare est. Reliquum nunc est, Domine, vt qua misericordia opus hoc mecum operatus es, eadem nunc ad optatum scopum & finem dirigas, ne fructus illius mihi vel proximo pereat.

Quòd si pro singulis tuis erga nos beneficijs gratias tibi essemus acturi, beneficentissime Iesu, tota esset in eo vno vita nostra consumenda, vt nulla alia de re conueniret nos cogitare: nunc autem aliò subinde nos vocat nostrum officium, aliud exigit nostra vocatio: noua tamẽ tua beneficia noua semper gratiarum actione sunt excipienda. Quare & ego pro eo quòd tam fideliter in me, & per me, licet vile & indignum instru-

mentum tuum,hoc opus operatus es, tibi benedico,te laudo,te glorifico.

Sed & da mihi, Domine,nō tam gratias tibi agere,quàm habere : hoc eſt, benignitatis & munificentiæ tuæ erga me continenter recordari, vt cùm me experiare non ingratum, pergas dona tua in me augere, quouſque per hæc tua perueniam ad te fontem bonorum omnium perennem & totius beatitudinis. Amen.

16 CVM OPVS ALIQVOD NOſtrum bonum Deo *volumus offerre.*

Auguſt.in pſal.137.

DOmine Deus,Pater cæleſtis, obnixe Maieſtatem tuam deprecor, & impetrare deſidero, ne opera manuum tuarum deſpicias. Opus tuum in me vide, non meum : nam meum ſi videris damnas, tuum ſi videris coronas : quia & quæcunque ſunt opera bona mea, abs te mihi ſunt, & ideo tua magis, quàm mea ſunt. Audio quippe ab Apoſtolo tuo; Gratia ſalui facti eſtis per fidem, & hoc non ex vobis; ſed Dei donum eſt.non ex operibus; ne fortè quis extollatur. Ipſius enim ſumus figmentum creati in Chriſto Ieſu,in operibus bonis. Ergo ſiue in eo quod homines ſumus,ſiue in eo quod ex noſtra impietate mutati & iuſtificati ſumus Domine,opera manuum tuarum ne deſpicias. Amen.

17 CVM NOS AD STVDIum *paramus.*

Collector.

NOs quotquot sumus, naturæ quodã occulto instinctu scire desideramus: sed adeò densis in tenebris versamur, vt nedum quæ oportet, sed & quomodo scire oportet, ignoremus. Primi namque peccati pœna est, quòd lux ista naturalis, qua in statu innocentię noster intellectus illuminabatur, nunc extincta sit, & nos quasi cæci palpemus parietem & quasi absque oculis attractemus.

Ad te igitur ô in altissimis habitans & in paterno gremio residens Sapientia recurro, illumina quęso mẽtem meam, & cor docile tribue, vt veritatem, quæ tu ipse es, cognoscam, sequar & teneam. Scire quidem appeto, quia legi te repellere eos qui scientiam repellunt: legi, quòd qui docti sunt fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad iustitiam erudiunt multos quasi stellæ in perpetuas æternitates: sed quia nescio quomodo scire oportet, tu quęso modum & ordinẽ monstra, da vt id priùs discam quod maturius est ad salutem, id ardentiùs quod vehementius est ad amorem. Da ne scire cupiam ad inanem gloriam, non ad curiositatem, non turpis quæstus gratia, sed tantùm ad ædificationem cùm propriam, tum etiam proximi.

Tu ô Creator omnium, ô meridiana lux, ô electorum merces, tu scis profunditatem ignorantiæ meæ; sermonis mei imperitią, virtutum inopia, bonaque & salutaria discendi inertia à te non est

abſcondita. Veruntamen ô increata Sapientia, quæ ad libitum tuum de impio iuſtum, & de ignaro repentè & ſine mora doctum facis, emitte de ſede Maieſtatis tuæ lucem & veritatem tuam, vt illuminet tenebras meas, tribuatque mihi licet indigno caſtorum tuorum eloquiorum intelligentiam. Fac me ſapientiorem & meliorem, vt in alios quoque de iſto tuo lumine transfundam quod mihi impartiris. Nihil induſtriæ, nihil ſolertiæ, nihil ingenio meo tribuo, (ſcio enim omnes qui rectè ſapiunt, te docente ſapere) ſed abs te expecto, vt aperias mihi theſauros ſapientiæ tuæ.

Adeſto, adeſto igitur ô ſplendor diuinæ Maieſtatis, ô candor paternæ gloriæ, ô dator munerum, adeſto precor mihi, & de altitudine ſedium tuarum illabere micanti lumine gratiæ tuæ in cor ſerui tui, reuela mihi incerta & occulta ſapientiæ tuæ, vt te ſolo intus docente intelligam non quæ carnis ſuadet prudentia, ſed quæ cæleſtis probat ſapientia: intelligam autem ad ſobrietatem, & ne dum alios bonos reddam, memetipſum arrogantem & malum faciam: ſed primùm ad meam vtilitatem, quidquid mihi à te datum fuerit, conuertam; deinde à me in proximum dimanet: vt beneficio huius imperfectæ ſcientiæ, tandē perueniā ad contemplationē perfectiſſimæ Sapientiæ, quæ tu ipſe es, qui viuis & regnas Deus per omnia ſecula ſeculorū. Amen.

CVM HORAE SIgnum auditur. 18

BEnedicta sit hora, in qua Dominus meus Iesus Christus natus & mortuus est pro nobis. O Domine in hora mortis memento mei. Amen.

Granat. in præfat. lib. 4 de Orat. & Meditat.

Deinde cogita, quomodo vita tua iam hora breuior est, quàm antè fuit: & sic telam tuam paulatim abrumpi.

ALIA PRECATIVNCVLA, cùm elapsæ horæ signum auditur. 19

DOmine Iesu Christe, qui transacti temporis rationem à singulis exiges, precamur nè vnquam malè, sed ad tuam gloriam horas collocemus, & te suggerente imminentem hanc horam pœnitentia fracti vltimam nobis esse cogitemus. Amen.

Timānus Borkensis in suo Enchiridio.

ORATIO ANTEQVAM cibum sumamus. 20

ADmirandum mysterium operis tui est, ô fabricator & rector mundi, vt cibis istis hominum & animantium vitas sustentes. Profectò non est in pane atque obsonijs ea potētia; sed in voluntate & verbo tuo, quo vno viuūt & consistunt omnia. Tum & illud quantum est, te in annos singulos sufficere, vnde tot animantibus alendis sit satis? Quod sanctus Propheta tuus in enarratione laudum tuarum dixit; Spectare ad te

Lodo. Viues in precib. diurnis.

Psal. 144.

Psal. 144. omnia, vt tu des illis escam in tempore opportuno. Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione. Hęc sunt mirabilia omnipotentiæ tuæ opera. Rogamus te Princeps & Pater munificentissime, vt qui vitam nostris corporibus subministras cibis per verbum tuum; animos quoque nostros gratia per idem verbum tuum viuifices.

Fac nobis adsit auxilium tuū, ne prauè abutamur ijs, quæ tu ad nostros rectos vsus condidisti: non te amemus, quia tu illa das; sed illa diligamus, quia veniunt abs te, & ad tempus nobis sunt necessaria reuertentibus ad te. Sobriè, purè, moderatè, sanctè versemur inter tua dona, qui es talis, ne quæ tu largiris nobis tanquam medicinam vitæ corporeæ, nos in venenum conuertamus mortis animæ. Quin potiùs rectè ea sumendo, & animo grato, fiant nobis corpori atque animæ salutaria; vt digni simus, quos meritò tanquam Pater charissimos filios saluberrimis alimentis enutrias, donec ad perfectionem illam ventum sit filij tui Iesu Christi, in qua mortale hoc induet immortalitatem, nec ampliùs alimoniæ indigebimus, facti vnum cum te ipso, qui es benedictus in secula. Amen.

PRAECEPTA INTER *edendum seruanda.*

Ecclesiastici 31 Capite.

Vtere

Vtere quasi homo frugi quæ apponuntur, vt non cùm manducas odio habearis. Cessa prior causa disciplinæ, & noli nimius esse, ne fortè offendas. Et si in medio multorum sedisti, prior illis ne extendas manum tuam, nec prior poscas bibere.

Ex Granaten. Ducis peccat. libro 2. parte 2.

Bernardus in Epistolis.

Obseruandus est cibi modus & tempus, quantitas & qualitas; fugienda quoque sunt superflua & adulterina condimenta. Obseruandus est modus, vt non effundat, qui comedit, animam suam super omnem cibum. Tempus, ne ante horam: Qualitas, quibus vtitur communitas fraternitatis; excepta causa manifestæ infirmitatis.

Gregorius libro 5 Moralium.

Abstinentia est quæ edendi horam nō præuenit, vt fecit Ionathas in fauo mellis: non lautiora quærit edere, vt Israelitæ in deserto: non accuratiùs parare, vt filij Heli in Silo: non ad superfluitatem, vt Sodomitæ; non vile quodlibet, vt Esau edulium in fame concupiuit.

Epictetes Philosophus.

In conuiuijs memento duos tibi hospites nutriendos, corpus & animam: & quidquid in corpus contuleris, id statim effundi; quod autem in animam, perpetuò seruari.

Anacharsis Philosophus.

Primum poculum quod infunditur sanitatis

eſt; alterum voluptatis; tertium iniuriæ; quartum inſaniæ.

Hieronymus in Epiſt. ad Furiam.

Parcus cibus & venter ſemper eſuriens triduanis ieiunijs præfertur; & melius eſt quotidie parum, quàm ſemel ſatis ſuperfluè. Pluuia illa optima eſt, quæ ſenſim deſcendit in terram. Subitus & nimius imber in præceps, arua ſubuertit. Plura vide apud Granatẽſem loco citato & lib. 3. *de Oratione & Meditatione parte* 2.

21

ORATIO POST SVMptum cibum.

Collector. DVplicem edacitatem, ô beneficentiſſime & liberaliſſime Pater, in membris noſtris ſentimus: hinc calor naturalis quotidie conſumit aliquid de corporis noſtri ſubſtantia; illinc non naturalis, ſed noxia concupiſcentia aliquid abſumit eius, quæ in animabus noſtris te largiẽte nobis eſt, iuſtitiæ. Si corpus, Domine, corporeis cibis non repares, & quotidie fulcias, moritur, &, quæ in eo eſt, vita naturalis extinguitur: Animam autem niſi quotidie noua gratia reficias, infirmatur primò, & moritur tandem, non morte huius temporis, ſed æterni. Vt enim duplex eſt noſtra ſubſtantia, ita duplex nobis alimentum eſt neceſſarium. Oramus itaque Domine, vt panem des corpori quotidianum; oramus

ambulant. Palpant ſicut cæci parietem, & quaſi abſque oculis attrectant: impingunt meridie quaſi in tenebris, in caliginoſis quaſi mortui. At ijs qui tecum verſantur, nunquam non dies eſt lucidiſſima. habet hic ſol æthereus vicos ſuas; oritur, occidit, accedit ad nos, & recedit: ſed tu, Domine, ſi te verè diligamus, vices nullas habes. oriris ſemper, occidis nunquam: accedis ad nos, & manes nobiſcum vſque ad conſummationem ſeculi. O oriens ex alto, illuminare mihi qui in tenebris ſedeo, & in vmbra mortis. O ſplendor Patris, ô Sol æterne, illumina tenebras meas interiores, ne poſt hãc vitã rapiar ad exteriores. O pijſſime, ô dulciſſime Ieſu mane mecũ, quoniam adueſperaſcit, & inclinata eſt iam dies. Quamdiu enim præſentia tua fruimur, in luce & claritate verſamur: ſi verò à nobis receſſeris, quid lætum, quid non triſte nobis atque funeſtum eſſe queat? Cùm te præſentem habemus, tua dulcedine paſcimur, tua familiaritate fruimur, inter humeros tuos requieſcimus, internis tecum colloquijs oblectamur, à terrenis curis & cupiditatibus liberi, te ſummum bonum noſtrum ducimus; tecum habitamus, tecum viuimus. Omnia hæc bona pereunt nobis, ſi tu, ô æterna lux, nobis occidas. Mane igitur nobiſcũ Domine, obicemque peccatorũ à nobis remoue, quo ſit ſemper in noſtris pectoribus dies, Mane nobiſcum Domine.

Matth. 28. Luc. 1. Luc. 24.

AD PRECES VESPERTINAS ADMONITIO.

Granat. lib. 2 de Orat. & meditat. cap. 9.

MEmento ſæpiſsime commendari in lege duo ſacrificia quotidiana, matutinum & veſpertinum; quæ etiam omnis Chriſtianus debet ſpiritualiter offerre, ijs temporibus abſtrahens ſeſe ab externis occupationibus, vt vacet internis & diuinis Quemadmodũ enim bis vacamus in die corporis refectioni, in prãdio ſcilicet, atque in cœna: ſic etiam bis vt minimum animæ refectioni vacandum eſt. cùm hæc non minoris, imò multo maioris ſit dignitatis, quàm corpus: nec minùs ei ſuus cibus eſt neceſſarius, quàm corpori ſuus.

Orationi matutinæ multum proderit, ſi homo antequam ſeſe ad ſomnum componat aliquamdiu orauerit; manè namque inueniet in corde ſuo fructum eius ſementis, quam veſperi fecerat: quemadmodum is qui veſperi carbones igne tegit, vt tanto faciliùs poſtridie focum ſtruat, & rogum acccendat.

Antequam igitur lectum intras, hæc præmittantur: Examen conſcientiæ, Gratiarum actio, Petitio, ſeu commendatio.

I. *Homo priuſquam ſomno ſe tradat, conſcientiam ſuam diligenti ſcrutinio diſcutiat, videatq; quid opere, quid verbo, quid cogitatione vel alio quocũque modo illo die peccauit. Primò an lingua lapſus ſit, an mentitus, an crea-*

turas Dei Dæmonio vouerit, an blasphemias, diras, calumnias, & detractiones locutus fuerit; an inhonesta, an otiosa verba protulerit. Secundò, qua cum diligentia malis cogitationibus restiterit; an in ijs aliquamdiu hæserit, an ijs sese oblectauerit, an eas seriò & instar ignis infernalis scintillas à se reiecerit. Tertiò, perpendat quomodo illo die sensus exteriores custodierit, præcipuè visum & auditum. Quartò, recogitet quibuscum eo die conuersatus sit, quid cum ijs tractauerit, quid apud illos locutus sit, & num eos destruxerit seu offenderit potiùs quàm ædificauit. Vltimò, examinet opera sua tam commissa, quàm omissa. consideret quomodo tēpus & horas illius diei collocauerit, an vocationi suæ satisfecerit; an quæ domus & familiæ sunt rectè curauerit &c. Probatur hoc consilium à multis Sanctis; Vide Eusebium Emissenum homilia nona ad Monachos. Et à Philosophis Ethnicis, vide Senecā lib. 3 de ira ad Nouatum, cap.36

Pythagoræ dictum.

Neque somnum in mollibus oculis suscipe, antequam diurnorum operum ter vnumquodque percurras. Quo transgressus sum? quid feci? quod mihi decens perfectum non est? incipiens à primo, percurrere, & qui mala operatus es, dole: qui bona, lætare. Hæc labora, hæc meditare.

Quo-

Quomodo examinanda est conscientia, vide apud Bernardum *libro* Meditat.*cap*.5.

Postquam conscientiam hoc modo examinasti, statue ante oculos tuos omnia peccata, quæ die illo commisisti, eaq; Domino cum amaritudine cordis confitere, veniamq; postula, hac vel simili oratione.

25

CONFESSIO VE-*spertina.*

Ex diuersis.

Confiteor tibi peccata mea æterne Pontifex, sanctorum minister, & veri tabernaculi sacerdos, qui semel in anno huius seculi in mystica sancta intrasti, & sanctum atque immaculatum agnum proprij corporis tui ad hostiam dedisti, pro peccatis nostris: Tibi confiteor, quia debitor tibi sum; Non solùm decem millia talenta delictorum meorum, sed totius vitæ meæ rationem reddere debeo: quia in omni vita mea nullum mandatum tuum perfectè à me custoditum scio, in quo ego sermone, visu, auditu, gustu, opere, cogitatione, suasione, aut consensu non deliqui. Sed nunc, Domine, præuenio faciem tuam in confessione, & in conspectu Angelorum & Sanctorum tuorum omnium confiteor tibi omnia peccata, quibus hoc die Maiestatem tuam offendi, præsertim hæc; *Hic recitentur, si quæ sint, grauiora.* Nec tantùm hæc, sed & omnia alia confiteor, quæcunque ab infantia mea vsque in

hanc

hanc horam commiſi, ſcienter vel ignoranter, in factis, in verbis, in cogitationibus & omiſſionibus. Qui & ſummatim tibi malam arborem cordis mei expono, cum omnibus ſuis radicum fibris, folijs, fructibus; & cum omnibus ſuis deformitatibus, tuberibus & carie, cuiuſmodi omnia tibi nota ſunt. Nam perſpicis non minùs interiores cupiditates, dubitationes, prouidentiæ negationes, quàm craſſa hæc externa, quæ in ſermone & factis perperam admittimus.

Proinde, ô clementiſſime Pater, prò modulo imbecillitatis meæ te oro (quãquam admodũ inidoneus ſim ad orandum) da veniam erratis, ignoſce delinquenti, & obliuiſcere omnium peccatorum meorum, cùm quæ hoc die commiſi, tum etiam quorumcunque me ab infantia mea reum noſti. Cor quoque meum planè lapideum benignè circuncide, pro vetere hoc aliud nouum crea, nouóque ſpiritu affice. ſucco cæleſtis gratiæ ac fontibus ſpiritualium aquarum irriga, quo internum venenum, & ſuccus carnis noxius exiccetur, veteris hominis conſuetudo vertatur, & cor meum non ſemper tribulos & ſpinas ad materiam ignis, ſed fructus ſpirituales in iuſtitia ac ſanctitate ad vitam æternam poſt hac proferat. Amen.

ADMONITIO.

HVic examini Conſcientiæ addatur ſpe- Granat. lib. 2 de

Orat. & Meditat.

cialis aliqua pœnitentia, secundū peccati qualitatem, vt in posterum tanto diligentiùs te à peccato simili abstineas.

Firmum quoque propositum fiat, singulis septimanis velle te vt minimum vnum peccatum superare, & ab illo disuescere.

Si subinde per diem cadas, caue desperes: sed si millies vno die cecideris, millies eodem resurge, sperans in ineffabili misericordia Dei.

Si quæ paßiones adeò duræ sint, & familiares, vt insuperabiles videantur, noli animum abijcere: sæpe enim post aliquot annos citò vincitur, quod longo tempore vinci non potuit, vt constet homini, vnde sit victoria.

Deinde age Deo gratias, quòd illo die te custodiuit ab omni malo, tam corporis, quàm animæ; & dic:

26

GRATIARVM ACTIO
Vespertina.

Collector.

ECce, Domine, tot & tanta sunt delicta mea, quibus tuam hodie Maiestatem offendi; & tempus quod mihi ad agendam pœnitentiam dederas, tam inutiliter consumpsi; immemor diem hunc vitæ meæ postremum esse potuisse; noua veteribus peccata cumulans, & in conspectu tuo, qui vides omnia, absque vllo timore, haud aliter, quàm in cōspectu idoli alicuius ambulans: Qua-

propter

propter dignus eram quem terra dehiſceret, & quem infernus abſorberet. Sed quòd funeſtum hoc ſupplicium me non inuoluit, infinitæ miſericordiæ tuæ labijs & corde, & omni qua poſſum virtute gratias ago.

Tu namque, ô Domine, me hodie ab omni infortunio corporis & animę clementer conſeruaſti; nullum enim in orbe malum eſt, corporale vel ſpirituale, quod hodie mihi accidere non potuiſſet. Nam quod in alium hominem cadere poteſt, in me cur cadere non poſſet? Si enim ille filius Adæ ſit, & ego ſum: ſi ille in originali peccato conceptus, & ego ſum: ſi ille peccatis actualibus obnoxius, & ego: ſi eius corpus ex humoribus atque elementis pugnantibus formatum ſit, & meum eſt. Si ergo ille hodie cæcus factus ſit, cur non & ego excæcari potuiſſem? ſi contractus, ſi ſyntecticus, ſi phthiſicus, lymphaticus, dyſentericus, lienoſus, paralyticus factus hodie ſit alter, cur & ego factus nō ſum? ſi hic aqua perierit, ille igne, iſte morte inopinata & ſubitanea extinctus ſit, cur non ſum & ego, qui in eadem eram cum illo damnatione? cur Domine? cur, inquam, niſi quia tua, ô clementiſſime Domine, gratia me cōſeruauit, tua me protexit miſericordia? Quòd igitur incolumis, quòd ſano & robuſto ſum corpore, tibi acceptū fero, & immenſas tibi gratias ago.

Pares, imò etiam maiores tibi gratias ago, mi Pater, quòd non minùs animam meam à vitijs, quàm corpus à morbis & infortunijs hodie conseruasti: quòd cæcam illuminasti, & per viam mandatorum tuorum deduxisti; cadentem erexisti; stantē, ne caderet, sustinuisti. Quòd misericordia tua præuenit me, liberans me ab omnibus malis, saluans à præteritis, suscitans à præsentibus, & muniens à futuris: præcìdens etiam ante me laqueos peccatorum, tollens occasiones & causas; quia nisi tu hoc & illud mihi fecisses, ego omnia peccata mundi fecissem: quoniam scio Domine, quòd nullum peccatum est, quod vnquam fecerit homo, quod non facere possit alter homo, si Creator desit, à quo factus est homo. Sed quòd non facerem, tu fecisti: quòd abstinerem, tu iussisti, & quòd tibi crederem, gratiam tu infudisti. Tu namque, Domine, regebas me tibi, seruabas me tibi, & mihi, vt adulterium & omne aliud peccatum non committerem, gratiam & lumen per Iesum Christum filium tuum donasti; tibi laus, tibi gratia, tibi gloria in secula seculorum. Amen.

Auguft. in Soliloq. cap. 15.

Tandem Deo te commenda.

27

NOCTVRNA PRECATIO
qua iturus cubitū Deo te commendabis.

Ioannes Faber.

DOmine Iesu Christe Deus & Redemptor meus: Quandoquidē mi-

ſeris mortalibus placidum noctis tempus ad quietem & refectionem infirmi corporis condidiſti, atque ordinaſti; Te oro, vt in hac nocte animam meam peccatis grauatam, in te, ô Deus, qui es vera & æterna requies, munitam vera pace cuſtodias, & ſerues ab omnibus inimici Diaboli inſidijs, & ab omnibus noxijs eius incurſionibus; defendas ſenſus & cogitationes meas, & omnia quæ facio, & in quibus ceſſo, ſecundum tuam voluntatem ordines ac dirigas, ne in tenebris deprauati huius mundi, à Principe eiuſdem Diabolo ſuperatus in anxietatem, tentationem & pernicioſos laqueos inducar: ſed perfice in me verã tranquillitatem, & conſtantem puritatem in mea conſcientia. Da etiam, mitiſſime Ieſu, corpori meo, multis delictis contaminato, per noctem hanc, & alio quouis tempore talẽ quietem, vt nunquam à te, æterna tranquillitate, diſcedam, neque te deſeram; aut ex tepore & deſidia inertis meæ carnis tui obliuiſcar, & ſic in perpetuam irrequietæ moleſtiæ agitationem & damnationem detrudar.

Quapropter, ô æterne ac clementiſſime Domine, ſpiritum meum in manus tuas commendo. Tu enim, pijſſime noſter liberator, in ligno crucis nos redemiſti: Ne ſinas, ô Deus, ſpiritum meum in peccatis obdormire, & langueſcere, ne in mortem ſempiternam ſepeliar. Sed euigila ſuper me, pro cuſtodia mea ex-

cuba Pastor fidelissime, ne permittas vt auxilio tuo destitutus in peccatorũ voraginem dilabar. Sub vmbra alarũ tuarũ me protege, ne patiaris me vltra iustũ & necessarium tempus somno opprimi; sed tempestiuè me suscita: vt sic expergefactus ad tuam laudem & seruitia tua alacris accedam, vt de te cogitem, & tuo præsenti excitatus numine, opera iustitiæ perficiam, regnum tuum cæleste toto ex corde quæram, vt tandem per te, & tecum, & in te ad æternam lucem & requiem cælestẽ possim peruenire. Amen.

Psal. 16.

28

ALIA ORATIO ANTE *somnum D. Ephræm.*

Seuerus Patriarcha Alexand. in precib. Syrorum.

TRibue mihi Domine, vt ego vigilans vigilanter in conspectu tuo consistam; & quoties dormire mihi contingat, sit sine peccato somnus meus: si verò in excitatione mei quicquam iniqui admisero, per gratiam tuam Domine mi veniam tribue; & in dormitione mea si peccauero, sit clementia tua cõdonatrix, & per depressionis tuæ Crucifixum quietis somnum mihi dato, meque à malis somnijs, fœdisque imaginationibus liberato, & in somnum tranquillitate plenum tota nocte me inducito, ne dominentur in me mala, & cogitationes peruersitate plenæ. Angelum lucis da mihi, qui omnia membra mea custodiat, & ab execranda concupiscentia libera me, per corpus illud viuum

* quod pro me traditũ est. Cubitũ eam, & in quiete dormiam, sanguisque tuus sit custos meus, animæque meæ, quę tua imago est. Confer libertatem figmento tuo, & corpus quod effinxerunt manus tuæ protegat dextera tua, & circunda me muro misericordiarum, tanquam acceptabili præsidio, & clausione; vt cùm quieuerit ac dormierit corpus à virtute tua custodiatur, & veluti suffitus aromatum sit somnus coram Maiestate tua: nec accedat Malus ad cubile meum, intercessione illius, quæ te peperit. Audiam & exequar voluntatem tuam Domine mi, qui noctẽ quoque cumulas tranquillitate iustitiæ Iesu Christi redemptoris nostri; quia tu es lux vera, & in luce habitat gloria tua, & filij lucis te adorant in luce commorantem. Iesus Verbum Deus ad vitam, defunctos per Crucem tuam conserua, parce propter misericordiam tuã: atque tibi Patrique tuo, qui te misit, & Spiritui sancto laus detur in omni tempore. Amen.

* quod comedi, habet textus.

ADMONITIO.

Ingrediens lectũ signa te signaculo S. *Crucis, & compone te ad modum, quo iacebis in sepulchro, lectum tumulo comparans: & meditare paululum quis erit situs & figura, quam corpus tuum in tumulo computrescens habebit. recita quoddam responsorium, aut orationem Dominicam, cum salutatione Angelica, quem-*

Granat. in pręfat. lib. 4 de Orat. & Meditat.

admodum ad sepulchra mortuorum fieri consueuit.

Idem lib. 2 de Orat. & Medit. cap. 14.

Optimè facturus est homo, si quotidie cubitum ierit cum sancta cogitatione: quemadmodum enim is qui vesperi carbones cineribus tegit, vt ignis manè in promptu sit: sic manè facilè inuenit affectum orandi, qui vesperi cum oratione, aut pia cogitatione indormit.

Quotiescunque nocte expergisceris cor ad Deum eleua, dicendo; Gloria Patri & Filio, &c. *aut alium pium versiculum. Multum enim hoc prodest ad fugandas illusiones Dæmonis, malasq; cogitationes: solet enim Dæmon nocte hominem magis quàm alio tempore infestare. In sanctum Dauidis lectulum, ait Hieronymus, quem ille per singulas noctes lachrymis suis rigabat, Diabolus cum omni voluptatum suarum pompa accessum habuit.*

ORATIONES IACVLATORIAE SEMPER IN PROMPTU HABENDÆ.

SEmper orandum esse monet Christus, monet Apostolus, monent & sancti Patres. Sed cùm id ore simul & corde ab homine tot, tantisq; necessitatibus circumuento difficulter fieri queat, eum semper orare dicunt nonnulli, qui cor semper ad Dominum habet eleuatum. Vtilissimum igitur est interdiu noctuq; cor sæpe succinctis oratiunculis, quas iaculatorias

vocant, ad diuinæ Maiestatis memoriam excitare. Hoc olim Patres fecisse, ait D. Augustinus; Fratres, inquit, in Ægypto crebras quidem orationes habent, sed eas breuissimas, & raptim quodammodo iaculatas, ne illa vigilantia erecta (quæ oranti plurimùm necessaria est) per productiores moras euanescat. De vsu atque vtilitate harum orationum consule Lod. Granat. lib. 2 *de* Orat. *&* Meditat. *cap* 8. *Nos in gratiam piorum aliquot huiusmodi oratiunculas ex diuersis collectas, hoc loco posuimus.* Epist. ad Probam.

Quando surgendum est, præparandus est animus ad deuotionem, ita vt feruenter exilias de lecto, & corpore discusso, gratias diuinæ misericordiæ agas, pro quiete indulta, pro custodia & protectione Angelica. deinde veniēs ad ecclesiam, pone manum tuam super ostium, & dic; Expectate hîc cogitationes malæ, intentiones & affectus cordis, & appetitus carnis: Tu autem anima mea intra in gaudium Domini Dei tui, vt videas voluntatem Domini, & visites templum eius. *Sicq; veniens ante Crucem, dic:* Adoramus te Christe & benedicimus tibi. Bernardus in sua doctrina circa finē operum. Psal. 26.

Cùm aliquod opus aggredieris.

Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina. *Hic versus in collationibus Patrū frequēs est.* Psal. 69.

EX THOMAE A CAMPIS
Hospitali pauperum Cap. 18.

Cùm repentinus timor irruit.

Psal. 60. Esto nobis Domine turris fortitudinis à facie inimici.

Si caro putrida stimulet.

Psal. 118. Confige timore tuo carnes meas; à iudicijs enim tuis timui.

Si praua suspicio influat.

Psal. 50. Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis.

Si mala tristitia te premat.

Psal. 50. Redde mihi lætitiam salutaris tuì, & spiritu principali confirma me.

Si vana gloria inflet.

Psal. 113. Non nobis Domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam.

Si desperatio molestet.

Psal. 70. Spes mea Dominus à iuuentute mea, de ventre matris meæ tu es protector meus.

Si tædium mentem occupet.

Psal. 118. Adiuua me & saluus ero, & meditabor in iustificationibus tuis semper.

Si acedia impugnet.

Psal. 79. Excita Domine potentiam tuam & veni; confirma me in verbis tuis, ne deficiam in via.

Si labor aggrauet.

Psal. 24. Vide humilitatem meã, & laborem meum, & dimitte vniuersa delicta mea.

Si iracundia perturbet.

Da patientiam Domine, & pacem seruo tuo, ne perdam coronam animæ meę in cælo: Tu enim dixisti; In patientia vestra possidebitis animas vestras. Lucæ 21.

Si appetitus honoris & altior status te alliciat.

Inclina cor meum Deus in testimonia tua, & non in auaritiã. Auerte oculo meos ne videant vanitatem, in via tua viuifica me. Psal. 118.

Si gula te solicitet.

Regnum Dei non est esca & potus, sed pax & gaudium in Spiritu sancto: Spiritus est qui viuificat, caro non prodest quicquam. Rom. 14. Ioan. 6.

Si maligna cogitatio obrepat.

Cuius est imago hęc & superscriptio? Et audiens, quia Cæsaris est, hoc est, principis huius mundi Diaboli, dic; Pecunia tua tecum sit in perditionem: Iam ostium clausum est, & Dominus hîc Pascha manducat, non vacat mihi aperire tibi. Bernardus loco citato. Matt. 22. Act. 8.

Si aliquod beneficium Dei occurrat.

Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? quantum debes anima mea? & conuersus ad Angelos dic; Venite audite & narrabo omnes qui timetis Deum, quanta fecit animæ meæ. Et ad ipsum Deum deflectens oculis; Verè, inquies, Domine misericordia tua magna est super me. Psal. 115. Psal. 85.

In graui aliqua persecutione.

Psal.34. Iudica Domine nocentes me, expugna impugnantes me. Apprehende arma & scutum, & exurge in adiutorium mihi.

Cùm videris à Deo derelictus.

Psal.9. Vt quid Domine recessisti longè? despicis in opportunitatibus, in tribulatione? Luc.24. Mane nobiscum Domine, quoniam aduesperascit.

Contra detractores.

Psal.11. Saluum me fac Domine, quoniam defecit sanctus; quoniã diminutæ sunt veritates à filijs hominum: Disperdat Dominus vniuersa labia dolosa, & linguam magniloquam.

Pro inimicis.

Act.7. Domine ne statuas illis hoc peccatum, quia nesciunt quid faciunt.

Cùm ad studium nos paramus.

Psal.118. Benedictus es Domine, doce me facere voluntatem tuam; Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua.

Ex Granatensi.

Lib.2 de Orat. & Meditat. cap.8. *Poterit homo nonnunquam cor eleuare per affectum pœnitentiæ, his verbis;* Psal.50. Auerte faciem tuam à peccatis meis, Domine, & omnes iniquitates meas dele. Cor mundum in me crea Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis.

Aliquando cum affectu gratitudinis.

Benedic

Benedic anima mea Domino, & noli obliuiſci omnes retributiones eius. Pſal.102.

Nonnunquam cum affectu amoris.

Diligam te Domine fortitudo mea, Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus. Deus meus, adiuor meus, & ſperabo in eum. Pſal.17.
Quemadmodũ deſiderat ceruus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus. Sitiuit anima mea ad Deũ fontem viuum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei mei? Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie; Vbi eſt Deus tuus? Pſal.41.

Subinde amore beatitudinis æternæ inflammatus dicat;

Quàm dilecta tabernacula tua Domine Deus virtutum? concupiſcit & deficit anima mea ĩn atria Domini. Pſal.83.

Patribus in AEgypto familiare erat quod ſequitur;

Hieron. in Epiſt.

Quis mihi dabit pennas ſicut columbæ, & volabo & requieſcam? Pſal.5.

Plures huiuſmodi orationculas, & ad pietatem ſtimulos paßim obſeruabit orationis ſtudioſus per ſemetipſum, in Pſalmis, cæteriſq; ſacrarum Scripturarum libris. Sufficit ex plurimis pauca poſuiſſe.

CAPVT SECVNDVM, CONTINENS ORATIONES LITVRGICAS, QVÆ sub sacrificio Missæ legendæ sunt.

QVANTA CVM REVERENTIA in templo versari debeamus. ex concione Alphonsi Villegæ de dedicatione templi S. Saluatoris Romæ.

SI templum Salomonis tanto in honore & reuerentia habebatur, in quo erat Arca Domini; quanto in honore habendum est templum, vbi est ipse Dominus, videlicet in sanctißimo Sacramento Eucharistiæ, verè & realiter & substantialiter? vbi iam non immolatur sanguis hircorum & taurorum, sed pretiosißimus Christi sanguis, qui effusus est in ara Crucis? vbi Christus sese obtulit hostiam viuam æterno Patri pro redemptione humani generis? Quod etiam repræsentat Sacerdos quoties Missam celebrat. Hic etiam sunt in ecclesia nostra sanctißima Sacramenta, à Christo instituta, quibus curantur animæ nostræ infirmitates. Siquidem vt aliquis robustus sit Christi miles, & intrepidè atque impauidè eius sanctißimum nomen vbique profiteatur, datur illi sanctißimum Confirmationis sacramentum.

tum. Insuper ad locupletandam animam, & insigniendam pretiosissimis ornamentis & donis spiritualibus, ministratur sacratissimum Eucharistiæ *sacramentum.* Alijs *etiam, vt copulentur sanctè inter se, ministratur sacramentum* Matrimonij *: illis autem qui vulnerati veniunt ex militia spirituali, & varijs sauciati vulneribus, ministratur sanctissimum* Pœnitentiæ *sacramentum. Vnde constat esse ecclesiam sanctissimā apothecam quandam, & pharmacopolium medicinæ spiritualis, & salubrium remediorum ad languores varios sanandos.*

Est insuper ecclesia in qua continentur pretiosissimi Christi *thesauri : in ea enim condonantur delicta ; in ea dantur* Spiritûs *sancti dona ; in ea sunt magis meritoriæ orationes fidelium, atque faciliùs impetrant, quod petunt : in ea siquidem est scala illa* Iacob, *per quam ascendunt* Angeli *& descendunt, offerentes preces nostras* Domino, *& perferentes ad nos cælestes consolationes : in hac etiam ecclesia sanctissima prædicatur* Christi Euangelium, *docetur obseruatio mandatorum* Dei, *laudantur virtutes, reprehenduntur vitia. Vnde fit vt alij compungantur, alij timeant, alij ad virtutem &* Dei *amorem vehementiùs incitentur.*

In ecclesia fidelis anima cum Deo *conuersatur,* Deum *laudat,* Deum *orat, à* Deo *beneficia*

multa accipit. In ecclesia aßistunt S. Angeli; ibi reperitur cælestis curia, ibi Deus adest, ibi Matth. 28 *pollicitus est se adfuturum vsque ad consummationem seculi.*

Quare sacra templa summo prosequamur honore, salutareq; illud Prophetæ consilium diligenter obseruemus, qui Psal. 92 inquit & monet admirabili, maximoq; honore afficiendum esse templum Domini in vniuersa terra. Dedecet igitur in eo omnis strepitus, omnis murmuratio, omnis impura actio, & denique qualibet etiam inanis & vana cogitatio: sed quæcunque in eo tractabimus sint ad honorem Dei: vnde fiet, vt amplißima à Domino beneficia consequamur, & eius misericordiam impetremus.

1 MEDITATIO QVA MENtem ad deuotionem & reuerentiam erga tremendum Missæ sacrificium præparamus.

Ex diuersis.

QVid agis anima mea? quò vadis? solue calceamentum de pedibus tuis: locus enim in quo stas sanctus est. expecta modicum & videbis hîc visionem magnam: expecta modicum & faciet hîc Deus magna & inscrutabilia & mirabilia absque numero: expecta modicum & aperientur cæli, mirabuntur Angeli, sancti laudabunt, iusti exultabunt, captiui visitabuntur, compediti soluen-

tur, infernus vlulabit, sanctaque in spiritu mater ecclesia lætabitur.

Immolabitur enim hîc sacrificium, quo nullum maius, nullum vtilius, nullum amabilius, nullum oculis diuinæ Maiestatis gratius: oblatio quæ honorem Deo, Angelis contubernium, exulibus cælum, religioni cultum, iustitię debitum, normam sanctitati, obedientiam legi, gentibus fidem, lætitiam mundo, credentibus gaudium, vnitatem populis, sacramentis legalibus finem, initium gratiæ, virtuti robur, hominibus pacem, lucem mentibus, spem laborātibus, peruenientibus tribuit speciem. Nempe dolores mediatoris nostri, irrogata conuicia, excepta flagella, aceti & fellis pocula, clauorum & lanceæ vulnera ex rediuiua sacrificij huius celebratione memorantur.

Offertur æterno Patri nati assumpta humanitas, quatenus agnoscat ipse quē genuit, quemque pro hominum salute misit in terras, vt interuentione ipsius delinquentibus veniam, lapsis manum, & iustificatis prærogèt vitam. Clamat idem Redemptor ad Patrem, corporales suas cicatrices ostendens, quatenus ab æternis supplicijs sua homines interpellatione custodiat.

Hæc omnia, ô anima mea, hoc loco, & quidem hac hora fient, quorū omnium spectatrix esse poteris, si fide vera & sincera hîc astiteris. Qua igitur venera-

tione,

tione, qua reuerentia, qua humilitate tantis interesse debebis mysterijs? Quid enim mirabilius, quàm videre Dominum tantę Maiestatis, cuius sedes cęlum est, & cuius scabellum terra; cui astant omnes Seraphin, cui ministrant Angeli & omnes creaturæ famulātur, hunc iterum de cælo descendere in hanc vallem lachrymarum? habitare nobiscum? in templis præsentem esse, vt sua præsentia nostram adiuuet deuotionem, nostris adstet lachrymis, nostras audiat orationes?

Non erat aliud quod datum erat Iudæis in arca fœderis, quàm vmbra huius beneficij: & tamen adeò miratus est il-
3 Reg. 8. lud Salomon, vt dixerit; Ergóne putandum est quòd verè Deus habitet cum hominibus super terram? si enim cælum, & cæli cælorum te capere non possunt; quantò magis domus hęc quam ędificaui? O magnæ venerationis mysteriū, ô beneficiū inæstimabili gratitudine recolendum. O Domine mi, si homo nosset pretium & dignitatem tuorum beneficiorum ponderare, quantas tibi gratias redderet? quàm prompto tibi animo seruiret? Sed nescio quî fiat Domine, vt adeò cæcutiamus te stantem in medio nostrum quòd non cognoscimus.

Si namque nos domum tuam, & quis est, qui inter nos stat, cognosceremus, ô quanta cum reuerentia in conspectum tuum veniremus? quanta cum fiducia

preces tibi noſtras offerremus? quanta cum alacritate loca ſacra viſitaremus? quanta denique cum deuotione templa tua Domine frequentaremus? Si templum eminus conſpiceremus, inclinare capita noſtra, eique reuerentiam exhibere deberemus: non enim minoris dignitatis eſt templum materiale, quàm cælum empyreū; cùm vtrumque eundem habeat in ſe præſentem Dominum.

Quis mihi dabit lachrymas, vt defleam eorum impietatem, religionisque contemptū, qui ſub auguſto hoc, & ſtupendo Miſſæ ſacrificio aut in templis deambulant, aut fabulantur, aut negotia tractant externa, aut dormitant, aut foris mente vagantur? Quî fit Domine, vt cùm bos cognoſcat poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe domini ſui, homo te nō cognoſcat, nec vnquam rectè cognouit? Veniſti in mundum, & mundus te non cognouit; nunc iterum in mundo es, & necdum mundus te agnoſcit. Nos miſeri Iudæos cōdemnamus, quòd te in medio illorum ſtantem non cognouerunt, eò quòd formā hominis habebas, & nobis ignoſcimus, quòd idē facimus, eò quòd ſub panis forma latitas.

Esa. 1.

Ioan. 1.

At tu, ô anima mea, non quod alij faciunt, ſed quod tui muneris eſt facito. Eleuare, eleuare, conſurge anima mea: ſolue vincula colli tui captiua filia Sion; ſanctificare & eſto parata, modò enim veniet Dominator Dominus, &

Emanuel nomen illi. ſtillabunt montes confeſtim dulcedinem, & colles fluent lac & mel. Videbis mox cælos aperiri, & Sponſum procedere de thalamo ſuo: videbis Verbum fieri carnem, & habitare in te. Occurre illi cum reuerētia magna, humilitate profunda, & puritate perfecta: præſtolare aduentum eius in ſpe & ſilentio, in precibus & deſiderijs, donec hæc omnia perficiātur in te, & in omnibus Chriſti fidelibus.

2 *Generalis ante Miſſam peccatorum Confeſſio.*

Ioannes Faber.

INter miſeros peccatores ego longè miſerrimus confiteor Deo Patri meo cęleſti, & Ieſu Chriſto Domino Redemptori & Saluatori meo; Mariæ Deiparæ Virgini, & omnibus Sanctis, quòd ſæpe & multum peccaui, & heu mihi grauiter deliqui contra Dominum Deum meum incredulitate & diffidentia; nec diuinam Maieſtatē, vt debui, ſupra omnia amaui. Deinde & proximum meū non ex animo vt meipſum; ſed multa aduerſus eum iniqua machinatus ſum, & perpetraui. Denique ex diuinis præceptis ne vnum quidem vt par fuit obſeruaui, ſed voluntati & mandatis illius reluctatus ſum. Agnoſco me reum, & culpam meam ipſe profero, quòd plurimum deliqui prauis cogitationibus, verbis inquinatis, & impijs operibus: ſiue ea crimina ſint mortalia, quotidiana, occulta, ſi-

ue ma-

ue manifesta; scienter aut ignoranter commissa, contra Dei cultũ atque amorem, & contra proximi dilectionem: quemadmodum tu, ô Deus omnipotens, in misero me peccatore agnoscis: ego autem vitijs excæcatus nec videre, nec agnoscere possum.

Hæc omnia summatim colligo, & singulis excussis omnium me dico reum, nec aliud possum, quàm deprecari. Te igitur oro æterne & misericors Deus, sis propitius mihi deplorato peccatori propter diuinam tuam gratiam & perennem misericordiam, per filium tuum dilectum Iesum Christum, Dominum & Saluatorem nostrum. Amen.

Ad Missæ introitum. 3

NOn discedimus à te Domine, viui- Psal.79.
ficabis nos & nomen tuum inuocabimus. Memento nostri Domine, in Psal.105.
beneplacito populi tui, visita nos in salutari tuo. Ex desiderio magno clamamus & vociferamur cum patribus nostris; Rorate cæli desuper, & nubes plu- Esa.45.
ant iustum: aperiatur terra, & germinet Saluatorem. Emitte agnum Domine Esa.16.
Dominatorem terrę; ostende nobis Do- Psal.84.
mine misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis. Sedenti super throno & Apoc.5.
Agno benedictio, & honor, & gloria, & potestas in secula seculorũ. Amen. Non discedimus à te Domine, viuificabis nos, & nomen tuum inuocabimus.

4

Ex Granatē ſ. lib. 5 Memorialis.

Ad Kyrie eleiſon. & Gloria in excelſis.

BEnigne Pater, pie Pater, & miſericors Pater, miſerere mei. In remiſſionem omnium meorū, totiusque mundi peccatorum, offero tibi vitam, paſſionem & mortem vnigeniti Filij tui. Offero tibi quidquid in hoc mundo fecit & paſſus eſt, pro noſtra ſalute. Offero tibi omnia merita dulciſſimæ Matris illius, omniumque Sanctorum, vt illorū amore mihi ignoſcas, miſerearis mei, & ęternam vitam mihi largiaris.

Pie Ieſu, Redēptor mi, miſerere mei. Gratias tibi ago pro infinita miſerationum tuarum multitudine, proque gratijs tuis, quæ numerum nō habent, quas contuliſti, & confers quotidie in me miſerum peccatorem. Oro te clementiſſime Domine, fac me omnium meritorum tuorum participem, vt tibi concorporatus, & virtute huius ſacrificij vnum quid tecum effectus, tibi per amorem & imitationem ſanctiſſimæ vitæ tuæ vbique conformis viuam, teque, vt palmes in vite, frui merear, qui es vera vitis, & omnium fidelium vita.

Spiritus Sancte, Conſolator optime adiuua me. Domine mi, commendo tibi animam meam, corpus meum, & omnia quæ mea ſunt. In manus tuas commendo progreſſum & finem vitæ meæ. Da mihi vt illam in tuo cultu & obſequio

transfigam, veram agens meorum peccatorum pœnitentiam, priusquam anima mea ex hoc corporis migret ergastulo. Cæcus & infirmus ego facilè in laqueos affectionum mearum incido; erro facilè, facilè decipior: ideo me tibi cōmendo, & tuæ protectioni me submitto. Ah Domine pauperem hunc & nudum famulum tuum defende, custodi illum ab omni malo. Illumina intellectum meum, rege corpus, moderare animum, conforta spiritum, vt vincat omnes affectus cordis inordinatos. Da fidem certam, spem firmam, & puram perfectamque charitatem. Fac vt cum dulcedine te diligam, & in omni loco atque tempore tuæ voluntati satisfaciam. Amen.

Ad Collectam. 5

DOmine Deus omnipotens, Pater misericordiarū, & Deus totius consolationis: gratias tibi ago infinitas, quia nobis animum addidisti, vt iam ausi simus à te misericordiam flagitare. Dixisti enim per vnigenitum tuum; Petite & accipietis, quærite & inuenietis; pulsate & aperietur vobis. [Ex lib. 5 Memorialis Granatensis.] [Matth. 7.]

Age igitur Domine, si tu is sis, qui me vocas, qui me inuitas, qui expandis brachia tua vt ad te curramus, cur non speremus te nos recepturos? Longè alio loco res apud te sunt, quàm apud homines, qui cùm dant, depauperantur, & ideo ferè semper inuiti rogantur. Non sic apud

te Domine, non sic, quia quẽadmodum tibi nihil decedit, cùm omnia largiris; sic etiam iniquo non fers animo, cùm rogaris: ideoque petere à te misericordiam, non est importunitas, sed obedientia. Tu enim, vt te petamus, præcipis. orare namque te, honorare est, & te glorificare. Cùm aliquid à te petimus, profitemur te Deum, te vniuersalem Dominum, te donatorem omnium, à quo peti debent omnia, cùm nemo præter te det omnia. Imò tu ipse hoc sacrificij genus tibi offerri præcepisti, dicens; Immola Deo sacrificium laudis; & redde Altissimo vota tua. &; Inuoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me.

Psal. 49.

Hac fiducia fretus ad thronum tuæ misericordiæ venio, orans vt mihi tribuas peccatorum meorũ remissionem, veram contritionem & pœnitentiam. Deinde vt tua gratia mihi denuo iustificato des gratiam, ne te in posterum rursus offendam, siue ijs peccatis quæ mihi hactenus familiaria fuerunt, siue alijs quibuscunque. Ante omnia verò gratiam & auxiliuum tuum peto, quo possim carnem meam in seruitutem redigere, linguam refrẹnare, appetitus mortificare, dispersas imaginationis cogitationes colligere: vt sic totus reformatus & renouatus, merear esse viuũ tibi templum, & gratum in quo moreris habitaculum.

Largire quoque virtutes illas, quibus habitaculum istud non solùm purgetur;

ſed etiam ornetur; vt ſunt nominis tui ſanctiſſimi timor, inuicta ſpes, profunda humilitas, inſuperabilis patientia, prudens diſcretio, paupertas ſpiritûs, perfecta obedientia, immota fortitudo & diligentia in omnibus, quæ ad tuum obſequium & cultum pertinent: ante omnia verò ardentiſſima charitas, tam erga te, quàm erga proximum. Da denique, ô Domine, vt in his omnibus in finem vſque perſeuerem, vt te auctore, promotore & conſummatore ſalutis meæ, tandem perueniam, vbi tu viuis cum Filio & Spiritu ſancto per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

Ad Epiſtolam. 6

DOmine Deus Pater cæleſtis, qui non videris niſi à mundis cordibus, inueſtigaui legendo, meditando quæſiui quomodo haberi poſſit cordis munditia, vt ea mediante vel media ex parte poſſem te cognoſcere. Quærebam vultum tuũ Domine, & diu meditatus ſum in corde meo, & in meditatione mea exardeſcit ignis, & deſiderium ampliùs cognoſcendi te creſcit, dum panem ſacræ ſcripturæ frangis mihi, & in fractione panis, in qua cognitus es, quantò plus te cognoſco, tantò plus te cognoſcere deſidero: non iam in cortice literæ, ſed in ſenſu experientiæ. Nec hoc peto propter merita mea, ſed pro tua miſericordia. Fateor enim quòd indignus & pec-

August. in libro de ſcala Paradiſi.

cator ſum, ſed & catelli edunt de micis, quæ cadunt de menſa dominorum ſuorum. Da mihi Domine arrham hæreditatis tuæ futuræ, ſaltem guttam cæleſtis pluuiæ, qua refrigerẽ ſitim meam, quia amore ardeo. Amen.

7 *Ad Graduale, & Tractum, ſi legatur.*

B. Martyr Cyprianus.

DEus Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti filij tui, Deus Patriarcharum, Deus Prophetarum, Deus Apoſtolorũ, Deus Martyrum, Deus Virginum, Deus omnium credentium: Te deprecor Pater Maieſtatis, qui in fine temporis miſertus es noſtri, mittens nobis Ieſum Chriſtum filium tuum, Dominum Deum Saluatorem noſtrum, natum ex Maria virgine de Spiritu ſancto, annuntiante Gabriele Angelo, per quem nos liberaſti de periculo mortis imminentis.

Te rogo, Domine, ſubueni mihi, noli me ſecundum actus meos iudicare: non enim parui præceptis tuis, ſed exomologeſin facientis ante conſpectum tuum pro vniuerſis peccatis meis, qui es amator pœnitentiæ, miſerere mei. Et vt Dauid orat, Domine, propter nomen tuum dele peccata mea: Ita & ego deprecor Maieſtatem tuam; dele vniuerſa peccata mea.

Fac vt fide illibata, mente incorrupta, deuotione robuſta, dilectione & operatione continua in eccleſia tua ſancta perſiſtam, & libera me ab igne &

pœna

pœna perenni, & ab omni tormento, quod parasti iniquis, per bonum & benedictum Iesum Saluatorem nostrum, per quem tibi laus, honor, virtus & gloria in secula seculorum. Amen.

Ad Alleluia, si legatur. 8

GRatias agimus tibi Domine Deus noster omnipotens, qui es, & qui eras, & qui venturus es: quia accepisti virtutem tuam magnam, & regnasti. Apoc. 11.

Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam, & honorem, & virtutem: quia tu creasti omnia, & propter voluntatem tuam erant & creata sunt. Apoc. 4.

Ad Prosam vel Sequentiam, si legatur. 9

OMnipotens æterne Deus, tibi sancti & humiles corde, tibi spiritus & animę iustorum, tibi omnes superni ciues & cuncti beatorum Spirituum ordines, gloriam & honorem suppliciter adorantes concinunt sine fine. Laudant te Domine illi superni ciues magnificè & honorabiliter. Laudat te homo magna portio creaturæ tuæ. Sed & ego peccator homuncio desiderio magno cupio te laudare, amare te opto amore præcipuo. Deus meus, vita mea, fortitudo mea & laudatio mea, dignare me laudare te. Da mihi lumen in corde, verbum in ore, vt cor meum meditetur gloriam tuam, & lingua mea tota die cantet laudes tuas. Sed quia non est pulchra laus in ore pec- Ex Aug. Meditat. cap. 33.

catoris, & quia vir pollutis labijs ego ſum, munda obſecro cor meum ab omni inquinamento : ſanctifica me ſanctificator omnipotens interiùs & exteriùs, & fac me dignum laudibus tuis. Suſcipe benignè & laudabiliter de manu cordis, & de mentis amore, ſuſcipe ſacrificium labiorum meorum, fiatque acceptabile in conſpectu tuo, & aſcēdat ad te in odorem ſuauitatis. Memoria tua ſancta, & dulcedo tua beatiſſima poſſideat totam animam meam, atque in inuiſibilium amorem rapiat eam. Per Christum Dominum noſtrum. Amen.

10

Ad Euangelium.

Ioannes Faber in precat. Chriſt.

MItiſſime Domine Ieſu Chriſte, tu ex mera atque ſingulari gratia & miſericordia voluntatem Patris tui nobis oſtendiſti & reuelaſti : Apoſtolis etiam commendaſti, vt Euangelium vulgo prædicarent ad conſolationem & ſalutem hominum : eſt enim virtus Dei, quæ animas noſtras conſeruare poteſt in æterna patria ; eſt viuus panis & confortatio noſtri ſpiritûs, eſt gladius quo truculentum & infernalem hoſtem reprimere & ſuperare poſſumus ; eſt directio pedum noſtrorum in via recta ; eſt validiſſimus malleus qui ſcopulos & rupes conterit; eſt ignis ardens, qui ſpiritum in amore Dei accendit.

Docet nos per fidem cognoſcere, per charitatem tua præcepta cuſtodire, per

ſpem promiſſiones tuas gratioſas patienter expectare, per timorem ſincerũ ad comminationes tuas contremiſcere. Eſt lex perfectorum, vera libertas ſpiritûs & vitæ. Abſque hac ſumus veluti Sodomæ & Gomorrhæ incolę: hoc ſi deſtituamur, neceſſe eſt vt anima noſtra fame emoriatur.

Quapropter oro te ô mitis Saluator, illumina cor meum, patefac & aperi aures meas internas gratia Spiritûs ſancti, vt verbum tuum humili corde audiam, in obedientia ſpiritûs percipiam; & vt tandem fructus largos proferat in patientia: vt intellectus meus in veritate inſtruatur ad facienda bona, & vitanda atque fugienda mala: vt per me honor tuus & gloria propagetur; anima mea ſalutem conſequatur; hoſtis diabolus deuictus proſternatur; vt inculpatus ad tribunal iudicij tui veniam, æternaque felicitate per te potiar. Amen.

Ad Symbolum. II *Collector.*

OMnipotens æterne Deus, miſer & infelix ego peccator ad te venio, vt hodie coram diuina tua Maieſtate renouem pactum baptiſmale, repetamque fidem tibi in baptiſmo datam & promiſſam. Credo igitur corde & ore confiteor omnia, quæ Chriſtus Ieſus dilectiſſimus filius tuus, & ſponſa illius Eccleſia, inſtinctu Spiritus ſancti edocta, mihi credenda propoſuerunt, ſiue illa expreſ-

ſe iam ſciam & intelligam, ſiue adhuc ignota mihi ſint.

Ore profiteor me credere omnes articulos Symboli Apoſtolici, & ſanctum Christi Euangelium, quod in vniuerſo terrarum orbe annuntiatũ eſt: in quam fidem ex gratia vocatus, natus & baptizatus ſum. Huic me hodie fidei obſtringo, & fateor me ab ea ne vnguem latum diſcedere poſſe, etiam ſi totus mundus, cum omnibus ſuis tyrannis in me inſurgant, priuſquam tu Imperator meus, cui milito, me hoc ſacramento ſoluas, à ſtatione diſcedere iubeas, & in patriam, vbi nulla amplius fides, ſed clara erit viſio, me reuoces. Offero itaque mi Domine intellectum meum tibi in obſequiũ huius fidei.

Quod ſi ex tentatione diabolica, aut ex ignorantia mea aliquid in huius fidei præiudicium dixero, vel cogitauero; id nunc reuoco, & quaſi non dictum, aut non cogitatum haberi volo; nunquam enim tali dicto aut cogitationi ſciens & volens aſſenſum præbebo, adiuuante me tua gratia, Qui viuis & regnas Deus in ſecula ſeculorum. Amen.

12 *Ad Offertorium oblatio ſuiipſius, & ad Collectam ſecretam.*

Ex quodã Germanico libello anonymo

DEus Deus meus ac Pater cęleſtis, ſupplico tibi miſer ego peccator in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, gratia & auxilium tuum præueniant me, vt

memet-

memetipſum tibi offeram hoſtiā viuentem, ſanctam & beneplacentem: ſine tua namque gratia oblatio ſum immunda & peccatorum meorum ſordibus contaminata. Sed in meritis ſanctiſſimi ſacrificij vnigeniti filij tui Domini noſtri Ieſu Christi, quod ille ſummus Sacerdos & ſacrificium ipſum in altari ſacratiſſimæ Crucis pro nobis immolauit, hoſtia mea mundabitur, & ſanctificabitur.

In illo igitur, & per illud ſacrificium ego hodie tibi cæleſtis Pater offero animam meam, cum omnibus ſuis potentijs; offero tibi memoriā, intellectum, & voluntatem meam; fidem quoque, ſpem, charitatem, quæ in me eſt: cor meū cum omnibus ſuis affectibus, corpus & vitam meam cum omnibus viribus internis & externis, cum ſenſibus & omni mea facultate naturali. Offero tibi ſanitatem & robur corporis, fortunam, famam & diuitias meas: offero tibi parentes, filios, cognatos, amicos, & quicquid meū eſt: id omne tibi offero cum humili confeſſione, omnia hæc tua eſſe, & eorum vſum à te mihi conceſſum: omnia namque hęc ex tua bonitate, ſine vllo meo merito, à te accepi.

O Domine Deus, fac tibi ex his ſanctam & beneplacentem hoſtiam; da mihi, vt omnibus his à te perceptis bonis ac donis rectè, & ſecundum diuini verbi tui præſcriptum vti aſſueſcam, ne me illorum Dominum, ſed œconomum &

diſpenſatorem eſſe mihi perſuadeam, cuius adminiſtrationis ratio ſuo tempore à me poſtulabitur.

Concede mihi omnia hæc cum debita gratitudine, animique libertate poſſidere; vt memetipſum iuge tibi holocauſtum offeram in meiipſius abnegatione, voluntatis mortificatione, crucisque meæ voluntaria tolerantia, & Chriſti vera imitatione. O Domine fac mecum quidquid vis; tu enim ſcis quid honori tuo & meæ ſaluti expediat. Quòd ſi aliqua tentatio me inuadat, tædiumque atque moleſtia mihi oboriatur, ex ijs quæ vel mihi, vel meis à te immittuntur, oro te, mi Domine, miſericordiam tuam à nobis ne auertas: cùm ego hodie ex toto corde, totaque anima mea meipſum tuę voluntati deuoueam: & dolet mihi, ſi ex infirmitate aliqua huic deuotioni in poſterum egero quicquam contrarium.

Diſpone igitur de me, Domine, quidquid tibi placet: fiat in me, & de me tanquam de proprio tua voluntas. Secundum ſpiritum promptus ſum & paratus duriſſima quæque pro peccatis meis tolerare, ſaltem tua me gratia atque miſericordia non deſtituat, vt ea patienter feram ad tui nominis gloriam, & criminum meorum expiationem. Immolo tibi quoque ſpiritum hilarem & promptum, vt tibi ſeruiat, te colat; tui namque obſequij debitor ego ſum, & in eo vſque ad mortem cupio perſeuerare.

Defende

Defende me hodie & omni tempore ab omni infortunio animæ vel corporis: da mihi benedictionem tuam, tuere & rege me nunc, & in perpetuum. Amen.

ADMONITIO ANTE PRAEFATIONEM.

QVando stamus ad orationem, fratres dilectißimi, vigilare & incumbere ad preces toto corde debemus. Cogitatio omnis carnalis & secularis abscedat, nec quicquam tunc animus, quàm id solum cogitet, quod precatur. Cypria-nus.

Ideo & Sacerdos ante orationem præfatione præmissa parat fratrum animos dicendo; Sursum corda: vt dum respondet plebs, Habemus ad Dominum; admoneatur nihil aliud se, quàm Dominum cogitare debere.

Ad Præfationem. 13

VEre dignum & iustum est, te benedicere, tibi gratias agere, te adorare in omni loco dominationis tuæ: tu enim es Deus ineffabilis, inuisibilis, incomprehensibilis, semper es similiter existens tu, & vnigenitus filius tuus, & Spiritus sanctus. Tu de non ente ad esse produxisti nos, & lapsos erexisti rursus, & non destitisti omnia faciens vsquequo in cælum reduxisti nos, & regnum futurum donasti. Pro his omnibus

Chrysost. in Liturgia sua.

gratias agimus tibi & vnigenito Filio tuo, & Spiritui sancto.

Gratias quoque agimus tibi, & pro Sacramento isto, quod ex manibus Sacerdotis huius suscipere dignaris, quamuis tibi assistant Archangelorum & Angelorum millia millium; Cherubin quoque & Seraphin agmina sex alas habentium, & oculos multos, eleuatorum & pennatorum, cantantium, clamantium, & sine fine hymnum pro victoria dicentium.

14

Ad Hymnum Angelicum.

S. German. Archiep. Cõstant. in sua Theoria.

SAnctus es Rex seculorum, & omnis sanctimoniȩ dator: tu enim es omnium potens, qui sancta obsignas dona: Sanctus verò & vnigenitus tuus Filius, Dominus noster, Iesus Christus, ante secula ex te ineffabiliter genitus. Sanctus autem & Spiritus tuus, totus sanctus, scrutans omnia, etiam profunda tua, qui Deus es; per quem vniuersa, quæ in cælo & super terram sunt, sanctificantur.

15

Ad sacrum Canonem.

Ex diuersis.

DOmine viuificator & bonorũ suppeditator, qui hominibus Dominum nostrum Iesum Christum, beatam spem vitæ æternæ dedisti, dignos nos facito, qui in sanctitate, hoc quoque tibi diuinum sacrum perficiamus, vt futura beatitudine perfruamur. Vt sub tua potentia semper protecti, & in lucem veri-

tatis deducti, tibi gloriam & gratiarum acti onem referamus.

Oro te pijſſime Pater, per eum qui & Sacerdos eſt, & ſacrificium ſanctiſſimæ huius actionis, ſit mihi hæc oblatio cõtra omnium peccatorum meorum vulnera efficaciſſimum medicamentum; ſit virtutis & gratiæ victorioſiſſimũ complementum; ſit mihi tam in vita, quàm in morte contra omnia pericula validiſſimum tutamentũ; ſit denique ad æternam fortitudinem ſolidiſſimum fulcimentum.

Nec mihi ſolùm, ſed omnibus ſit in remiſſionem peccatorum, & in vitam æternã; in ſanctificationem animarum & corporum, ad fructus bonorum operum ferendos: Non ęnim hæc nobis ſolùm, ſed charitatis memores omnibus fratribus noſtris petimus. B. Iacobus in Liturgia.

Memento igitur Domine ſanctę Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ, quæ eſt à finibus vſque ad fines orbis terrarum, & pacifica eam, quam tu feciſti honorifico ſanguine Chriſti tui. Baſilius in Liturgia.

In primis memento Domine (Papæ noſtri N. nec non &) Archiepiſcopi noſtri (vel Epiſcopi) N. eos da ſanctis tuis eccleſijs ad pacem integros, honorificos, ſanos, longęuos, rectè tractantes verbum veritatis tuæ.

Pijſſimi quoque & fideliſſimi Regis noſtri N. quem decreuiſti regnare ſuper nos; Totius etiam palatij & exercitus il-

lius : armis veritatis & bonæ voluntatis corona eum. Da ei pacificum imperium, vt nos in tranquillitate eius quietam & tranquillam vitam ducamus.

S. Martinus Papa.

Memento Domine omnium fidelium, & populo Christiano miserere. Clerum defende, religiosos in seruitio tuo sancto conseruare dignare, omnesque laborantes conforta : tristes consolare, infirmis sanitatem corporis & animæ restitue; pauperibus ac egentibus omnia ad vtrumque hominem necessaria tribue; peregrinis ac exulantibus cum salute ad propria fac remeare; in periculis aquarum positis ad portum suæ voluntatis fac pertingere ; prægnantibus partũ gaudij misericorditer largire. In vinculis & carceribus detentos absolue; omnibus cum quibus peccauimus, vel quos ad peccandum induximus, & nobis misericors Pater indulge; omnibus quos conturbauimus, læsimus, scandalizauimus, vel defraudauimus, tu gratiose Pater retribue.

Errantes corrige, incredulos ad fidem conuerte, schismaticos ad vnitatem sanctæ Ecclesię fac redire, & ipsis lumen tuę veritatis ostende : peccatoribus veram pœnitentiã largire, iustos in bono proposito fac perseuerare.

Omnibus meis parentibus, amicis & inimicis, confratribus & consanguineis, familiaribus & benefactoribus, omnibusque pro nobis Deum exorantibus,

vel

orationibus noſtris ſe commẽdantibus, omnia bona tribue, & eos ab omni malo defende; in tuoq; eos ſeruitio fac perſeuerare, vſque in finem. & poſt huius curſum miſeriæ ad te, qui es vera patria, merces, præmium æternum, & gloria, fac peruenire.

Ad memoriam Sanctorum. 16

Ex Liturgia D. Baſilij.

CVmque omnes Sancti & Sanctæ cæleſtis patrię ciues & incolæ, ô Deus, tuam miſericordiam laudabiliſſimam, & amorem tuum erga genus humanum imitantes, aſſiduas preces atque obſecrationes pro nobis tibi offerant: nos etiam memoriam eorũ celebremus; vt quando nobis ipſi parum fidimus, memoria & legatione eorum protecti, per eos audeamus ad te accedere. Per interceſſionem igitur ſanctiſſimæ, immaculatæ, glorioſiſſimæ, benedictæ Dominæ noſtræ Matris Dei, & ſemper virginis Mariæ, & omnium qui inde à ſeculo placuerunt tibi Patrum, & Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, ac omnium denique Sanctorum, eſto expiator præuaricationum noſtrarum. Quia ſanctus ipſe es, & in Sanctis acquieſcis. Amen.

Sub Conſecratione. 17

Ex Liturgia B. Iacobi.

SIleat omnis humana ac mortalis caro, ſtetque cum metu & tremore, ac nihil terreſtre apud ſeipſam cogitet. Rex

enim regnantium, & Dominus Dominantium, Christus Deus noster progreditur, vt immoletur, & detur in cibum fidelibus. Ipsum autem antecedunt Angelorum chori, cum omni imperio & potentia; Cherubin multorum oculorum, ac Seraphin sex alarum, faciesque velantia, & cum clamore canentia hymnum, Alleluia, Alleluia, Alleluia.

18 AD ELEVATIONEM *Hostiæ sacræ.*

D. Thomas Aquinas.

ADoro te deuotè latens Deitas, quæ sub hac figura verè latitas. Tibi se cor meum totum subijcit; quia te contemplans totum deficit; Visus, gustus, tactus, in te fallitur; sed auditu solo tutè creditur. Credo quicquid dixit Dei filius; Nihil veritatis hoc verbo verius. In cruce latebat sola Deitas; sed hîc latet simul & humanitas. Ambo tamen credens atque confitens, peto quod petiuit Latro pœnitens: Plagas sicut Thomas non intueor, Deum tamen meũ te confiteor. Fac me tibi semper magis credere; In te spem habere, te diligere. O memoriale mortis Domini; Panis verus vitam præstans homini; præsta meæ menti de te viuere, & te illi semper dulce sapere.

19 *Ad eleuationem Calicis.*

Collector.

SAlue ô sanguis Christi prænobilis, sub figura vini latens humilis; per te redemptus mundus, fracta tartara; aper-

tum cælum, per tot clausum secula; cùm de Saluatoris nostri pectore, salutari scaturires flumine. O ros cælestis, ô liquor purpuree: ô calix præclare salus mentis meæ; tu me refrigera in peccati fomite; ab omni me peccantem munda crimine, & amore tui me inebria, vt pocula tua gustem quàm dulcia, & quàm iucunda sunt tua solatia.

O pie Pelicane Iesu Domine, me immundum munda tuo sanguine, cuius vna stilla saluum facere, totum mūdum posset omni scelere. Iesu quem velatum nunc aspicio, quādo fiet illud quod tam sitio; vt te reuelata cernens specie, visu sim beatus tuæ gloriæ? D. Thomas.

20

Post eleuationem, filij pro peccatis nostris ad Patrem oblatio.

O Clementissime & supreme cæli, terræque Creator ac Domine, ecce ego licet omnium peccatorum primus, ac maximè detestabilis, vnà cum Ecclesia offero tibi pretiosissimū, & quo non aliud tibi gratius est, sacrificium; Vnigenitum scilicet filium tuum, Dominum nostrum Iesum Christum, pro expiatione & satisfactione omnium meorum peccatorum, quæ ab infantia mea, vsque in hanc horam nequiter commisi; & pro omnibus hactenus à tua liberalitate perceptis beneficijs. Granatēs. lib. 5 Memorial. ex cap. 5. 6. 7. & 8. Meditat. B. August.

Aspice igitur, ô pie Pater, pijssimum hunc Dominum nostrum Iesum Chri-

ſtum, filium tuũ, pro me tam impia paſſum. Reſpice clementiſſime Rex quis patitur, & reminiſcere benignus pro quo patitur. Nónne hic eſt, mi Domine, innocens ille, quem vt ſeruum redimeres, filium tradidiſti? Nunquid auctor vitæ hic eſt; qui vt ouis ad occiſionẽ ductus, tibique vſque ad mortem obediens factus, atrociſſimæ nõ timuit necis genus ſubire? Recole totius ſalutis diſpenſator, quia hic eſt ipſe, quẽ etſi ex tua virtute genuiſti, meæ tamen infirmitatis participem fieri voluiſti. Verè hæc eſt tua Deitas, quæ meam induit naturam, crucis aſcendit patibulũ, quæ in aſſumpta carne triſte tulit ſupplicium.

Reduc Domine Deus meus oculos tuę Maieſtatis ſuper opus ineffabilis pietatis. Intuere dulcem natum toto corpore extenſum: cerne manus innoxias pio manantes ſanguine, & remitte placatus ſcelera, quæ patrarũt manus meæ. Conſidera inerme latus crudeli perfoſſum cuſpide, & renoua me ſacro fonte, quem inde credo fluxiſſe. Vide immaculata veſtigia, quæ non ſteterunt in via peccatorum, ſed ſemper ambulauerunt in lege tua, diris confixa clauis, & perfice greſſus meos in ſemitis tuis, & fac me odio habere benignus omnes iniquitates meas: viam iniquitatis amoue à me, & fac me propitius viam veritatis eligere.

Oro te Rex Sanctorum per hunc Sanctum Sanctorum, per hunc Redempto-

rem

rem meum, fac me currere viam mandatorum tuorum, vt ei valeam ſpiritu vniri, qui mea non horruit carne veſtiri. Nunquid non attendis pie Pater adoleſcentis filij chariſſimi caput niuea ceruice deflexa, pretioſiſſimam reſolutum in mortem? Aſpice mitiſſime Conditor dilectæ ſobolis humanitatem, & miſerere ſuper infirmi plaſmatis debilitatem. Candet nudatum pectus, rubet cruentum latus, tenſa arent viſcera, decora languent lumina, regia pallent ora, procera rigent brachia, crura pendent marmorea, rigat terebratos pedes beati ſanguinis vnda.

Specta glorioſe genitor gratiſſimæ prolis lacerata membra, & memorare benignus quæ mea eſt ſubſtantia; conſpicare Dei hominis pœnam, & relaxa conditi hominis miſeriā. Vide Redemptoris ſupplicium, & redempti dimitte delictum.

Ecce omnipotens Deus, Pater Domini mei, diſpone benignus, quo miſerearis mei: quoniam quidquid pretioſius inueni, deuotè obtuli; quidquid charius reperi, ſuppliciter præſentaui. Direxi tibi Aduocatum meum, dilectum filium tuum. Amplectere ſerenus paſtorem, & reſpice miſericors allatam proprijs humeris ouem. Oro te pie Pater, da mihi, vt illum merear habere Aduocatum, quem nullo meo merito, ſed ex pura tua gratia mihi dediſti Redemptorem. Amen.

21 Seuerus Patriarcha Alexand. in prec. abecedarijs Syrorum.

Ad memoriam defunctorum.

RECordare Domine animarum nostrarum, & animarũ patrum & fratrum nostrorum, & præceptorum nostrorum, & defunctorum nostrorum, omniumque defunctorum fidelium, filiorum ecclesiæ sanctæ & gloriosæ.

Tribue requiem Domine Deus animabus eorum, & eorum spiritibus, eorumque corporibus, & asperge rorem miserationum super ossa eorum: miserator & misericors esto nobis & ipsis Christe Rex noster, colloca eos, Domine mi, in mansionibus benedictis domûs patris tui, cum Abraham, Isaac, & Iacob, amicis tuis, & cum omnibus Sanctis, qui executi sunt voluntatem tuam in fide vera, & Patris tui, & Spiritus tui sancti in secula seculorum. Amen.

22 *Collector.*

Ad memoriam Sanctorum.

NObis Domine quos vocasti, & quos sanctificasti portionem da in vocatione tua, & fortifica nos in amore tuo, & custodi in sanctificatione tua. largire nobis vitam inculpatã, vt inueniamus misericordiam & gratiam cum omnibus Sanctis tuis Patriarchis, Prophetis, Apostolis, Martyribus, Confessoribus, atque Virginibus; omnibusque ijs qui ab æterno tibi placuerũt: intra quorum nos consortiũ, non æstimator meriti, sed veniæ quæsumus largitor ad-

mitte:

mitte: vt te rectore, te duce inter Scyllam & Charybdim iter tenere, per mediũ, & integra naue, saluisque mercibus ad te portum tutissimũ peruenire valeamus. Da vt anima nostra terreno resoluta carcere libera cælum petat, beatis admixta spiritibus; Maiestati tuæ assistat, te incircũscriptum lumen cernat; qui viuis Deus per omnia secula seculorũ. Amen.

Ad Orationem Dominicam. 23

OMnipotens, æterne ac cælestis Pater, qui per filium tuũ vnigenitum Dominum nostrum Iesum Christũ precandi rationem discipulis præscripsisti tibi offerendam, & eandem post illos in nos deriuasti, simulq́; docuisti, te requirere oratores, qui in spiritu & veritate tibi supplicent. Nos miseri peccatores, absorpti mendacio, vacuique spiritu te oramus Patrem cęlestem, per eundem filium tuum, qui est veritas, vt propter illum in nos abundè effundas Spiritum sanctum, qui nos in numerum filiorum adoptet, quorum tu Pater es; vt nostræ infirmitati subsidio sit, nos doceat, quid, & quomodo iuxta sanctam voluntatem tuam orandum. Adeoque inter nos exclamet, Abba pater, animo meo dilectissime genitor; & sic desiderium & votum nostrum in conspectum tuum producat, in quo clementer exaudiamur. Per eundẽ Iesum Christum Dominum nostrum. Amen.

Timãnus Borkensis in Enchiridio.

Deinde Orationem Dominicam, si volueris, subiunge.

24 Ex Missali Gottico MS.

Ad Agnus Dei.

AGnus Dei, qui tollis peccata mundi, respice in nos, & miserere nobis; factus nobis ipse hostia, qui Sacerdos; ipse præmium qui Redemptor: à malis omnibus, quos redemisti, custodi.

25 Ex eodem Missali.

Ad osculum Pacis.

COmple Domine vota supplicum, exaudi gemitus peccatorum: osculetur nos osculo oris sui pacis Magister, & conditor; vt in nobis hoc [spiritualiter] recipientibus holocaustum, pacem, quam speramus, habeamus. Amen.

26 Ex Missa Æthiopũ.

Oratio pro pace.

ECclesiam quæ fuit à principio, & erit vsque in finem seculi; omnes populos, & omnes greges benedic Domine. Pacem de cælo mitte super omnes animas nostras: pacem vitæ nostræ da nobis, per ipsam Ecclesiam. Da Domine pacẽ Regi nostro N. & Principibus eius, ac Iudicibus eius, & subditis eius, & circa nos congregatis, tam extra, quàm intra Ecclesiam. Orna eos omni genere pacis, Rex pacis: pacem da nobis, quia omnia dedisti nobis. Conserua nos Domine, quia præter te neminem cognoscimus: nomen sanctum tuum nominamus, & inuocamus, vt viuat anima nostra in Spiritu sancto, nec inualescat

mors

mors peccati super nos seruos tuos, & super omnem populum tuum. per Christum Dominum nostrum. Amen.

OBSERVATIO
Ante Communionem.

APostolorum tempore, & in primitiua Ecclesia mandatũ erat, ne quis tremendo Missæ sacrificio interesset, qui non etiam sacramentaliter communicaret. Vnde Anacletus; Peracta, inquit, consecratione omnes communicent; qui noluerint ecclesiasticis carere liminibus. Sic enim statuerunt Apostoli, & sancta Romana tenet ecclesia. Sed si qui initio Missæ, quæ Catechumenorum dicebatur, interesset, is post Euangelicã lectionem, si præparatus ad communicandum non erat, eijciebatur: vt patet ex verbis Dionysij Areopagitæ, de Hierarch. Eccles. cap. 3. Illud autem conueniebat paruo isti Christianorum numero, ad plantanda nouellæ illius Ecclesiæ germina.

De cõsecrat. dist. 2. c. Peracta.

Crescente postea Christianorum plebe, & deuotione decrescente, quod antea mandati erat consilij esse cœpit, & quod singulis diebus antea fiebat, id Dominicis tantùm in vsu habitum est. Inde sub Fabiano Pontifice statutum, vt saltem ter in annis communicarent; cui præcepto cùm postea nõdum satisfieret, eò quòd charitas in Deum magis, magisq; refrigesce-

Vide Ioannem de TurreCremata & Extrà de Paroch. cap. 2.

ret,

ret, sub Innocentio III, in Concilio Lateranensi decretum est, vt omnes vtriusque sexus homines, mox vbi sapere iam inceperint, reuerenter ad minus semel singulis annis, in Paschate Eucharistiam suscipiant, nisi quis viuens ab ingressu Ecclesiæ arceri, & moriens Christiana carere sepultura voluerit.

Nihilominus quouis tempore Christiani ad sacramentaliter communicandum non præparati, in Ecclesiā admittebantur, vt orarent, pacem haberent, benedictionem cum cæteris acciperent, & spiritualiter communicarent.

Illi autem spiritualiter communicant, qui audientes Missam, orantes & adorātes Christum in sanctissimo hoc Sacramento, cogitant sine intermissione de illo, animo flamma deuotionis accenso, intentoq; desiderio illum percipiendi; & sancta quadam æmulatione Sacerdoti, aliisq; sacramentaliter Christum sumentibus, inuident.

27

ORATIO

Ante Communionem spiritualem.

Collector. DOmine Iesu Christe, qui in his sacrosanctis & augustissimis mysteriis ad nos venire, & in incruenti huius sacrificij mensa omnibus te manducare volentibus apponi dignatus es; nosque omnes ad tremendum hoc epulum inuitas; ecce ego infelix peccator, hircus inter agnos tuos, etiam hîc assisto, si fortè

mihi misero catello, vel micula quædam decidat, quo esurientem & desiderio tui latrantem ventriculum satiem.

Cupio, ô melliflue Iesu, & quidem ex toto corde appeto, te panem cælestem, omnem dulcedinem habentem; hoc est, te verum Deũ cum Zachæo in domum pectoris mei reuerenter excipere, vt cœnes mecum, & habites mecum; sed propter vilitatem atque nimiam meam indignitatem id facere vereor & erubesco.

Cęterùm, ô pijssime Iesu, qui non semper actiones ipsas, sed & interdum desideria hominum intueris, & accipis; ecce quod sacramentaliter non audeo, id spiritualiter facere desidero. Ecce dilato os animæ meæ, & brachia desideriorum meorum latè ad te expando, veni, ô bone Iesu, veni cum omnibus meritis & gratijs tuis, vt anima mea te impatienter esuriens bonis tuis impleatur.

O gratiosissime Iesu, qui Sacerdotem hunc publicum Ecclesiæ tuæ ministrum nobis dedisti, vt sit nobis in ijs quę sunt ad Deum, vt offerat dona & sacrificia pro peccatis, quodque oblatum est pro se, pro viuis omnibus & defunctis sumat; vt per eum, quasi per canalem sanctæ & viuificatricis huius immolationis fructus ad nos deriuentur; tolle quęso, si quod in me sit obstaculum; vt & ego horum donorum particeps fiam; portio quædam ad me dilabatur, mens mea hoc quotidiano & supersubstantia- Heb. 5.

li pane ſpiritualiter ſaltem recreetur, & præclaro ſalutaris calice anima ſuauiter inebrietur. Amen.

28 Ex libello cuititulus Hymni & Collectæ.

Sub Communione & deinceps.

DOmine, non ſum dignus vt intres ſub tectum meum : dic tantùm verbum, & ſanabitur anima mea. Reſpice me à longè ſtantẽ cum Publicano, tundentem pectus, & dicentem tibi ; Deus, propitius eſto mihi peccatori. (Luc. 18.)

Da trementi & adoranti tam horrenda myſteria ſpiritaliter ſaltem manducare carnem, & bibere ſanguinem tuum. Da mihi per viuam in te fidem inuiſibiliter ſaginari de te, dulciter videlicet recolenti & credenti, benedictam carnem tuam pro me in cruce fractam & immolatam, & ſanguinem tuum de latere tuo effuſum, in remiſſionem peccatorum meorum. Da ſpiritu participare, vt tu in me, & ego in te manens, ſpiritu tuo vegeter & incendar ad currendam viam mandatorum tuorum. (Chryſoſtomus. Aug. lib. 3 de doct. Chriſt.)

Reple me ſpiritu vnitatis & charitatis, & conſtabili me in ſocietate omnium Sanctorum tuorum ; quæ etiam hoc diuiniſſimo Sacramento ſignatur, quod ex his conficitur, quę ex multis in vnum rediguntur. Da denique vt eſuriam & ſitiam, & toto corde deſiderem hunc panem vitæ, qui de cælo deſcendit, nõ modò ſpiritu per fidem, ſed & in Sacramento de menſa tua, pura & ſecura mente, & (Aug. in 6 cap. Ioan.)

caſto

casto corpore frequenter accipere; vt hinc non solùm animæ meæ, sed & carnis substantia fulciatur & custodiatur in vitam æternam. Amen.

Ad vltimam Collectam. 29

INuoco te clementissime Deus in animam meam, quam præparas ad capiendum te, ex desiderio quod inspiras ei. Intra rogo in eam, & coapta eam tibi, vt possideas illam quam fecisti, & sacris mysterijs tuis refecisti, vt habeam te velut signaculum super cor meum. Quæso pijssime inuocantē te non deseras, quia priusquam te inuocarem me vocasti, & quæsiuisti, vt ego seruus tuus te quærerem, quærendo inuenirem, & inuentum amarem. Aug. lib. de contempl. diuina.

Quæsiui & inueni te, Domine, & amare desidero. Auge desiderium meum, & da quod peto; quoniam si cuncta, quę fecisti, mihi dederis, non sufficit seruo tuo, nisi teipsum dederis. Da ergo teipsum mihi Deus meus, redde te mihi. En amo te, & si parū est, validiùs amem. Tuo ergo amore teneor, tuo desiderio flagro, tua dulci memoria delector. Ecce dum tibi mens mea suspirat, & tuam ineffabilem pietatem meditatur, ipsa carnis sarcina minùs grauat, cogitationum tumultus magis cessat, pondus mortalitatis & miseriarum, more solito, non hebetat.

Assumat igitur spiritus meus pennas

vt aquilæ, volet & non deficiat, volet & perueniat vsque ad decorem domus tuæ, & thronum gloriæ tuæ: vt ibi super mensam ciuium supernorum pascatur de occultis tuis, in loco pascuę, iuxta fluenta plenissima. Tu esto exultatio nostra, qui es spes nostra, salus & redēptio. Tu esto nostrum gaudium, qui es futurus præmium. Te semper quærat anima mea, & tu præsta, vt quærendo non deficiat. Amen.

30 D. Thomas Aquin.

Ad Benedictionem.

ANima Christi sanctifica me ✠, Corpus Christi salua me; sanguis Christi inebria me; aqua lateris Christi laua me; passio Christi conforta me.

O bone Iesu exaudi me, intra vulnera tua absconde me; & ne permittas me separari à te; ab hoste maligno defende me, in hora mortis meæ voca me, & iube me venire ad te, vt cum Sanctis tuis laudem te in secula seculorum. Amen.

31 Ex hortulo deuotionis.

CANTICVM DE B. *Virgine Maria.*

TE cæli Reginam laudamus; te mundi Dominam honoramus. Te laudant è iure vniuersæ creaturæ, Matrem immensæ claritatis; Aulam summæ Trinitatis; Sole diuinitatis amicta, Luna supplantans benedicta: Tota glorificata, His stellis es coronata. Tu æterni Patris es filia dilecta; Tu filij Dei geni-

trix electa; Sancta quoque sponsa Paracleti. Tibi omnes obediunt Angeli; Te cæli cælorum inæstimabiliter amant; Tibi Cherubin & Seraphin ineffabili voce proclamant, Salue, Salue, Salue ô Domina gloriæ: Pleni sunt cæli & terra suauitatis gratiæ tuæ. Tu Apostolorum Regina; Tu Euangelistarum doctrina; Te Prophetarum laudabilis numerus; Te Patriarcharum veneratur cuneus. Tu Martyrum victoria; Tu Confessorum es gloria: Te Paradisi rosæ, Virgines formosæ, laudant & continentes in choro suo canentes. Aue regina dulcissima, gaude Domina nostra dignissima; Quæ gratiam sanctis infundis, quæ liberas animas de profundis: Te ergo & nos rei rogamus, ô Genitrix Dei, succurre populo isti, quem pretiosus filij tui redemit sanguis Iesu Christi. Superna fac cum Sanctis & nos gloria munerari; Per te mereamur, ô Mater sancta, piè consolari semper. Tot prærogatiuis sanctitatis coronata, in gloria Patris; Tot priuilegijs dignitatis gaudens iure Matris; Iucundare, lætare, gaude maior omni laude. O clemens, ô pia, ô dulcis Virgo Maria.

Vers. Dignare me laudare te Virgo sacrata:

Resp. Da mihi virtutem contra hostes tuos.

ORATIO.

Ex Breuiario Romano. COncede misericors Deus fragilitati nostræ presidium, vt qui sanctę Dei Genitricis memoriam agimus; intercessionis eius auxilio, à nostris iniquitatibus resurgamus. Per eũdem Christum Dominum nostrum. Amen.

33 *Ad vltimam benedictionem.*

Ex libello cui titulus Hymni & Collectę. BEnedicat nos Deus Pater ✠: Custodiat nos Iesus Christus ✠: Illuminet nos Spiritus sanctus ✠ omnibus diebus vitæ nostræ: Confirmet nos virtus Christi, intercedentibus Sanctis suis indulgeat nobis vniuersa delicta nostra. Amen.

CAPVT TERTIVM, CONTINENS ORATIONES POENITENTIVM, PRO impetranda remissione peccatorum.

PRAEFATIO.

Lib. 2 Cõstit. Apost. cap. 59. DEVS cùm misericordiæ Deus sit, inquit D. Clemens, à principio singulas generationes ad pœnitentiã vocauit per iustos & Prophetas. Atque illos quidem, qui ante diluuium fuerunt, per Abel, Sem & Seth: præterea per Enos & Enoch, qui fuit translatus. Qui in diluuio reperti sunt, per Noe: qui erant Sodo-

Genes. 5. Genes. 7.

mis, per hospitalitatem Loth. Eos qui post diluuium nati sunt, per Melchisedech, per Patriarchas, per S. Iob. Qui in Ægypto fuere, per Mosen: Israelitas per eundem, & per Iesum, Caleb, Phinees, & reliquos. Eos qui post legem fuere, per Angelos & Prophetas; eosdem per propriam incarnationem ex Virgine factam. Eos qui fuerunt paulò ante corporalem eius manifestationem, per præcursorem Ioannem, dicentem; Pœnitentiam agite &c. Qui post eius passionem fuerunt, per duodecim Apostolos, per vas electionis Paulum; & nunc per Apostolorum successores. Ad quod igitur Deus omni ætate tam solicitè suos adhortatus est, id nequaquam à nobis surda aure debet præteriri. Est enim pœnitentia secunda post naufragium tabula. Vt naufragus igitur alicuius tabulæ fidem, sic nos pœnitentiam amplexemur. Hæc enim nos peccatorum fluctibus mersos proleuabit, & in portum diuinæ clementiæ protelabit.

Genes. 19.
Genes. 14.
Tertull. lib. de pœnitent.

Huius pœnitentiæ si habitum inspiciamus, efficiens causa Deus est; à quo immediatè infunditur, sine nobis principaliter operantibus: est enim hæc mutatio dexteræ excelsi. si verò actus consideremus, nos Deo operanti cooperamur. Initio enim Deus peccatorem inspiratione veræ pœnitentiæ (qua de admissis peccatis homo dolet) præuenit, & ad peccatorum exomologesin, satisfactionemq; congruã excitat, at-

Vide Prosperũ ad obiectio. Vincentianam 15.

que impellit. Deinde fidem charitate destitutam, & peccati sordibus inquinatam Spiritu suo sancto suggerente redintegrat, & fiduciam sperandæ pietatis indulget; non in operum merito, quæ impius ipse in impietate sua fecit; sed in sanguine Iesu Christi repositam. Hac fiducia erectum ad se, & conuersum (dum homo firmum propositum amplius non peccandi concipit) per Sacramentum pœnitentiæ in verbo absolutionis à peccatis omnibus misericorditer absoluit, & liberat. Simulq; Spiritum suum sanctum, quem homo peccando contristârat, ac repulerat, in visceribus eius innouat, ac restituit: qui deinceps concupiscentiam, quæ ante conuersionem peccatorẽ violenter post se rapiebat, reprimit, & mortificare incipit: vt amodò non regnet peccatũ in mortali corpore, nec obediatur concupiscentiæ, sed Deo: & moueantur membra ad seruiendum deinceps, non immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem; sed iustitiæ ad sanctificationem. Sic Deus relapsum post baptismum restituit, & ex iniusto iustum facit. Siue igitur initium, siue medium, siue finem pœnitentiæ cõsideremus, vbiq; gratia & auxilio Dei nobis opus est, quæ nulla re faciliùs nobis, quàm oratione demeremur.

Partes autem Pœnitentiæ, quatenus Sacramentum est, tres sunt cuiuis notißimæ; Contritio, Confeßio & Satisfactio: & in his singulis oratio nobis est necessaria. Quantũ enim

ad Contritionem, non est in potestate peccatoris, vt ipse sibi largiatur hunc affectum: sed Dei donum est gratuitum, ab illo tamen lachrymis, precibus, alijsq; pijs studijs ambiendum. In Confeßione adeò diuina nobis opus est gratia, vt cùm densißimis in tenebris versemur, sine hac inter peccatum & non peccatum dijudicare nequeamus: sed nec obscuros conscientiæ nostræ angulos sine diuini luminis ope scrutari, nec quod corde concepimus, ore (nisi aperiat illud Deus) proferre commodè valeamus. Hæc omnia precibus impetrantur. In Satisfactione adeò nobis oratio est necessaria, vt ipsa oratio satisfactionis nequaquam minima pars sit.

Cùm itaque in singulis his partibus ad orationis subsidium nobis recurrendum sit, nos singulis etiam suas peculiares orationes dedimus: vt habeat deuotus orator in promptu, quidquid in singulis pœnitentiæ actionibus sibi erit necessarium.

PRO CONTRITIONE.

TRES ORATIONES AD EXcitandam in anima contritionem & dolorem peccatorum.

ORATIO I.

O Vnigenite fili Dei, magna & ineffabilia sunt, Domine mi, tua beneficia, quæ à te percepi: tu me de puluere & — 1 Lod. Granat. lib. 2 Memorialis cap. 11.

re & limo terræ aſſumpſiſti, & animam meam de nihilo ad imaginem & ſimilitudinem tuam creaſti, gloriæque tuę capacem feciſti. Tu mihi intellectum, memoriam, voluntatem, liberum arbitrium, cum omnibus membris meis & ſenſibus dediſti, vt cum ijs te & cognoſcerem, & amarem. Tu me cuſtodiſti in anguſtijs vteri matris meæ, ne in illis ſine Baptiſmo præfocarer. Tu me poſt tot peccata, vſque in præſentē diem, patienter ſuſtinuiſti: cùm interim multi alij ſint, qui minùs peccauerint, quàm ego; & tamen quia illos hucuſque expectare noluiſti, nunc forſitan in Inferno torquentur. Super hæc omnia verò placuit tibi incarnari, & inter homines pro me conuerſari, pro me affligi & tribulari, ſudore ſanguineo perfundi, capi, ligari, palmis cædi, conſpui, illudi, blaſphemari, candida & purpurea veſte vt morio veſtiri; flagellis lacerari, ſpinis coronari, arundine percuti, oculis velari, ad mortem damnari, & ad locum ſupplicij duci; habens in humeris crucem cui durís clauis affixus es, interq; latrones duos ſuſpenſus, & pro malefactore iudicatus, fel bibiſti, & acetum; denique morte crudeliſſima extinctus es. Tot me, Domine, laboribus & doloribus redemiſti, & tamē ego viliſſimus & peruerſiſſimus peccator, tot beneficijs ingratus, toties nunc denuo te percuſſi, & peccatis meis in crucem egi. Quare dignus ſum, vt

omnes

omnes creaturæ insurgant in me, & vindictam sumant de hac mea iniuria.

Quid dicam de abusu tuorum Sacramentorum, & medicamentorum, quæ mihi pretioso tuo sanguine, & instituisti, & comparasti? Tu me pro tuo suscepisti in Sacramento Baptismatis, ibi me in filium adoptasti, & quasi templum tuum consecrasti: ibi me tanquam Sacerdotem, Regem, & athletam, cui cum inimico luctandum esset, vnxisti; ibi animam meam tibi desponsasti, & contulisti mihi omnem nobilitatem, quæ ad hanc dignitatem requirebatur. Sed quomodo his omnibus beneficijs & ornamentis à te acceptis vsus sum? Quas cogitationes habui de istis diuitijs conseruandis? Tu me suscepisti pro tuo filio, & ego factus sum seruus peccati. Tu me in templum tuum sanctificasti, & ego me feci habitationem Dæmonum. Tu me armasti, vt generosum militem, & ego defeci, & ad inimicos tuos transfugi: tu me Regem fecisti, & ego in Regno, quod mihi dedisti, superbiui: sponsasti animã meam tibi in perpetua charitate, & ego magis amaui vanitatem, quàm veritatem, plus creaturas, quàm Creatorem. AEquum sanè, imò equissimum esset, ô Domine, vt vel tandem flere, plangere, & lamentari inciperẽ, cùm tot & tam enormia facinora commiserim.

Hoc est quod tanto tempore à me ex-

pectasti, quanto mihi vitam dedisti: toties enim me vocasti, & tamdiu me sustinuisti; percussisti me, & iterum mihi blanditus es: omnes vias modosque tentasti, vt me ad te retraheres. Me expectasti, & ego tua patientia sum abusus; me vocasti, & ego ad tuas voces obsurdui: tu mihi dedisti tēpus pœnitentiæ, & ego illud in mea superbia consumpsi: tu percussisti me, & ego non sensi; tu afflixisti me, & ego nolui suscipere correctionem: tu sudasti, vt me mundares, & ego lotus non sum: tu igne me probasti, & rubigo vitiorum meorum non est extersa: flagellis tuis æquè vt tuis blanditijs induratus sum, ingratus his, rebellis istis.

Nihilominus Domine, cùm tot & tanta pro me passus sis, præcepisti mihi ne desperarem, nec tibi diffiderem. Conuerto igitur me totum ad tuam misericordiam, & supplico tibi, da mihi gratiam, vt possim meipsum emendare: quò sic in posterum tibi placeam, tibique seruiam, ne vnquam me rursum à te auertam: sed tibi semper adhæream, per omnia secula seculorum. Amen.

2

PRO CONTRITIONE ORATIO II.

Idem ibi dē cap. 12.

O Supreme Factor omnium rerum creatarum, cùm mecū cogito, quàm grauiter infinitam tuam Maiestatē meis peccatis offendi, horreo, & insaniam

meam deteſtor; conſiderans quàm benignum & venerabilem Patrem reliqui, execror ingratitudinem meam; cùm video de quàm nobili libertate in ſeruitutem tam miſeram prolapſus ſum, maledico inconſtantiæ meæ; & neſcio, quid mihi ante oculos ſtatuam, niſi iudicium & infernum: iuſtitia enim tua, quam fugere non poſſum, terret meam conſcientiam.

Econtrariò cùm intueor immenſam tuam miſericordiam, quæ ſecundum Prophetæ tuæ teſtimonium ſuperat omnia opera tua, mox aura iucundiſſima ſpei me refocillat, animamque meã nimis debilẽ corroborat: quemadmodum enim antea deſperabam, ſic inuenio hîc remiſſionem peccatorum in eo, qui per Prophetarum ſuorum ſcripta toties inuitat peccatores ad pœnitentiã, dicens; Nolo mortem peccatoris, ſed magis vt conuertatur & viuat. Sed & filius tuus vnigenitus multis ſimilitudinibus oſtẽdit, quàm paratus es ad ignoſcendũ his, qui pœnitentiam agunt. Illud ſignificauit per denarium amiſſum, per ouẽ perditam, & in humeris paſtoris ad ouile relatam: potiſſimùm autem per filium prodigum, cuius imaginem in me agnoſco: ego enim ille ſum, qui verè patrem meum amantiſſimum deſerui, omnem ſubſtantiam meam diſſipaui; qui obediens appetitibus carnis meæ mandatorum tuorum obedientiã fugi, & in tur-

Pſal.144.

Ezech.18.

Luc.15.

pissimam peccati captiuitatem cecidi: nunc in extrema necessitate constitutus sum, ex qua quis me eruet planè ignoro, nisi is quem deserui.

Recipe igitur, Domine, per tuam misericordiam me humilem seruũ tuum, à te remissionem suppliciter petentem. Sed cùm in hanc vsque horam me tam benigniter (frustra tamen) expectasti) fateor non sum dignus qui oculos meos in cælum tollam, vel te patrem meum appellem: tamen quia verè Pater meus es, dignare me paternis oculis intueri. solus enim aspectus tuus mortuos viuificat, & omnes errantes ad sese retrahit: hanc enim qualemcunque pœnitẽtiam, quam nunc habeo, habere non potuissem, nisi tu me respexisses.

Quando vagans à te aberraueram, de cælo tuo altissimo eminus me despexisti, oculosque mihi aperuisti, vt memetipse intuerer, conscientiam meam scrutarer, & me tantis malis exundantẽ conspicerem. Veni ergo Domine, ad recipiendum me; da mihi cognitionẽ & memoriam innocentiæ perditæ. Non peto amplexus tuos, non oscula tua; non oro vt des splendidam illã vestem, qua indui soleo; non antiquæ meæ dignitatis annulum: non precor, vt me recipias in statum & dignitatem tuorum filiorum; sed gratulabor mihi, si me inter mercenarios domus tuę, stigmate tuo notatos, & vinculis tuis ligatos numeraueris, ne

vnquam in posterũ te fugiam : non erit mihi molestum, etiamsi in hac vita vnus sim ex contemptissimis domus tuæ famulis, saltem ne me in perpetuum à te separes.

Exaudi me itaque pie Pater, & da mihi gratiam vnigeniti Filij tui, & mortis illius merita mihi communica. Da mihi Spiritum tuum, vt purificet cor meum, & corroboret illud in gratia tua, ne denuo per ignorantiam meam reuertar ad illud exilium, vnde tua me gratia reuocauit. Qui viuis & regnas per omnia secula seculorum. Amen.

PRO CONTRITIONE ORATIO III. 3

HÆc oratio, Christiane Lector, per aliquot dies continuos recitari debet, cum omni attentione & deuotione, ab his, qui anhelant ad veram contritionem, & peccatorum remissionem: in ea namque videbit, quàm iustis nominibus Deo est obligatus, & quàm seriò pœnitere debet, qui talem Dominum offendit.

QVis dabit capiti meo aquã, & oculis meis fontem lachrymarum, vt defleam noctes atque dies peccata mea, meamque ingratitudinem in Deũ Creatorem meũ? Multa inueniũtur, omnipotens Domine mi, quæ compungunt animos hominum, eosque ad cognitio-

Idem ibidem. Hier. 9.

nem ſuorum peccatorum adducunt: ſed nihil tam efficax eſt, quàm conſideratio magnitudinis tuæ bonitatis, & multitudinis tuorum beneficiorum, etiam erga ipſos peccatores. Vt igitur anima mea miſerrima vel ſic confundatur & erubeſcat, incipiam, Domine, bonorum tuorum, meorum verò malorum nonnulla commemorare, vt vel hinc manifeſtiùs intelligam, quis tu ſis, & quis ego; qualis tu erga me fuiſti, & qualis ego in te.

Fuit aliquando, mi Domine, quando non eram; & tu mihi eſſe dediſti, & me ex limo terræ aſſumpſiſti, creans me ad imaginem & ſimilitudinem tuam: deinde ab vtero matris meæ tu factus es Deus meus; à primo namque momento, quo eſſe cœpi, vſque in prȩſentem diem, tu es Pater meus, tu Redemptor, tu defenſor, & omne bonum meum. Tu creaſti corpus meũ cum omnibus membris & ſenſibus meis; tu creaſti animam meam cum omnibus ſuis potentijs, & vſque huc vitam meam tuæ prouidentiæ beneficijs conſeruaſti.

Omnia hæc (licet per ſe magna ſint, imò penè omnia) exigua tamen ſunt pro tua magnitudine. Cȩterùm quia gratis hæc habebas, nullo magno empta pretio, aliud mihi dare voluiſti, quod cõſtat tibi pretio maximo, vt magis me tibi obligares. Deſcendiſti de cælo in terram, vt inuenires me, quærens me in omnibus vijs in quibus ego me amiſe-

ram. Humanitate tua naturam meam nobilitaſti, tua captiuitate à vinculis meis me liberaſti; à potentia Dæmonis me vindicaſti, tradens te in manus peccatorum, & peccatum meum deſtruxiſti, formam peccatoris aſſumens. Voluiſti me tibi obſtringere tanta gratia, voluiſti me allicere hoc beneficio; ſpem meam corroborare tantis meritis; & deteſtationẽ peccati in me generare, oſtendens mihi, quanta feciſti, quanta tuliſti, vt regnum peccati euerteres. Viuas prunas mortuis carbonibus cordis mei ſuperimpoſuiſti, vt tanta multitudine beneficiorum, quæ in hoc vno continentur, obrutus, eum amarem, qui tanta pro me fecit, & tantum mihi amorem exhibuit.

Ecce Domine, redemiſti me, ſed illud quid mihi prodeſſet, niſi baptizatus fuiſſem? In tanta infidelium multitudine, qui per totum orbem diffuſi ſunt, voluiſti me eſſe in numero fidelium, & eorum quibus tam felix ſors obtigit, vt ſint nimirum tui filij, aqua ſancti Baptiſmatis regenerati: illic pro tuo aſſumptus ſum, illic celebris & admirabilis ille contractus, ſeu fœdus initum eſt, vt tu ſcilicet meus eſſes, & ego tuus: tu meus Dominus, & ego tuus ſeruus; tu meus pater, & ego tuus filius: vbi ſimul conuenimus, tu vt mihi facias opus patris, & ego vt ſeruiam tibi ſeruitute filij. Quid dicam de alijs Sacramentis, quæ in re-

medium meorum malorum instituisti, faciens medicamentum plagis meis ex tuo pretiosissimo sanguine?

Habens hæc subsidia & auxilia nondum in bono perstiti, sed tanta fuit mea malitia, vt non obstantibus his, primam adhuc innocentiam amiserim; & tua vicissim tanta fuit misericordia, vt vsque huc patienter peccantem me sustinueris. O spes mea, & remedium meum, quomodo potero sine lachrymis meminisse, quoties potuisti me occidere, & nihil mihi mali accidit? Quot animarum millia fortè nunc ardent in inferno, quę minùs peccarunt, quàm ego peccaui, & non ardeo? Quid factum esset de me, si quo tempore illos abstulisti, etiam me abstulisses? quàm strictum fuisset mihi præparatum iudicium, si iustitia me tot delictis grauatum deprehendisset? Quis tunc, ô Domine, ligauit manus tuæ iustitiæ? quis cùm ego dormiebam pro me deprecatus est? quis continuit flagellum indignationis tuæ, quando ego illā meis peccatis prouocabam? quid tibi placuit in me, cur mitiùs mecum ageres, quàm cum illis, qui in medijs periculis, atque adeò in feruore iuuentutis, è medio sublati sunt? Peccata mea clamabant ad te, & tu obturabas aurem tuam ne audires: malitia mea contra te crescebat quotidie, & tua vicissim quotidie erga me crescebat misericordia: ego peccabam, tu me expectabas: ego fugiebam,

tu me insequebaris: ego defatigabar te offendendo, tu non defatigabaris me expectando; non aliter, atque si peccata mea fuissent beneficia, non offensæ: In medio peccatorum meorum multas à te bonas inspirationes, multasque pias reprehensiones accipiebam, quæ reprehendebant arguebantque vitæ meæ dissolutionem. Quoties me vocasti, & intus me inuitasti, dicens; Tu fornicata es cum amatoribus multis: tamen reuertere ad me, & ego recipiam te. Quoties me hac & simili voce amoris vocasti? quoties etiam me timore & minis terruisti, reducens mihi ad memoriam periculum mortis, & rigorē diuinæ iustitiæ? Quot concionatorum & confessariorum ordines instituisti, vt suis verbis & consilijs me excitarent, & in via tua, Domine, ambulātem iuuarent? Quoties me verbis tuis subsecutus es, inuitans me tuis beneficijs, & castigans me tuis flagellis; intercludens mihi vias omnes venatorum more, ne quà fugere, aut me à te possem subducere? Quid igitur nunc retribuam tibi, Domine, pro omnibus his, quæ retribuisti mihi? Quia me creasti, debeo tibi omne quod sum; fecisti enim omnia: quia me conseruasti, debeo tibi omne quod sum, & viuo; omnia enim conseruas: & quia mihi temetipsum dedisti in præmium, quid reddam tibi? Si omnium Angelorum vitę & hominum essent meæ, & tibi eas in sacrificium offerrem,

Hier. 3.

ferrem, quid esset hæc oblatio, si vni sanguinis, quem pro me tam copiosè fudisti, guttulæ comparetur.

Quis igitur dabit lachrymas oculis meis, vt plangam ingratitudinem meam, iniquamque meam pro tot beneficijs tuis retributionem? Da mihi ergo, Domine, auxilium, da mihi gratiam, vt debito modo meas in te queam iniquitates confiteri. Ego sum infelix ille, ego (licet talem me non gessero) sum creatura tua, ad tuam imaginem & similitudinem facta: agnosce hanc figuram; tua enim est; aufer id quod ego feci, & inuenies id quod tu pia manu tua fecisti. Ego vires omnes meas intendi, vt tibi iniuriam facerem, & te offendi ipsis operibus manuum tuarum. Pedes mei veloces fuerunt ad malum, manus meę fuerunt ad auaritiam extensæ; oculi mei dissoluti ad omnem vanitatē, & aures meæ semper nugis & mendacijs patuerunt. Nobilissimam partem animæ meæ, quæ oculos habebat ad contemplandum te, à pulchritudine tua auerti, & ad flores miserabilis huius vitæ conuerti: quæ noctes atque dies meditari debuisset tua mandata, iam noctes atque dies meditata est, quibus modis illa transgrederetur. Deprauato sic intellectu, quid faceret voluntas? Tu Deus meus, illam ad delicias cælestes inuitaueras, at illa terram cælo prætulit, expandens brachia tibi, Domine, consecrata turpi creaturarum amori.

Hoc eſt, Domine, præmium, hic ille fructus, quem ſenſus, quos tu creaſti, produxerunt. Ah quid potero miſer reſpondere, ſi mecum in iudicium intraueris, & dixeris mihi; Ego plantaui te vineam electam omne ſemen verum : quomodo ergo conuerſa es mihi in prauum vinea aliena ? Hier. 2.

Quòd ſi ad primam interrogationem hanc reſpondere non potero, quid ad ſecundam de beneficio conſeruationis reſpondebo ? tu, Domine mi, tua prouidentia conſeruaſti hunc, qui nihil aliud meditabatur, quàm quomodo mandata tua tranſgrederetur, quomodo ſeruos tuos perſequeretur, quomodo eccleſiã tuam offenderet, & quomodo regnum peccati cõtra te muniret. Mouiſti linguam, quæ te blaſphemabat; rexiſti membra, quæ te offendebant; & dediſti manducare his qui ſeruis tuis inſidiabantur : adeò vt non tantùm ingratus fuerim tuis beneficijs, ſed etiam ipſa beneficia in arma, quibus te oppugnaui, conuerterim. Omnes creaturas in vſum meum condideras, vt illo beneficio illectus, amarem te; & ego illas adulteraui, cùm toties te per illas offenderim. Malui donum, quàm donantem : & vnde ſumenda erat occaſio tuæ pulchritudinis cognoſcendæ, inde excęcatus ſum, & non leuaui oculos meos, vt viderem, quanto pulchrior eſt Creator ipſe creatura. Omnia dediſti mihi, vt me tibi redde-

rem, & omnia mihi seruierunt; sed ego nunquam tibi aut gloriam, aut tributum debitum reddidi. Creaturę tuę semper ad meum obsequium paratæ fuerũt, (id enim illis præcepisti) at ego semper in hoc fui, vt te offenderem, & ad hoc omnibus rebus abusus sum : tu dedisti mihi sanitatem, & Diabolus fructus illius collegit: tu dedisti mihi fortitudinem, & ego illam in inimici tui obsequio impendi. Quid dicam? quare tot genera calamitatum & miseriarũ, quas passim in alijs hominibus vidi, non suffecere mihi, vt vel ex ijs cognoscerem, omnia mala aliorum mea esse beneficia: ab omnibus enim illis liberasti me? An igitur licitum cuipiam sit pro beneficio accepto vt ingratum se exhibeat? & quis ille, qui non debet gratiarum actionem pro beneficio accepto? Si feritas leonum & serpentum beneficijs leniatur, quare non erunt, ô Domine, tua sufficientia, vt doment & leniant me? vt vel aliquando possim dicere; Metuamus Dominum Deum nostrum, qui dat nobis pluuiam temporaneam & serotinam in tempore suo; plenitudinem annuę messis custodientem nobis. Hier. 5.

*S*ufficiebat verè mihi, Domine, vt cognoscerem tuum esse, quòd tãto tempore Esse meum sustinuisti, etiam si aliam demonstrationem, vel aliud testimonium tuæ bonitatis non haberem. Quòd si tam stricta futura sit ratio, quæ

pro rebus istis, quæ magno tibi non constant, postulabitur; qualis erit illa, quam exiges pro his, quæ pretioso tuo sanguine tibi comparasti? quomodo consilia tua peruerti? quomodo violaui mysterium incarnationis tuæ? tu factus es homo, vt me faceres Deum; & ego vilitatis meæ amator, me feci bestiam, & filium Diaboli: descendisti in terram, vt me adduceres in cęlum; & ego indignus tali vocatione, quasi qui non merebar, non cognoui illam; & cœno meæ vilitatis perseueraui: tu me liberasti, & ego me denuo in veterem captiuitatem præcipitaui: tu me resuscitasti, & ego denuo mortem amplexus sum: tu me tecum concorporaueras, & ego me denuo cum Dæmonio coniunxi. Tot & tanta beneficia non hoc apud me potuerunt, vt te agnoscerem; nec tot amoris argumenta, vt te redamarem; nec tot merita, vt in te sperarem; nec talis iustitia, quæ in tua passione refulsit, vt te timerem. Tu te humiliasti vsque ad puluerem terræ, & ego effero me superbia; tu nudus pendes in cruce, & auaritiæ meę totus mundus non sufficit: tibi, qui Deus es, alapas in faciem dederunt; meam vestem si quis tangat, irascor, qui tantùm vermis quidam sum vilissimus. Quid dicam Seruator mi? ecce quàm magna est misericordia & charitas tua erga me? mori voluisti, vt mea peccata occcideres; & ego confidens in eadem

misericordia, bonitate, & amore, peccare in te non sum veritus? Heu quæ maior esse posset blasphemia? Ego ex tua bonitate occasionem sumpsi meæ malitię: ex illo eodem medio, quo tu vsus es, vt peccatum occideres, ego occasionem captaui peccatum in me resuscitandi. Sic, sic, Domine, tua consilia peruerti, & inueni inuentiones meæ malignitati ex tua misericordia. Quia tu eras tam bonus, ego arbitrabar mihi impunè licere, si malus essem: & quia mihi tot contuleras beneficia, existimaui licere mihi totidem offensiones & iniurias tibi reddere: adeò vt medicamenta ipsa, quæ tu instituеras contra peccatum, ego in occasiones peccandi conuerterim; & gladium quem mihi dedisti, vt me defenderem, & contra inimicos meos dimicarem, hunc in me acuerim, vt vitam mihi ipsi eriperē. Denique tu vt dominareris viuis & mortuis, mori voluisti,
2 Cor. 5. vt (Apostolo teste) qui viuunt iam non viuant sibi, sed tibi, qui mori dignatus es pro illis: & ego vt filius Iezabel, sumpsi eandem mortem quasi medium, quo me tuis bonis priuarem, fugiens à tuo seruitio, & faciens me tuorum inimicorum mancipium. Heu quid meritus est,
4 Reg. 9. qui talia fecit? Si canes comederint carnes illius Iezabel pro peccato hoc; quomodo meæ poterunt integræ permanere, qui idem omnino feci? Quòd si Apo-
Rom. 9. stolus adeo exaggeret cordis humani

maliti-

malitiam, eò quòd ex ipsa lege sumpsit occasionem violandi legem : quanto maior erit malitia ex gratia, si quis accipiat ex ea occasionem ipsam gratiam offendendi?

O patientissime Domine, qui alapas pro peccatoribus sustinuisti: sed multo patientior, qui ipsos suffers peccatores: cęterùm durabit semper illa tua patientia? memini quid dixisti per Prophetam; Tacui, semper silui, patiens fui: sicut parturiens loquar. Video terram quæ non dat fructum, postquam pluuiam accepit, reprobari & maledici: vineam, quæ postquā bene culta est vuam tamen non producit, sed labruscas, iussu tuo excindi & dari in direptionem. Igitur ô sarmentum inutile & infructuosum, vt quid non times vocem potentis illius agricolæ, seu vinitoris, qui tollit palmites non facientes fructum, & in ignem proijcit? Omnem palmitem in me non ferentem fructum, ait ipse, tollet eum Pater meus, & in ignem mittet. Ecquid metuet ille, qui tale iudicium non metuit? Quàm surdus est ille, qui talem vocem non audit? quàm profundum dormit, qui tali tonitruo non excitatur? Oblectabat me habitatio hæc terrena: inter spinas ambulare iucundum erat mihi, ignis mearum passionum vrebat me, concupiscentiarum mearum spinæ me pungebant, distractiones cogitationum mearum me diuidebant; me

Esa.42.

Ioan.15.

ſcientię meę vermis mordebat, & omnia hæc libertatem & ſolatium exiſtimabam eſſe: tot tantaque mala pacem nominabam. O quàm ignarus eram & rudis in cognitione meiipſius, & quàm durus atque intractabilis in tuo cultu atque obſequio?

Quid faciam, mi Domine, quid faciam? fateor me dignum non eſſe, qui veniam in conſpectum tuum, nec mereri, vt oculos tollam ad aſpiciēdum te. Quò ibo? & à facie tua quo fugiam? Nónne tu es pater meus, & quidem Pater miſericordiarum, quæ nec terminū habent, nec menſuram? etſi enim ego iamdudum filius eſſe deſiero; tu tamen vſque huc Pater eſſe non deſinis: etſi ego multa fecerim digna, cur me condemnes; tu tamen modum non amiſiſti, quo me ſalues. Quid igitur faciam, niſi vt me ante pedes tuos proſternam, & miſericordiam petam? quem inuocabo? quis mihi ſuccurret, niſi tu? Nónne tu Creator meus? Plaſmator meus? Gubernator meus? Redemptor meus? Liberator meus? Rex meus? Paſtor meus? Sacerdos meus, & meum Sacrificium? Quò igitur ibo, quò fugiam niſi ad te? ſi tu me repellas, quis me ſuſcipiet? ſi tu me reijcias, ad quem confugiam? Agnoſce Domine errantem hanc ouiculam: ecce venio totus vulneratus, tu potes me ſanare; totus cæcus, tu me potes illuminare; totus mortuus, tu me potes ſuſcitare;

totus leprosus, tu me potes mundare. Asperges me Domine hyssopo, & mundabor: lauabis me,& super niuem dealbabor. Maior est misericordia tua, quàm mea iniquitas; maior tua clementia, quàm mea malitia: & tu potes plus remittere, quàm ego peccare. Noli me igitur Domine, noli me repellere; ne respicias multitudinẽ peccatorum meorum, sed infinitam misericordiam tuam, qui viuis regnas & in secula seculorũ. Amẽ. Psal. 50.

POST CONTRITIONEM *animus ad diuinæ misericordiæ spem erigatur hac Oratione.* 4

MEmento iustissime ac benignissime Domine Iesu Christe, quòd misericors & redemptor meus es. Si iudex es, ad iudicandum reum tuum, es & Deus ad defendendum seruum tuum, es & creator ad conseruandum opus tuum, es & Deus ad saluandum credentem tuum, & baptizatum tuum. Auguft. in lib. de cõtritione cordis.

Ne ergo memineris iustitiæ tuæ solius aduersus peccatorem tuum, sed memor esto benignitatis tuæ erga creaturam tuam. Ne memineris iræ tuę aduersus reum tuum, sed memor esto miserationis tuę aduersus miserum tuum. Scio quidem & fateor, quòd conscientia mea meretur damnationem, & pœnitentia mea non sufficit ad satisfactionem.

Parce ergo mihi Domine qui es salus mea, qui non vis mortem peccatoris:

parce ergo peccatrici animæ meæ. Deus meus es, in te pono ſpem meã, tibi committo animã meam. Cuſtodi animam meam dum dormio, conſerua eam dum aliquid facio : memento eius dum ego obliuiſcor tui : peccator ſum & miſer, ſed peccaſſe me doleo, & miſerum me cognoſco. Miſericors Deus miſerere mei, miſerere humilis tuæ creaturæ.

Peccare eſt Deum inhonorare, quod homo facere non debet, etiamſi neceſſe eſſet perire. Heu quia peccaui, Deum verum exhonoraui, omnipotentem prouocaui. Peccator quid feci? quanta mala feci? Væ mala agenti, væ bona negligenti. Væ, væ, ira omnipotentis Dei, ne irruas ſuper me : ira Dei vbi poteris capi in me? non eſt quod poteſt tolerare totam te in toto me.

Deus Dominus cuius bonitas non exhauritur, cuius ſcientia nõ deficit, cuius miſericordia non exinanitur, cuius potẽtia quicquid vult efficit, vnde potero reſpirare, qui ſic ob peccata mea cogor deſperare? Nam ſi iraſceris peccantibus, ſoles tamen benignè dare cõſilium pœnitentibus. Doce me Domine vnde debeam ſperare, vt poſſim ſaluari ; orare volo, ſed neſcio. Secundum ignorantiam meam non poſſum Dei miſericordiam prouocare, ideo cogor deſperare propter iniquitatem meam.

Scio quidem & fateor quia peccator ſum, quia peccatum ſpontè ſubij : & iu-

ſtè non exaudior, quia non obediui. Vtique bone Domine peccaui, erraui: veruntamen te non negaui, nec deteſtor bonitatem tuam. Ideo fac mecum ſecundum miſericordiam tuam, qui es benedictus in ſecula. Amen.

PRO CONFESSIONE.

ORATIO AD IESVM ANte *Confeßionem Sacramentalem dicenda.* 5

Collector.

DOmine Ieſu Chriſte, nouę legis noue Sacerdos, qui non offers ſanguinem hircorum aut vitulorum, pro peccatis hominum; ſed propriũ in ara crucis pro nobis effuſum Patri continenter immolas, cuius virtutẽ nobis in ſeptem myſticis illis ac ſanctificantibus Sacramentis reliquiſti, eaque cum tremore ac reuerentia frequentare præcepiſti: ecce ego miſer & infelix, à vertice capitis ad plantas pedum lepra peſſima reſperſus, à te mundari flagitans; ad te venio, tibi peccçata mea, quæ ſuper numerum arenę maris multiplicata ſunt, humili confeſſione detegens. At tu Domine me ſanare & expiare paratus es, & quidẽ non longinqua peregrinatione, non magnis ſumptibus, non longa inedia, non denique ſectionibus aut cauterijs; ſed me ad miniſtrum tuum remittis; Sacerdoti me oſtendere, eique peccatorum meorum lepram reuelare & confiteri præcipis, vt

ille claue sibi à te tradita officinam pœnitentiæ mihi aperiat, remedium sanguinis tui in hoc Sacramento repositum inde promat, illud mihi applicet, & me à peccatis omnibus, te in illo operante, absoluat.

4 Reg. 5. Quid agam hîc Domine? Pręceptum hoc tuum, non aliter atque Syrus ille verbum Helisei, contemnam, tanquam vile nimis & tantæ meę infirmitati minus sufficiens? (Quis enim facilè credat tot, tamque enormia peccata ab homine dimitti, nisi diuinæ tuæ voluntati sic fieri placuisset?) Nequaquam: dicam potiùs cum seruis illius; O anima mea, si rem grandem dixisset tibi Saluator tuus, certè facere debuisses: quanto magis, quia nunc dixit tibi, Vade ad Sacerdotem, & confitere illi peccata tua, & mundaberis?

Sed, ô bone Iesu, viã modumque huic tuo mandato satisfaciendi nõ inuenio, nisi me adiuues. Ego quidem quantum potui secretum conscientiæ meę ingressus sum, omnia eius latibula perscrutatus, mala mea ad memoriam reuocare, & quidquid illic sordium inuenio in vnum quasi fasciculum colligere cupio, vt per oris confessionem foras eijciam: sed tantam inuenio in me ignorantiam atque infirmitatem, vt cùm omnium vicinorum meorum mores & crimina habeam perspectissima, eaque frequenter alijs referam, mea prorsus ignorem; &

cùm quid in aliena domo fiat habeam exploratum, quid domi meæ geratur nesciam, simque velut in mea regione peregrinus.

Huius tanti stuporis causa, ô benigne Iesu, quæ alia, quàm quòd omnem spiritualem sensum amisi, atque ita sine vllo doloris sensu peccauerim? Si enim conscientiæ aculeis, cùm delinquo, pungerer, dolor ipse ignorare atque obliuisci non sineret, quod aculeum in animo infixum reliquisset. Oro itaque te, mi Domine, redde mihi sensum illum spiritualem, vt in posterum sentiam cum animi dolore & cruciatu, si qua in re tuam Maiestatē offendero, ne tam facilè eius mihi memoria excidat. Sed & hoc præcipuè nunc oro, vt in hac hora conscientiæ meæ tenebras lumine tuæ gratiæ sic illustres, vt qui trabes grauissimorum peccatorum nunc in ea non video, leuissimorum criminum festucas manifestè conspiciam, & per confessionem oris inde eijciam.

Verecundiam mentis meę sic, ô dulcissime Iesu, moderare, ne nimius pudor os confitentis obstruat, néve impudentia reuerentiam, veræque contritionis sensum auferat: scio enim quòd in sacrificijs, quæ pro peccatis offeruntur, nec oleum lætitiæ, nec thus suauitatis imponitur.

Da quæso, vt hæc, quam paro, confessio sit pura, vt omissis ambagibus, quibus

peccata mea tegi, vel inuolui possent, apertè, quæ palàm agere nō puduit, confiteri non erubescam. sed & ne declines
Psal.140. cor meum in verba malitiæ, ad excusandas in peccatis excusationes. Sit vera; ne scienter vel ignoranter, etiam sub humilitatis specie, aliquid falsi inseratur, nec certa pro dubijs, nec dubia pro certis proferantur. Sit integra; ne ex pudore quodā subrustico ac pernicioso aliquod lethale crimen ex industria omittatur. Da denique vt sit humilis; quia scio te
Psal.50. cor contritum & humiliatum non despicere.

Adauge quoque in me fidem, ne de Sacramentorum tuorum, & præcipuè Cōfessionis virtute & efficacia vnquam dubitem, aut malè sentiam. sed sicut fidelis & obediens filius cum matre Ecclesia credam, ad absolutionem tui Sacerdotis, non aliter atque ad vocem Angeli catenæ de manibus Petri, peccata solui, vincula Diaboli rumpi, homini pectus tuum aperiri, illum in filium adoptari, Spiritu sancto vngi, virtutibus ornari, & regni tui hæredem institui.

Sed & ne quid, ô Domine, huic tanti ponderis operi, in quo salus & interitus meus versatur, desit, tuam obtestor bonitatem, vt Sacerdotem mihi concedas bonum, prudētem, taciturnum, scientia præditum, & potestate munitum: ne pro sincero doctore, impostorem; pro vero medico circumforaneum; pro pastore

tyrannum inueniam; ne denique cæcus cæco ducatum præstet, donec ambo in foueam infernalem incidamus: sed qui me ab omni peccatorum meorum reatu legitimè absolutum consilijs etiam suis salutaribus doceat pœnam dignis operibus pœnitentiæ redimere, & regia deinceps via ad cælestem aulam contendere; Vbi tu Domine Iesu viuis & regnas cum Patre & Spiritu sancto Deus, per omnia secula seculorum. Amen. Matth. 5.

CONSILIVM GRANATENSIS TEMPORE CONFESSIONIS.

Statim post generalem confeßionem, hæc quæ sequuntur, peccatorum enumerationi præmittantur.

Dicat pœnitens, se non cum eo dolore, contritione, & proposito emēdandæ vitæ ad Confeßionem accedere, quæ tantum Sacramentum, & peccatorum grauitas atque multitudo requirunt.

Quòd conscientiam suam non satis diligenter examinauit.

Quòd pœnitentiam sibi à Confessario in præcedenti confeßione iniunctam non debita deuotione & alacritate perfecit.

Quòd Confessarij præceptis accuratè non satisfecerit: & hîc exprimat, si aliquid iusserit restitui, votum reddi, peccatum aliquod sin-

gulare relinquere, vel periculosam occasionem fugere, quod non fecit. Horum omnium se reum dicat. Deinde peccata sua reliqua commemorare incipiat.

6

GRATIARVM ACTIO *post Confeßionem.*

Collector

DOmine Iesu Christe Saluator & Redemptor mundi, tibi data est omnis potestas in cęlo & in terra, cuius quidem Apostolos & omnes successores eorum participes esse voluisti, dans eis auctoritatem ligandi & soluendi sicut in terra, & in cælo; remittendi quoque & retinendi peccata. sub ijs verbis magnum, & certantibus in hoc spirituali & inuisibili stadio militantis Ecclesiæ necessarium Sacramentum instituens, ad quod milites tui confugiant, & curatis vulneribus iterum in campum redeant acriùs bellaturi.

Matth. 18. Ioan. 20.

Pro qua paterna in nos cura & solicitudine tua diuinæ tuæ bonitati immensas ago gratias; cùm sine hoc salutari remedio planè de nobis esset conclamatū: & vix aliquis ad optatam gloriæ coronam peruenire posset. Etenim ea est naturæ nostræ imbecillitas, vt in tam diuturno cum aërijs potestatibus certamine non raró vulneremur & concidamus; cui malo nisi succurrisses, nobisque hoc emplastrum spirituale ad animæ vulnera sananda reliquisses, quotusquisque

noſtrum Domine coronandus, quotuſquiſque ſaluandus eſſet?

Tu quidem in veteri teſtamento remiſſionem peccatorum pœnitentiam agentibus promiſiſti; ſed quis de ſua pœnitentia certus, quis de remiſſione ſecurus eſſe poſſet, niſi in noua lege hoc Sacramentum inſtituiſſes, in quo Sacerdote efficaciter abſolutionis verba proferente, homo iuſtificatur, & fit noua creatura?

Quid itaque retribuam tibi, ô ſuauiſſime Ieſu, pro omnibus quæ retribuiſti mihi? formatus eram ex maſſa perditionis, natus perditionis filius, & tu me ab illa maſſa ſegregaſti, & filium æternę ſalutis regeneraſti: tu, cùm infirmus, imbecillis & timidus eram, me tuo ſancto Spiritu confirmaſti, & oleo lætitiæ vnxiſti, vt tua caſtra ſequerer, & pro tui nominis gloria, proque ſalute mea fortiter dimicarem: tu mihi multis opus habenti, & in hoc ſpirituali bello ſępe eſurienti & ſitienti cibum & potũ dediſti, non qualemcunque, ſed quo nobiliorem nec terra nec cælum habet: tu denique me miſerè vulneratum & ſemiuiuum iacentem, omnibus donis tam naturæ, quàm gratiæ ſpoliatum in xenodochium Eccleſiæ tuæ reduxiſti, Confeſſionis Sacramento ſanaſti, & iam ſanatum nouis chariſmatibus & gratiarum donis exornabis.

Miſericordias igitur tuas in ęternum Pſal. 88.

cantabo Domine, & in generationem & generationem annuntiabo miserationes tuas in ore meo. Quia tu propitiatus es omnibus iniquitatibus meis, tu sanasti omnes infirmitates meas. Tu redemisti de interitu vitam meam, tu coronabis me in misericordia & miserationibus: tu replebis in bonis desiderium meum, renouata est, vt aquilæ, iuuentus mea. Non secundum peccata mea fecisti mihi, neque secundum iniquitates meas retribuisti mihi. Quoniam secundum altitudinem cæli à terra corroborasti misericordiam tuam super timentes te. Quantum distat ortus ab occidente, longè fecisti à me iniquitates meas.

Psal. 102.

Benedicite igitur mecum Domino omnes Angeli eius, potentes virtute, facientes verbum eius. Benedicite mecum Domino omnes virtutes eius, ministri eius, qui facitis voluntatem eius. Benedicite mecũ Domino omnia opera eius, in omni loco dominationis eius. Benedic anima mea Domino.

7

ORATIO PRAECEDENTI *gratiarum actioni subijcienda.*

Collector

SVperest, ô benignissime Iesu, vt qui cœpisti in me opus bonum, perficias. Oro igitur, & cum animi summa demissione detestor, vt si quid in hac Confessione à me omissum, si quid peccatum, si quid modo non debito factum sit, id omne mihi misericors remittas. Vereor

enim

enim opera mea coram Deo meo plena non esse, & imperfectum meum vident oculi tui: Perfice igitur quod imperfectum, supple quod omissum, & ignosce quod peccatum est. Apoc.3. Psal.138.

Da mihi robur & fortitudinem, vt pœnitentiam à Sacerdote, vicario tuo, pro peccatis mihi iniunctam, animo hilari & deuoto perficiam, nec carnis infrunitæ tergiuersationes, nec mundi obloquia, nec Dæmonis tentationes respiciam: sed potiùs in omnibus peccati turpitudinem, & iniuriam tibi à me illatam ob oculos semper habeam, vt durum non sit pro peccati mensura plagarum in me modum statuere: vt quantum glorificauit se caro, & in delicijs fuit, tantum illi tormentum detur, & luctus tantus in hoc seculo, ne pereat in futuro. Apoc.18.

Obsecro denique, ô Iesu fili Mariæ Virginis, vt qui pro tua misericordia me in hoc Sacramento ab innumeris flagitijs, in quibus, tanquam iumentum in stercoribus suis, computrescebam, pretioso tui lateris sanguine abluisti & mundasti, gratiam deinceps mihi conferas tuam, ne tanquam canis ad vomitum, & sus lota ad volutabrum recurram: sed viam mandatorum tuorum indesinenter ambulem. 2 Pet.2.

Da mihi vt te, qui decem talentorum millia mihi condonasti, totus dulcedine amoris tui plenus, totus flamma cha- August. in Meditat. cap.1.

ritatis tuę accensus, diligam ex toto corde meo, totisque medullis præcordiorum meorum; habẽs te in corde, in ore, & præ oculis meis semper & vbique: ita vt nullus in me pateat locus adulterinis amoribus. Tribue mihi misericordiæ opera, pietatis studia; compati afflictis, consulere erroneis, succurrere miseris, subuenire egenis, consolari mœstos, releuare oppressos, flebiles refouere: Dimittere debitoribus, parcere in me peccantibus, odientes me diligere, pro malis bona reddere, bonos imitari, à malis cauere, virtutes amplecti, vitia fugere, in aduersis patientiam, in prosperis modestiam; terrena calcare, sitire cælestia: vt fructus veræ pœnitentiæ per vitæ nouitatem in me multiplicentur. Amen.

PRO SATISFACTIONE.

DOCTRINA CATHOLICA DE SATISFACTIONE.

Ex 5 Conciõe Granatensis de Pœnitentia.

Aliter Baptismus, aliter Pœnitentiæ sacramentum peccata remittit. Baptismus enim regeneratio quædam & natiuitas interni hominis est: Pœnitentia verò est languentis animæ medicina. Videmus autem in rerum ortu atque natiuitate nouam creaturam sic oriri, vt nihil in ea veteris formæ resideat. Cùm enim ex ouo pullus nascitur, nihil in pullo ex ouo vnde formatus est, remanet. At in morborũ curatione aliquando quidẽ æger sic à morbo

sanatur, vt nihil in eo veteris morbi aut imbecillitatis appareat: aliquando verò reliquiæ nonnullæ siue pristini morbi, siue infirmitatis & imbecillitatis in eo manent.

Cùm ergo Baptismus (vt antè diximus) regeneratio & natiuitas interni hominis existat, necesse est, vt nihil in eo, qui baptisma suscepit, veteris hominis resideat; sed noua creatura consurgat. Cùm autem vetus homo criminibus & criminum pœnis obstrictus sit, vtrumque noua natiuitas abolet: atque ita demum noua creatura omnis culpæ atque pœnæ expers in Christo renascitur.

At in sacramento Pœnitentiæ, quod languentis animæ curationem esse diximus, aliquando quidem tam acris animi dolor & pœnitentia est, vt (quemadmodũ in baptismate) omnis culpa simul & pœna deleantur. Aliquando verò minor, quàm pro scelerum magnitudine est: atque hoc tempore culpa quidem, & æterna pœna culpæ debita remittitur, & pristinæ gratiæ atque Dei amicitiæ homo redditur, & de temporaria etiam pœna portio aliqua remittitur.

Quòd si tota non relaxatur; non tam hoc sacramento, quàm negligentiæ nostræ tribuendum est: qui minùs parati ad illud accedimus, dum scelerum magnitudinem contritionis atque doloris magnitudine non æquamus Quæ quidem contritionis infirmitas satisfactionis

labore sarcienda est. Hoc *autem facimus, cùm præscriptã à* Sacerdote *pœnam amplectimur, & ipsi quoque nobis eam indicimus, quo diuinæ iustitiæ legibus satisfaciamus: atque ita nos ipsi & accusatoris, & iudicis, & carnificis officio fungimur: cùm & crimina nostra accusamus, & pœnam nobis pro illis, vel ipsi indicimus, vel indictam à Sacerdote amplectimur, & nobis infligimus. Quod cùm facimus,*
2 Cor. 11. *illud Apostoli implemus;* si nos ipsos iudicaremus, non vtique iudicaremur. *Quisquis autem hoc agere renuit, sciat negligentiam hanc igne purgatorio luendam esse.*

Eadem hæc auctor latiùs tractat in Memorialis libro 2 parte 3 cap. 1. & 2, vbi de veterum Monachorum satisfactionibus commemorat ex Climaci Scala Paradisi gradu 5 horrenda & notatu digna.

Præter charitatem in Deũ *& proximum, præter multas virtutes alias, præcipuè tres numerantur, quibus* Deo *pro peccatis nostris satisfacimus,* Eleemosyna, Ieiunium, *&* Oratio: *tum quia maiorem præ cæteris pœnam secum adferunt, magisq; nos affligunt; tum quia diuitijs, corpore, & anima* Deum *offendimus, atque ijsdem* Deo *per has virtutes reconciliamur; per* Eleemosynam, *dum offerimus illi diuitias per* Ieiunium, *dum corpus; per* Ora*tionem dum animam; tum vel maximè quia tres offendimus, quibus totidem virtutibus*

satis-

ſatisfacimus, Eleemoſyna ſcilicet proximo, Ieiunio nobis, & Oratione Deo.

SEQVVNTVR ORATIONES SATISFACTORIAE, QVIBVS peccatorum remiſſionem à Deo petimus.

OBLATIO OMNIVM LABOrum, atque pœnarum Christi pro peccatis noſtris. 8

QVid retribuam tibi Domine, pro omnibus quæ retribuiſti mihi? qua gratitudinis ſignificatione tanta tua beneficia compenſabo? quid tibi pro tam inſigni tua miſericordia reddam? heu quàm iniquè meritis tam liberalis & pij benefactoris reſpondi? Semper ingratus fui tuis beneficijs, ſemper inobediens fui tuis mandatis, ſemper inſpirationibus tuis animum clauſi, culpam culpæ, & peccatum peccato addidi. Ex Memoriali Granatẽ. lib. 5

Confiteor Domine, quòd non ſum dignus vocari tuus filius, etſi ego te Patrem meum agnoſcam: tu enim verè pater meus es, tu ſpes mea, tu fons miſericordiæ, qui non repellis peccatores ad te confugientes: ſed recipis, lauas, & reficis illos. Ecce igitur adiutor mi, vide quomodo ego omnium creaturarum pauperrimus ad te venio, nihil aliud adferens, quàm ingentem meorum peccatorum ſarcinam.

Ante pedes tuæ pietatis me proſter-

no, humiliter miſericordiam flagitans, ignoſce quæſo mihi, ô firma ſpes mea, ſalua me pro tua infinita clementia.

O dulcis Ieſu, in remiſſionem meorum peccatorum offero tibi immenſam charitatem tuam, qua tu Deus infinitæ Maieſtatis motus, non dedignatus es pro me incarnari, homo fieri, & in hoc mũdo triginta tribus annis in multis tribulationibus, preſſuris, anguſtijs, perſecutionibus & laboribus verſari. Offero tibi lethalem illam anguſtiam, ſudorem illum ſanguineum, & agonem illum, qui cor tuum affligebat & lancinabat, cùm in horto iacens in terram proſtratus, patrem deprecabaris: offero tibi ardens illud deſiderium, quo deſiderabas pati pro nobis, quando te ſpontè in manus inimicorum tuorum beneplacitum patri ſacrificium pro nobis tradidiſti. Offero tibi omnes iniurias, blaſphemias, alapas, verbera, ſputa, aliaq́ue omnia tormenta, quæ in ædibus Annæ & Caiphæ miſerrima illa nocte ſuſtinuiſti. Offero tibi, ô bone Ieſu, omnia hæc, rogans infinitam tuam bonitatem, vt per merita illorũ mihi condones omnia mea peccata: pœnam ſimul cum culpa remittas, animam ab omnibus peccatorum reliquijs purifices, & tandem ad vitam ęternam perducas.

Offero tibi humilitatem, obedientiam & patientiam illam inęſtimabilem, quam exhibuiſti, cùm te ad columnam

durissimam ligatum flagellabant, inde spinis coronabant, & purpurea te chlamyde ad maius ludibrium circūdabant satellites illi Satanæ, & perpetui gehennæ titiones: cùm illudentes te salutabant, in faciem tuam expuebant, & arundine, quam in manu pro sceptro gerebas, saucium, fractumque caput tuū percutiebant. Offero tibi afflicti corpori tui lassitudinem, cruentata vestigia, & onus graue crucis, quod delicatis, & flagris miserè conscissis humeris tuis portabas. Offero tibi sitim illam, qua crucifigendus æstuabas, omniaque alia torementa, quæ pro nobis mansueto cord sustinuisti. Omnia hæc tibi cum gratiarum actione offero, tuam immensam obsecrans pietatem, vt per horum merita mea diluas peccata, pœnam & culpam simul remittas, animam meam à peccatorum reliquijs purifices, eamque tandem ad vitam æternam perducas.

Dulcis Iesu, in satisfactionē pro peccatis meis offero tibi crudelissimos dolores, quos passus es, cùm milites vestem tuam carni & ossibus concreto sanguine adglutinatam crudeliter corpori tuo detraherent, omniaque vulnera in flagellatione accepra renouarent: quando in crucem proiectus manus, pedesque sanctissimo ligno duris clauibus compaginari passus es, tanta cum violentia, vt omnes articuli atque membrorū iuncturæ locis suis naturalibus emotæ sint.

Cùm pretioſus tuus ſanguis ex omnibus tuis membris, haud aliter, quàm flumina è fontibus, ſcaturiebat. Omnes & ſingulas pretioſi tui ſanguinis guttulas tibi offero, tuæque pietati obſecro, vt per illarum merita mea diluas peccata, pœnam ſimul & culpam mihi remittas; animam meam à peccatorum reliquijs purifices, eamque tandem ad vitam ęternam perducas.

Clementiſſime Ieſu, offero tibi illam benignitatem & manſuetudinem, qua cum ſuſtinuiſti opprobria & impiorum conuicia, qui commouentes capita ſua, ſubſannabant ac illudebant tibi, dum tu pro illis Patrem orabas. Offero tibi horrenda illa tormenta, quæ pertuliſti, dum totus afflictionibus, cruciatibus & doloribus in prædam datus, omni conſolatione interna & externa deſtitutus, atque à Deo & hominibus derelictus, miſerrimè cruci affixus inter cælum & terram, medius inter duos nequiſſimos latrones, pendebas.

Offero tibi intolerabilem ſitim, qua in cruce affligebaris, humilitatemque & reuerentiam illam, qua cum ſpiritum tuum inclinato capite Patri commendabas: offero tibi ſalutiferum illum ſanguinem de latere tuo, lancea militis aperto, profluentem. Omnia hæc tibi offero, atque pro ijs, quantas poſſum tibi gratias ago, te ſuppliciter orans, vt peccata mea mihi condones; culpam ſimul

& pœnam tollas; animam meam ab omnibus criminum reliquijs purifices, eamque tandem ad vitam æternam perducas, vbi tu viuis cum Patre & Spiritu sancto, per omnia secula seculorum. Amen.

ORATIO,

9

Qua peccatoris anima, Deo reconciliata, ei se commendat.

DEprecor te Iesu Saluator, bone redemptor, quæ pretiosissime sanguine tuo redempta sum, vt propter carnis corruptionem non peream, neque veniam in mortem secundam, nec in terram obliuionis. Hæc vox in auribus misericordiæ tuæ sonet, vt tuam, non carnis faciam voluntatem, & omnis mens mea te meditetur, in te delectetur, te sequatur, te confiteatur, qui redemisti me.

August. in lib de salutaribus documẽtis.

In æternum misericordia tua est, & in misericordia tua reuixi perdita peccatis, & surrexi à mortuis; quoniam segregasti me à peccatis adolescentię meæ, & egi pœnitentiam coram te; quia seruasti mihi tempus conuersionis, & considerans peccata mea compuncta sum, & te inspirante egi pœnitentiam coram te. Læta iam inde tibi nunc & semper innumeras gratias refero, quia vt inuenirem te, tu prius quęsiuisti me; vt redirem ad te, tu compulisti me; vt verberarer, tu pius pater respexisti; vt confiterer, tu es operatus; & vt me recognoscens plan-

gerem, tu dediſti mihi.

Pone Domine lachrymas meas in conſpectu tuo, & perueniat ad te in cælum deprecatio mea. Adeſto precor & ſubueni, atque in manibus tuis cõmendatam tibi meipſam ſuſcipe, liberans me de ore ſæuiſſimi Draconis, & de manu atrociſſimi inferni, cùm acceperis me, vt auferres de medio vmbrę mortis: imò deduces in ſemitam lucis, in clariſſimam regionem viuentium. Colloca me in caulis tutiſſimis gregum tuorum, quia tu es paſtor bonus, quærens & reducens perdita, tueris & ſaluas inuenta, ſanas & foues languida.

Et tu es miſericors Dominus, qui ſperantes in te non confundis; requirentes te non derelinquis; reuertentes ad te non reſpuis; ſed exultando & laudando ſuſcipis, atque in ęterna beatitudine, vnà cum ſanctis & electis tuis, æternaliter regnare concedis; quia eſt tibi cum ęterno Patre & Spiritu ſancto vna Deitas, gloria, virtus, imperium & poteſtas in ſecula ſecula ſeculorum. Amen.

10 ALIA QVA PETITVR *remiſſio peccatorum.*

Granatēſis lib. 5 Memorialis.

O Pater omnipotens, æterne Deus, totus pius, totus miſericors; ecce ego peccator omnium miſerrimus ante pedes tuos humi proſtratus iacens confiteor maxima, plurimaque peccata mea, quibus te vnquam, benigniſſime Pater,

offendi. Agnoſco magnam ingratitudinem meam, quòd tam paruipendi infinita, inęſtimabiliaq́ue beneficia tua, mihi hactenus collata; vt qui inter alia tantum mihi amorem, tantamq́ue benignitatem exhibuiſti, & tam longo me tempore expectaſti, vt conuerſus ad te pœnitentiam agerem, & in profundam Erebi abyſſum non ruerem; prout peccata mea iam antea ſæpe meruerãt: imò qui me tot modis ad iuſtitiam ſectandam inuitaſti, & vt ſequi te poſſem gratiam tuam mihi obtuliſti.

Mi ſuauiſſime Domine, quoties ſtetiſti ante ianuam cordis mei, & multifarijs tuis inſpirationibus pulſaſti, cupiens à me tibi aperiri? quoties tuis me beneficijs prouocaſti? quoties blanditijs tuis me pellexiſti? quoties me tribulationibus & calamitatibus impuliſti? nihilominus te ſemper à me repuli, tibi reſtiti, tibi dorſum obuerti: tu tamen pro infinita tua miſericordia atque patientia me ſuſtinuiſti. Fateor Domine iuſtè, & pro meritis meis me in profundum inferni deturbare potuiſſes: ſed pro tua clementia iræ tuæ impetum cohibuiſti, quam tamẽ tot modis in me prouocaueram. Mirandum profectò Pater, & quidem vehementer mirandum eſt, cor meum dolore non diſrumpi, quoties hæc omnia mecum perpendo. Indignus ſum, qui creatura tua dicar: indignus, quem terra diutius ſuſtineat; indi-

gnus, cui terra fructus producat, quibus victitem.

Ad stuporem vsque mirari meritò quis posset, quòd elementa, & omnes simul creaturæ in me non insurgunt, & iniuriam communi omnium Domino à me illatam non vindicant. Tu tamen clementissime Pater miserere mei, & aperi mihi infinitæ tuæ pietatis viscera, ignosce mihi, quòd conuersionem meam ad te tam diu prorogaui. Aperi mihi benignum & paternum pectus tuum, & da mihi nutrimentum, quod filijs tuis dare consueuisti. Supplex te oro Domine, vel nunc tandem operare in me, propter quod me hactenus expectasti.

Confiteor tibi Domine ex toto corde, & ex tota anima mea, peccatorum omnium, qui in mundo sunt, me maximum esse: nihilominus de tua bonitate confido. Etenim peccata mea licet plurima sint, tuæ tamen miserationes numerari non possunt. O Pater amantissi-
Matth.8. me, si vis, potes me mundare. Sana me Domine, & sanabor, quoniam me tibi peccasse confiteor. Memor esto verborum tuorum, quæ dulciora sunt super omne mel & fauum, quibus peccatori nullum esse potest maius solatium: ais
Hier.3. enim per os Prophetæ; Tu fornicata es cum amatoribus multis, tamen reuertere ad me, & ego suscipiam te.

Quare, ô pie Pater, huic tuæ promissioni inhærens, atque innixus conuertor

ad te, & quidem ex toto corde, non aliter atque me hoc verbo solū vocasses, meq; solum ad tuā misericordiam inuitasses. Scio Domine, & fateor me omniū creaturarum creaturam esse miserrimam: ego enim sum filius ille prodigus, qui recessi à te patre luminum, à quo omne mihi bonum proueniebat. ego tanquam ouis perdita longissimè à tuo grege aberraui; gratiam quam tu mihi liberaliter impartieras, turpiter dissipaui. Dereliqui te fontem aquæ viuæ, fodi mihi cisternas, & bibi aquas turbidas, plenas amaris consolationibus, & quæ breui tempore exiccantur. Omnes enim consolationes, omnesque huius mundi voluptates instar fumi euanescunt.

Dereliqui te panem vitæ, glandesque ac siliquas à porcis conculcatas, & protritas comedi, passiones & affectus animi inordinatos, brutosque appetitus meos secutus. Recessi à te summo bono, secutusque sum terrena & transitoria, quæ me perdiderunt. Nunc autem, Pater mi, tibi supplico, ne memineris iniuriarum, quibus ego tuam Maiestatem affeci. illud autem non meorum supplico respectu meritorum, sed laborum atque dolorum vnigeniti filij tui intuitu, quos ille pro me sustinuit.

ET tu Vnigenite summi Patris Fili, Domine & Saluator mi, miserere mei. Omnes meas iniquitates, omnem iniuriam, ignominiam, iram, superbiā, aua-

ritiam, inobedientiam, impudentiam, presumptionem, cum omnibus alijs malis, quibus te irritaui, in infinitam tuam bonitatem, clementiam, & sanctissima vulnera tua, in meum refugium latè patentia, proijcio: me totum tibi reddo, tuæque gratiæ commendo. Tu enim es spes mea, tu es auxilium & fortitudo mea. Quantum me turbant & confundunt mea peccata, tantum me exhilarat & consolatur tua bonitas, infinitaque passionis tuæ merita.

Peccata mea licet per se pondere sint grauia, & numero infinita, in comparatione tamen tuarum miserationum leuia sunt, & pauca. hac fretus fiducia ad te venio, tibi confiteor, sperās quòd non perdes, quem ad tuam imaginem & similitudinem creasti, & cuius amore te nostræ naturæ, carnisque & sanguinis nostri fecisti participem. Spero me à te condemnatum non iri, quem tot laboribus & doloribus tanquam incomparabili pretio redemisti tu, qui viuis & regnas per omnia secula seculorum. Amen.

11

ALIA DEVOTISSIMA *pro peccatorum remissione.*

Ex hortulo deuotionis.

O Iesu mi dilectissime, ego sum miser & infelix ille peccator, qui tibi tot vulnera inflixi, teque rursus peccatis meis, heu nimis multis & magnis, crucifixi. Ecce ante te iudicem, patrem ta-

men meum, ſto, tot criminum reus, tot peccatis obnoxius, obſecrans te per viſcera miſericordiæ tuæ, aperiantur denuo vulnera tua omnia in conſpectu patris tui, & fluant in miſerā, immundam, & criminibus multis deturpatam animam meam, neque obſtruantur, priuſquam me abluerint & perfectè mundauerint.

O dulcis Ieſu, ne auertas faciem tuam à me; ſed infinita miſericordia tua me perfunde, & reſpice me oculis tuæ pietatis, quibus reſpexiſti Mariam Magdalenam in conuiuio, Luc. 7. Petrum in pontificis atrio, Luc. 22. & latronem in Crucis patibulo. Luc. 23. Da mihi veram cognitionem meorum peccatorum, da iuſtum dolorem; me in paradiſum tuæ gratiæ recipe, me tuo feruēte ſanguine laua, & pretioſa tua morte me viuifica. Ignoſce mihi, & aufer à me quicquid cor meum malè poſſidet; quia tu ipſe dixiſti; Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum. Ioan. 12.

Quapropter oro te, ô Redēptor animę meæ, trahe me ad te, & ab occultis meis mūda me. Pſal. 18. O lux vera, illumina tenebras mentis meæ. O ignis conſumens, exure in me omnia peccata & vitia mea; veni & viſita infirmam animā meam, munda conſcientiam meam, & in ea gratum tibi fac habitaculum. O dilectiſſime Domine pro me in arbore crucis extenſe, è peccatorum meorū ſordibus me trahe, me amplectere, me ab omni peccatorum

macula mundatum exoſculare. O nobilis botre in torculari crucis expreſſe, nudis & cādidis, ſanguine tamen rubicundis brachijs tuis animam meam preme: da vt premaris viciſſim ab ea, & tāquam myrrhæ faſciculus inter vbera illius commoreris. O confixe & transfixe miles, quàm crudeliter in bello pro me ſuſcepto vulneratus es? quàm fortiter, ô mundi, Dæmonisque triumphator, pro me pugnaſti, qui morte tua mortem deuiciſti, & pretioſo ſanguine tuo omnia totius generis humani peccata expiaſti?
Pſal.115. Heu quid tibi retribuam pro omnibus quæ retribuiſti mihi? Modicum illud quod habeo id totum tibi offero, ſpiritum ſcilicet meum, vt in eo quieſcas; animam meam, vt te diligat; corpus meum, vt tibi ſeruiat.

O nobilis Pelicane, qui pullos tuos proprio cordis tui nutris ſanguine, animam meā fame ac ſiti ſpirituali deficientē eia refice, vt illi nihil aliud ſapiat, nihil aliud cupiat, quàm carnem tuam edere, & ſanguinē tuum bibere. O melliflue cæleſtiū deliciarum torrens, perflue omnia interiora mea, inebria me, & da, vt omnibus creaturis mortuus tibi ſoli viuam. O præclarum incomprehenſibilis Trinitatis ſpeculum, in quod deſiderant Angeli & Sancti omnes proſpicere, heu quàm miſerè propter me tractatus
Eſa.53. es; non eſt ſpecies neque decor in te, fa-
Pſal.21. ctus es opprobrium hominum, & abie-

ctio plebis. Eia fac me participem incomparabilis illius thesauri lytri pretiosi, quo me redemisti: aperi meritorum tuorum ærarium, & solue vniuersum debitum meum: fac me talem in hoc seculo, qualem habere vis in futuro, vbi tu regnas cum Patre & Spiritu sancto Deus per omnia secula seculorum. Amen.

CAPVT QVARTVM, CONTINENS ORATIONES RESIPISCENTIVM, QVIbus Deo pro nouitate vitæ supplicamus.

PRÆFATIO.

PHILOSOPHORVM *est sententia, rationem eorum quæ ad finem aliquem ordinantur ex fine petendam esse; & frustra esse, quæ finem suum minimè consequuntur.* Frustra *enim nauigauit qui portum aliquem petens vi tempestatis iactatus ad portum appellere non potuit: frustra etiam varijs medicamentis vsus est, qui salutem, quam quærebat, non est assecutus. Quis autem pœnitentiæ finis est alius, quàm peccati abolitio, & honestæ vitæ constitutio, nihil pristinæ vetustatis retinens? Frustra igitur contritus, frustra confes-*

sus est, frustra carnem pro peccatis præteritis affligit, qui peccandi consuetudinem non relinquit. Inanis, inquit Augustinus, est pœnitentia, quam sequens coinquinat culpa: nihil prosunt lamenta, si iterantur peccata; nihil iuuat à malis pœnitentiam agere, & mala denuo iterare. Ad hoc namque instituta est pœnitentia, vt peccata cum Christo crucifigentes, & vnà cum illo resurgentes, in nouitate vitæ ambulemus.

Non minima igitur pœnitentiæ virtutis pars est ipsa vitæ nouitas, & sacrificium salutare, attendere mandatis, & discedere ab omni iniquitate. *Hoc autem facere absque Dei auxilio nobis est impossibile. Velle quidem nostrum est, perficere autem non inuenimus, nisi voluntas ipsa & admoneatur vt surgat, & sanetur vt valeat. Vt autem auxilium hoc impetremus, Deus feruenter orandus est. Rectè ergo idem Augustinus; Nullum, inquit, credimus ad salutem nisi Deo inuitante venire, nullum inuitatum salutem suam nisi auxiliante Deo operari, nullum nisi orantem auxilium promereri.*

Eccli 35.

Aug. de dogmat. eccles.

Optimo igitur ordine post pœnitentium orationes, resipiscentium, quibus auxilium Dei in vita nouitate incipienda & perficienda implorare possimus, poni posse existimauimus.

1

ORATIO, SEV OBLATIO *pia, qua se homo offert Deo, petens vt expulsis vitiorum tyrannis, Deus posthac in anima sua regnet, ibiq; agat, quæ ad nouitatem vitæ pertinent.*

O Deus meus, ô amor meus, ô spes mea, ô totum refugium & omne desiderium meum: ô Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, quoties mecũ perpendo, qualis aliquando fui, quanta discrimina perditionis euasi, è quantis malis me eripuisti, cùm in peccatis mortuus & sepultus inueteratæ consuetudinis peccandi lapide mihi superimposito iacebam, tanta in me spes excitatur, vt non possim nõ omnia, quæ ad meam salutem sunt necessaria, in posterum à te Domine flagitare.

Ex Granat. lib. 5 Memorialis.

Plasma namque tuum sum, manus tuæ Domine fecerunt me: opus igitur manuum tuarum ne despicias; vt quid enim dubitarem, quòd mihi dabis bona tua, qui non dedignatus es suscipere mala mea? Dicam igitur cum Propheta; Ego in Domino sperabo, exultabo & lætabor in misericordia tua. Psal. 30.

Sed quia non est secura spes sine obedientia, dicente quodam ex amicis tuis, Sacrificate sacrificium iustitiæ, & sperate in Domino; oro te ô dilectissime Domine, concede mihi vt spes tuæ misericordiæ mandatorum tuorum obedientia in me fulciatur: non enim minùs ti- Psal. 4.

bi hęc obediētia, quàm ſpes, quàm amor, quàm reliqua debentur omnia. Tu enim es Imperator, tu Rex, tu Dominus meus, cui cælum & terra, mare & omnia quæ in eis ſunt, obtemperant: quę nunquam legem tuam pręuaricata ſunt, nunquam non mandata tua obſeruarunt.

Tribue mihi Domine, vt & ego non minùs, quàm cętcræ creaturæ tuæ voluntati paream: vt qui pluribus, quàm illæ, tibi vinculis obſtrictus ſum. Da mihi, ô Rex Regum, vt tibi obediam, & à legum tuarum præſcripto nuſquam declinem. Regna tu in me Domine, & non regnet ampliùs in me mundus cum ſuo Principe: non regnet poſt hac in me caro, non propria voluntas mea; ſed tua. Fugiant à me, & diſſipentur omnes iſti Tyranni, dominij tui inuaſores, gloriæ tuæ fures, & iuſtitiæ tuæ euerſores peſſimi: Tu ſolus dominare in me Domine, vt & ego regnem tecum, cuius regni non erit finis. Veni ô pie Pater, aufer ſcandala de regno tuo, aufer peccata de anima mea, vt regnes tu, qui debes, in ea. Venit enim auaritia, & vendicat ſibi in me ſedem; iactantia cupit dominari mihi, ſuperbia vult eſſe mihi Rex; luxuria dicit, Ego regnabo; ambitio, detractio, inuidia & iracundia certant in meipſo de meipſo, cuius ego potiſſimùm eſſe videar. Ego autem quantum valeo reſiſto; renitor quantum iuuor; te Dominum meum reclamo; tibi me defendo, quia tui

me iuris agnosco; te mihi Deum, te mihi Dominum teneo, & dico, Non habeo regem, nisi Deum meum. Veni ergo Domine, disperge illos in virtute tua; tu regnabis in me, quia tu es ipse Rex meus & Deus meus, qui mandas salutes Iacob. Non aliæ leges, non alia plebiscita, præter tua in me agnoscantur: non aliud nomen, non aliud sceptrum præter tuum in me adoretur: vt tua voluntas fiat in terra, sicut in cælo.

O Domine quando erit dies illa? quãdo ab istis tyrannis ero liber & immunis? Quando non alia vox, quàm tua in me audietur? Quando erit defecatum cor meum? Quando vires inimicorum meorum sic conterentur, vt nulla mihi occurrat in mandatorum tuorum obseruantia contradictio? quando hostium meorum arma sic confringentur, vt nulla in me vis tuis legibus inueniatur contraria? Quando tranquillũ erit istud mare? quando serenum illud cælum? quando refrenati affectus & sopitæ passiones, adeò, quòd nulli fluctus, nullæ nubes, nullæ turbæ in me inuenientur, qui regnum tuum in me poterunt perturbare? sed altam pacem, securam tranquillitatem, & mandatorum tuorum obseruantiam vbique deprehendam?

Da mihi, Domine, hanc obediẽtiam, aut (vt melius dicam) concede mihi illud in cor meum ius & imperium, vt ad nutum meum tibi nunquam obstrepe-

rum ſit, ſed in omnibus ſubijciatur.

Porrò quemadmodum tibi obedire atque parere ſemper debeo, ſic etiam me tibi offerre, me totum in holocauſtum tibi immolare, & vtilitas ſuadet, & ęquitas poſtulat: quantus, quãtus enim ſum, totus tuus ſum. Tuus, inquam, ſum iuſtiſſimas ob cauſas: tuus, quia creaſti me, & eſſe, quod habeo, dediſti mihi: tuus, quia in hoc eſſe me conſeruaſti, prouidentiæque tuæ beneficijs & officijs me cumulaſti: tuus, quia me ex ſeruitute in libertatem aſſeruiſti, non auro, non argento, ſed pretioſiſſimo ſanguinis tui lytro redimens. Sum denique tuus, quia toties me tibi emiſti, quoties ex aliquo peccato me eruiſti.

Si itaque tot nominibus tuus ſim, & tu viciſſim meus ſis Rex, meus Dominus, meus redemptor & liberator; ecce conuerto me, vt reddam tibi quod tuum eſt: hoc eſt; meipſum trado tibi in perpetuum mancipium & ſeruum; ecce do tibi claues meæ libertatis, dominiũ meę voluntatis, vt poſthac nec meus ſim, nec alterius cuiuſpiam; ſed totus tuus, vt non viuam mihi, ſed tibi: non ſeruiam mihi, ſed tibi; adeò, vt ſiue comedam, ſiue bibam, ſiue quid aliud agam, omnia ad gloriam nominis tui referam. Me tibi ſiſto, me tibi trado, vt diſponas de me, ſicut de tuo; idque ſecundum voluntatis tuæ beneplacitum. Si volueris me viuere, aut mori; ſi ſanum aut infir-

mum esse; si diuitem aut pauperem; si laudatum aut illaudatum, in omnibus me tibi offero; me tibi deuoueo; ad manus tuas me totum resigno: iuri & possessioni meiipsius renuncio, vt post hac non sim meus, sed tuus; donec id quod tuum est iure, tuum quoque fiat mea voluntate, idque non semel, non vno die, sed semper & vbique. Amen.

ORATIO SECVNDA, QVA *petit anima omnia ad vitæ nouitatem necessaria.* 2

DOmine Deus redemptor & saluator mundi, antequam carne hac mortali exuar, te obsecro, vt in me non sit concupiscentia libidinis; sed amor pulcherrimæ castitatis: sim ad malum audiendum tarda, ad verbum tuum festina, ad perficiendum accelerans. Sim in timore tuo solicita, in amore perfecta, in fide constans, in spe nullatenus dubitans. Dilectione proximi ferueam, odij ardore non vrar, nec inuidiæ liuore tabescam: sanctum in me semper opus spira vt cogitem; compelle vt faciam; suade vt diligam te; confirma me, vt teneam te; custodi me, ne perdam te. Non ingrediatur, nec requiescat in domicilio meo, vbi tua debet esse mansio, pes superbiæ, nec gula, nec concupiscentia, nec fornicatio, nec auaritia, nec inuidia, nec ira, nec tristitia, nec vana gloria: sed profundam humilitatem posco à te, qui di-

August. in libro de salutaribus documentis. cap. 65.

Esa 66. xisti; Super quem requiescam, nisi super humilem & quietum?

Da mihi profundam humilitatem, qua curuetur altitudo carnis superbæ, quæ me suffocat. Da mensuratam abstinentiam, qua superflua ventris refrenetur edacitas, quæ me perimit. Da castitatem cordis, quæ me impollutam reddat. Da munditiam spiritûs, quia immunda carnis luxuria me demergit. Da manus largiflúas ad erogādas eleemosynas, qua tenax auaritia respuatur. Da dilectionis amorem, quo zelus extinguatur inuidiæ: concede tolerantiæ patientiam, per quam ira, crudelis bestia, superata deficiat.

Tribue æterni gaudij spem, qua tristitiæ amaritudo demulceatur. Fac intrinsecus mentem de bono opere gloriari in te, vt vanæ gloriæ foras ex me non procedat iactantia. Dona etiam mihi in omnibus tenere iustitiam, magnanimitatem, temperantiā; & fac me cum simplicitate esse prudentem, vt beatam vitam sinceriter agam, & malum prudenter fugiam: fraudulentam & deceptoriam astutiam Diaboli intelligere valeam, ne me per speciem boni fallat; & discernere rationabiliter valeam & præuidere, quid boni agam, vel quid mali refugiam.

Fac me post hac beneuolam, mitem, pacificam, modestam, mansuetam sine simulatione; omnibus bonis concor-

dem, in vigilijs, in ieiunijs, in orationibus constanter strenuam. Da etiam mihi in māsuetudine moderati sermonis adipisci silentium, vt loquar quod condecet; taceam quod loqui non oportet; vel quicquid ex virtutum fructibus conferre dignaberis. Da sine aliquo errore immaculatam tibi seruare fidē, & iuxta fidem digna esse opera mea; vt fidem rectam opere prauo non polluam, ne te, quem bene credendo confiteor, malè viuendo denegem, & te quem strenua fide sequor, actu & negligentię operibus non offendam. Fac me in sancto conuersari proposito, sequi iustitiam, diligere misericordiam, amare veritatem, refutare mendacium, falsum nihil meditari vel loqui.

Fac me indesinenter te timere, te diligere, tua præcepta seruare, pacem sine dolo cum omnibus retinere, discordes sine simulatione ad concordiam prouocare, charitatem cunctis insimulatam offerre, nullum scandalizare, nulli me præferre; sed omnibus inferiorem iudicare: reuerentiam & honorem non propter timorem potentum, sed ob altissimum exhibere senioribus, obedientiam & charitatem æqualibus offerre. Principibus & potestatibus Christianis in nullo resistere, sed in omnibus obtemperare, gratiam oportunæ dilectionis minoribus ostendere, fraterna onera siue pericula æquanimiter sustinere. Amicum

velut animam meam diligere, proximum ſicut memetipſum amare, cunctis ſimul prodeſſe, non obeſſe: nulli nocere, nulli aduerſari, nullum calumniari, nulli offendiculum ponere, nullum iudicare, nulli detrahere, nullius vitam carpere, nullius ſemitam explorare; ſed de meipſa tantùm eſſe ſolicitã, malum pro malo nequaquam rependere, iniuriarum mearum nec memorem eſſe, nec vindicem: ſed in omni bonitate ſuperare malitiam. Maledicẽti benedictionem parare, inimicum vt amicum diligere, contumelias & conuitia iraſcentium ſuſtinere, non rependere iniurias; ſed citò obliuiſci offenſionum mearum, & ignoſcere. Ad veniam concedendam ſemper paratam eſſe.

Da mihi, Domine, aliena non concupiſcere, nec occaſione qualibet auferre; mea verò non habentibus miſericorditer erogare, aduenam & peregrinũ propter te, qui redemiſti me, retinere: eſurientem reficere, ſitientem potare, hoſpitem colligere, nudum operire, viſitare languidum, redimere incarceratũ, conſolari triſtem, afflicto & lugenti compati, non habenti præbere neceſſaria, victum & veſtitum diuidere cum egeno. Amplecti indigenam, fouere domeſticum, tueri pupillum & orphanum: ſuffragari viduæ, ſubuenire oppreſſo, præſtare auxilium deſolato, dirumpere colligationes impietatis, vel quęcunque

præceptorum tuorum documenta declarant diligenter credere & audire, ardenter inuestigare, prudenter ſcire, feſtinanter exercere, deſideranter implere, & coram te humilem ſemper exiſtere; vt ſurgam, non deijciar; erigar, non ſubruar; aſcendam, non deſcendam: quia caro cum qua inhabito ſemper ducere me vult ad peccatum: mecum vult coronari, ſed non mecum decertare.

Nullum peiorem patior hoſtē quàm corpus meum, in quo habito. Eſt enim quaſi leo ſubuerſor in domo mea, vndique me peſtifero morſu dilacerādo conſumens. Ideo longa trahens ſuſpiria clamitādo dicam; Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei. Per quem? Per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, cui eſt honor & gloria in ſecula ſeculorum. Amen. Rom. 7.

TERTIA RESIPISCENtis *Oratio.* 3

DOmine tu qui creaſti me ſolus Deus meus, ſolus Dominus meus, Creator meus & Redemptor meus es, in quo ſpero, cui confido, à quo omnia quæ ad ſalutem animæ meæ requiruntur expecto. Non deſeris ſperantes in te. Tu dulciſſimus, tu benigniſſimus, tu liberaliſſimus Deus meus es, tu Pater luminum, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum deſuper in me deſcendit. Tu mecùm nihil eram creaſti, tu me *Collector.* Iacob. 1.

creatum & perditum redemisti, tu amissam stolam innocentiæ primam in baptismo restituisti, tu me post acceptam notitiam veritatis denuò voluntariè peccantem, & in huius mundi pelago periclitantem, per secundam naufragij tabulam, hoc est, per sacramentum pœnitentiæ seruasti. Et hęc omnia quidem gratis, ex sola tua gratia. Nam si ego te bene operando præueni, vbi est quod
Psal.58. Propheta tuus ait; Misericordia eius præueniet me? Si quid ego operationis bonæ dederim, vt gratiam tuam mere-
Ephes.4. rer, vbi est illud Apostoli tui; Gratia saluati estis per fidem, & hoc non ex vobis: donum enim Dei est? Si mea dilectio te præuenerit, quomodo verum erit illud;
1 Ioan.4. Non quia nos dilexerimus eum, sed ipse prior dilexit nos? Si sine tuo munere nostra virtute sequamur te, vbi est quod
Ioan.15. vnigenitus Filius tuus dicit; Sine me
Ioan.6. nihil potestis facere? &, Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum? Omne igitur quod habeo, totum id quod sum, gratuitum est, donum tuum est, liberalitas & misericordia tua est: adeò, vt ne cogitando quidem dona bonorum operum virtute mea præuenire potuerim. Non enim sufficientes su-
2 Cor.3. mus cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia omnis nostra ex te est.

Quid igitur faciam miser ego & miserabilis, nudus & pauper? Infirmus egò

& claudus, ſed donis ac beneficijs tuis diues atque opulentus, per mare nauigabam; oborta verò tempeſtas demerſit nauem, omnes diuitias, omnes merces meas vno infortunio amiſi. Tua bonitate, etſi naufragium paſſus, ego tamen euaſi: anima mea incolumis, ope vnius tabulæ ad terrã enatauit: ſed quid nunc agam? non habeo vnde viuam, & propter infirmitatem lucrari nil poſſum. Vnicum eſt remedium vt mendicem: ſed quis tam liberalis vt velit, tam diues vt poſſit tam deſperato pauperi ſubuenire, niſi tu ſolus Deus, benignus & miſericors, diues & omnipotens? Ad te igitur clamabo, ad te vociferabor, ad oſtium tuum ſine intermiſſione clamabo.

Cęterum hîc iterum me terret conſcientia, reclamat pudor & verecundia: quicquid enim antea poſſidebã, & nunc amiſi, id totum tuum erat; id mihi credideras, id totum tibi adhuc debeo: in ſuper & te offendi, tibi injurius fui, tuis bonis in tui ignominiam abuſus ſum. Noua igitur à te petere, quæ erit impudentia? Ergóne deſperabo? ergóne dicam cum Cain; Maior eſt iniquitas mea, quàm vt veniam merear? ergóne vagus & profugus ero à terra viuẽtium? Nequaquam: Scio enim quòd Deus meus & Dominus meus miſericors & clemens eſt, patiens & multę miſerationis. Scio, quia Dominus meus benignus eſt, & multæ miſericordiæ, & præſtabilis

Geneſ. 4.
Exod. 34.
Ioel. 2.

ſuper malitia. Scio, quia ſeruo ſuo debenti millia talentorum decem, poſtquam ſupplicem vidit, omne debitum dimiſit.
Matth. 18. Dicam igitur & ego cum ſeruo illo, Domine patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.

Sed vnde reddam ô Domine, niſi tu prior dederis? & cui dabis, niſi petenti te? quis autem petere non audeat, cùm omnes tam liberaliter inuites, dicens;
Matth. 11. Venite ad me omnes qui laboratis, & o-
Eſa. 55. nerati eſtis, & ego reficiam vos. Venite omnes ſitientes ad aquas: & qui non habetis argentũ, properate, emite & comedite. Venite, emite abſque argento, & abſque vlla commutatione vinum &
Granateſ. lib. 5 Memorialis. lac. Hac tam benigna prouocatione tua incitatus ego ecce venio ad te, & precor, vt des mihi vnde reddam omnia quæ tibi debeo: da ſcilicet vt te debitè adorem, te timeam, te laudem, tibi reuerentiam & honorem exhibeam: tibi pro tuis beneficijs gratias agam, te ex toto corde diligam, in te ſpem omnem ponam, tuis mandatis obtemperem, me totum tibi offeram, tuis me manibus totum commendem; & has, ſimileſque gratias à te petere diſcam, vt foris ante oculos meos, & intus in corde meo nominis tui gloria & animæ ſalus meæ veluti ſcopus mihi præfigantur.

Oro etiam te Domine, vt mihi tribuas peccatorum meorũ remiſſionem, veram contritionem & pœnitentiam:

da

da gratiā ne in posterum offendam te denuo, vel ijs peccatis, quæ hactenus mihi familiaria fuerunt, vel alijs quibuscunque. Potissimùm autem gratiam à te Domine peto, & vires, vt carnem meam castigare, linguam refręnare, cordis appetitus inordinatos mortificare, dispersas, vagasque imaginationis meæ cogitationes colligere valeam ; vt sic totus foris & intus reformatus, nouaque creatura effectus, merear esse viuum templum, & gratum, in quo requiescas, habitaculum.

Largire mihi virtutes etiam illas, quibus illud tuum habitaculum nō tantùm purgetur, sed etiam ornetur ; vt sunt nominis tui sanctus timor, firma spes, profunda humilitas, integra patientia, prudens discretio, paupertas spiritûs, perfecta obedientia, continua fortitudo, & diligens alacritas in omnibus ijs, quæ ad tuum cultum & obsequium pertinent : ante omnia verò ardentissima charitas, tam erga te, quàm erga proximum.

Cęterùm quia scio me omnibus his indignum, nihilque horum promeruisse, memor esto precor, ô Domine, miserationum tuarum antiquarum: memorare quòd non vis mortem peccatoris, Ezech.18. vt ipse testaris, sed vt conuertatur & viuat : recordare quia non venit vnigenitus tuus Filius in hunc mundum vocare Matth.9. iustos, sed peccatores : memento quanta

fecit,

fecit, quanta tulit à die natiuitatis suæ, vsque dum in cruce moreretur. Quæ omnia tibi, ô clementissime Pater, offero, vt sint pro peccatis meis sacrificium in odore suauitatis : nec pro peccatis tantùm, sed & pro omnibus necessitatibus meis : quidquid enim oro, quidquid peto, id in illius, non in meo nomine postulo. de te namque dicitur, quòd honoras patres in filijs, & vni parcis, propter alium ; quemadmodum & Dauid
2 Reg. 9. olim Miphiboseth propter Ionathan patrem eius honorauit. Honora igitur & tu vnigenitum filium tuum in me, benefaciens mihi propter illum : quia ipse pater meus, & secundus Adam meus est: ego autem filius illius, licet dyscolus atque immorigerus. Aspice Domine, quia ego ad te confugio, ad ostium misericordiæ tuæ venio, tibi paupertatem meam expono, tibi vulnera mea detego ; quia verus medicus meus es tu. animam meam coram te effundo, & Dauidico inflammatus spiritu ad te clamo, dicens ;

Psal. 85. Inclina Domine aurem tuam, & exaudi me : quoniam inops & pauper sum ego. Custodi animam meam, quoniam sanctus sum : saluum fac seruum tuum Deus meus sperantē in te. Miserere mei Domine, quoniam ad te clamaui tota die : lætifica animam serui tui, quoniam ad te Domine animam meam leuaui. Quoniam tu Domine suauis & mi-

tis, & multæ misericordię inuocantibus te. Auribus percipe Domine orationem meam: & intende voci deprecationis meæ. In die tribulationis meæ clamaui ad te: quia exaudisti me. Deduc me Domine in via tua, & ingrediar in veritate tua: lætetur cor meum vt timeat nomen tuum. Confitebor tibi Domine Deus meus in toto corde meo, & glorificabo nomen tuum in æternum. Amen.

QVARTA RESIPISCENTIS 4

Oratio, qua petitur sensuum & potentiarum animi reformatio.

O Affluentissime fons totius sapientiæ, flos diuini consilij, & spiritualis intellectûs. O lumen clarissimum, ô inextinguibile felicitatis ingenium. O altissima, subtilissimaque profunditas cælestium secretorũ, Domine Iesu Christe, fili Dei altissime, via omnium visibilium & inuisibilium creaturarum, Deus omnium origo indeficiens, qui cuncta verbo creasti, qui ambulas super pennas ventorum, qui habes claues mortis & inferni, cui data est omnis potestas in cælo & in terra: Pater omnipotens ęterne Deus, te rogo supplex, mitte hodie de excelso cælorum habitaculo Spiritum sanctum in cor & in animam meam. Fac vt sancti Angeli tui descendant super me, & visitent me, doceantque omnem scientiam, dixisti enim: Dilata os tu-

Ex hortulo deuotionis.

Psal. 17. Apoc. 1. Matth. 28.

Psal. 80.

um & implebo illud.

Infunde ergo cordi meo lumen septiformis gratiæ tuæ, quod SS. Apostolis infudisti, vt cælestem thesaurum tuæ sapientiæ perfectè obtineam : da mihi intellectum mirabilia de lege tua percipientem, & memoriam in mandatis tuis die ac nocte meditantem : interiores atque exteriores animæ meæ potentias plenitudine gratiarum perfunde, & spiritu sapientiæ, intellectûs, consilij & fortitudinis; spiritu scientiæ, pietatis, timoris & amoris tui corrobora, vt totus ad imaginem & similitudinem tuam renouatus, gratam tibi in posterum seruitutem seruiam.

Rogo etiam te Rex Regum potentissime, Princeps principum sapientissime, vt lumen claritatis tuæ sensibus meis infundere digneris; visum illuminando, auditum aperiendo, odoratum, gustum, tactum regendo, reficiendo, sanctificando : vt omnes qui me viderint & audierint glorificent Patrem tuum, & à vitijs resipiscant.

O imago summæ bonitatis Domine Iesu Christe, apud quem omnis sapientia & scientia requiescit, ago tibi gratias, quòd tuorum cælestium secretorum profunditatem à sapientibus & prudentibus huius mundi abscondisti, & reuelasti ea paruulis: fac me etiam humilem & paruum in oculis meis, & da mhi intellectum & sapientiam, vt viuam. Mit-

te mihi Spiritum sanctum consilij, tu qui es magni consilij Angelus, qui cor, mentem, sensum, phantasiam & intellectum meum purificet ac illuminet.

Reple cor meum tui saporis dulcedine, vt te semper sitiam fontem sapientiæ, fontem æterni luminis: vt nõ obliuiscar verborum tuorum, quia declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis. Psal. 118. Illumina quoque tenebras mentis meæ lumine tui splendoris; quia tu es fons vitæ, & in lumine tuo videbo lumen, per te Domine Iesu Christe, qui cũ Patre &c. Amen.

QVINTA ORATIO RESIpiscentis pro emendatione vitæ. 5

CHriste Domine Verbum Patris, qui venisti in hunc mundum peccatores saluos facere, rogo te per indulgentissima misericordiæ tuæ viscera, emenda vitam meam, meliora actus meos, compone mores, tolle de me quod mihi nocet, & tibi displicet: & da quod nosti tibi placere, & mihi prodesse. D. Augustinus Meditat. c. 36. Quis potest mundum facere de immundo conceptũ semine? Iob 14. Tu es Domine Deus omnipotens infinitæ bonitatis, qui iustificas impios, & viuificas mortuos propter peccata; qui mutas peccatores, & non sunt.

Tolle ergo de me quicquid tibi displicet in me; imperfecta enim mea plurima vidẽt oculi tui. mitte quęso manum

pietatis tuæ in me, & tolle de me, quidquid offendit oculos tuæ pietatis in me. Coram te Domine ſanitas & infirmitas mea; illam precor ſerua, iſtam ſana. Sana me Domine & ſanabor, ſaluum me fac & ſaluus ero; tu qui infirma ſanas, & ſanata conſeruas: tu qui ſolo nutu tuo conſeruas, reſtauras diruta & collapſa.

Si enim dignaris in agro tuo, corde meo ſerere bonum ſemen, neceſſe eſt vt manu pietatis tuæ ſpinas priùs euellas vitiorum meorũ. Dulciſſime, benigniſſime, pulcherrime Domine Ieſu Chriſte: infunde obſecro multitudinem dulcedinis tuæ & charitatis tuæ pectori meo, vt nihil terrenum, nihil carnale deſide rem, vel cogitem: ſed te ſolum amem, te ſolum habeam in corde & ore meo, nunc & ſemper & in ſecula ſeculorum. Amen.

6 SEXTA ORATIO RESIPIſcentis ad vitæ nouitatem impetrandam.

Collector. OMnipotens æterne Deus, pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, infirmus
Rom. 7. ego & imbecillis legi quidem tuæ condelector ſecundum interiorem homi nem; ſed aliam in membris meis inuenio repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati: ita vt non quod volo bonum, hoc faciam, ſed quod nolo malũ, hoc agam: non enim habitat in me, hoc eſt in carne mea bo-

num. Velle quidem adiacet mihi, perficere autem non inuenio: nec itaque boni quicquam agere sine te, nec viuere secundum legem tuam, absque tua gratia possum. Peccare possum, & quidem facillimè; bonū autem operari non possum, nisi tu ipse in me opereris.

Obsecro igitur te, ô benignissime Domine, cùm me hominem secundū imaginem & similitudinem tuam creaueris, perditum per vnigenitum Filium tuum quæsieris, inuentum ad ouile tuum reduxeris, à mundo, carne, diabolo, peccato & perenni condemnatione liberaueris, in filium adoptaueris, & vitę sempiternæ participem feceris, perfice opus tuum, quod in me cœpisti, & Spiritum sanctum tuum ne deneges mihi: vt eius ope atque virtute, eius operatione & cooperatione te patrem æternum, haud secus atque filius, imò seruus manumissus per totum vitæ meæ curriculū adorem, colam, laudem & glorificem. Doce me facere voluntatem tuam, duc me in semitas mādatorum tuorum; præcepta Psal.18. tua desiderabilia mihi sint, super aurum & lapidem pretiosum multum, dulciora super mel & fauum.

Tribue mihi Domine, vt si fortè alibi impingam, imò si cecidero, & à Diabolo, carne & sanguine meo præoccupatus fuero, statim per veram peccatorum meorum agnitionem, & sinceram pœnitentiam iterum resurgā, peccata mea

in amaritudine cordis tibi confitear, apud te indulgentiam & remiſſionem quæram, & quaſi infans modò lotus, qui ſe confeſtim rurſus commaculat, pedes vnigenito filio tuo extendam, eique lauacro ſanguinis ſui mundandos præbeam.

Tu enim Domine vita mea es, tu virtus & fortitudo mea. Tu ſanctificator meus, tu dux & rector vitæ meæ. Conſerua igitur me ab omni impuritate vitæ, à moribus diſſolutis & inordinatis. tolle à me ſpiritum cenodoxiæ, & redde modeſtiam: tolle ſuperbiam, & redde humilitatem: tolle æſtum libidinis, redde mentis & corporis caſtitatem: tolle ebrietatem & gulam, redde in edendo bibendoque temperantiam: ab omni ira & vindictæ cupiditate me protege, patientiam verò & longanimitatem da mihi: omnis auaritia & impoſtura procul ſit à me, ne quem fratrum meorum in negotijs circumueniam, ſed potiùs in omni illius neceſſitate larga manu proximo ſuccurram, atque illum nō lingua aut verbo, ſed opere & veritate diligam. Quid multis? tolle à me, ô Pater meus & Deus meus, quidquid tibi diſplicet in me, & redde mihi, quidquid exigis à me: iube quod vis, & da quod iubes.

Aperi aures meas, vt audiant mandata tua: ſolue linguam meam, vt annunciet laudem tuam: tribue gratiam, vt carnem meam cum concupiſcentijs eius

crucifigam, ne quæcunque appetit, ea faciam; sed quæ lex tua præcipit, hæc agam. mundum, qui totus in maligno positus est, peccatisq; & offendiculis abundat, neque ea quæ in mundo sunt diligam: tibi me totum subijce, cor meum super omnia, quæ in mundo sunt, eleua, vt quæ sursum sunt quæram, vbi Christus filius tuus est in dextera tua; quæ sursum sunt sapiam, non quæ super terram: te solum cogitem, te desiderem, ad te suspirem; dissolui, & esse tecum cupiam, qui viuis & regnas cum filio & Spiritu sancto Deus per omnia secula seculorum. Amen.

SEPTIMA ORATIO RESIpiscentis, ex Psalmis compilata. 7

AD te Domine leuaui animam meam: Deus meus in te confido, non erubescam. Psal. 24.

Dirige me in veritate tua, & doce me: quia tu es Deus Saluator meus, & te sustinui tota die.

Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ, Vt videam voluntatē Domini, & visitem templum eius. Psal. 26.

Ibi labia mea laudarent te, ibi benedicerem te in vita mea, & in nomine tuo leuarem manus meas. Sicut adipe & pinguedine repleretur anima mea, & labijs exultationis laudaret os meum. Psal. 62.

Pſal.70. Repleatur os meum laude, vt cantem gloriam tuam : tota die magnitudinem tuam. Os meum annunciabit iuſtitiam
Pſal.72. tuam : tota die ſalutare tuum.
Quid enim mihi eſt in cælo? & à te quid volui ſuper terram? Defecit caro mea, & cor meum : Deus cordis mei, &
Pſal.83. pars mea Deus in æternum.
Quia melior eſt dies vna in atrijs tuis ſuper millia. Elegi abiectus eſſe in domo Dei mei, magis quàm habitare in taber-
Pſal.85. naculis peccatorum.
Cuſtodi animam meã Domine, quia ſanctus ſum : ſaluum fac ſeruum tuum Deus meus ſperantẽ in te : lætifica animam ſerui tui, quoniam ad te Domine animam meam leuaui.

Pſal.118. Reuela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua.

Aufer à me opprobrium & contemptum : viuifica me ſecundum verbum tuum. Viam iuſtificationum tuarum inſtrue me, & viam iniquitatis amoue à me, & de lege tua miſerere mei.

Deduc me in ſemitam mandatorum tuorum, quia ipſam volui : & cuſtodiam legem tuam ſemper, in ſeculum, & in ſeculum ſeculi.

Inclina cor meum in teſtimonia tua, & non in auaritiam : auerte oculos meos ne videant vanitatem, in via tua viuifica me. Statue ſeruo tuo eloquium tuum, in timore tuo.

Veniat ſuper me miſericordia tua

Domi-

Domine, ſalutare tuum ſecundum eloquium tuum; & ne auferas de ore meo verbum veritatis vſquequaque.

Paratus ſum & non ſum turbatus, vt cuſtodiam mandata tua: fiat cor meum immaculatum in iuſtificationibus tuis, vt non confundar.

Configе timore tuo carnes meas: à iudicijs enim tuis timui. Greſſus meos dirige ſecundum eloquiũ tuum, & non dominetur mei omnis iniuſtitia.

In quacunque die inuocauero te, exaudi me: multiplicabis in anima mea virtutem. Pone cuſtodiam ori meo, & oſtium circunſtantiæ labijs meis. Pſal. 137.

Non declines cor meũ in verba malitiæ, ad excuſandas excuſationes in peccatis. Pſal. 140.

Eripe me de inimicis meis Domine, ad te confugi: doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu. Pſal. 142.

Educ de cuſtodia animam meam ad confitendũ nomini tuo: me expectant iuſti, donec retribuas mihi. Pſal. 141.



CAPVT QVINTVM, CONTINENS ORATIONES ANTE ET POST SAcram Communionem vſurpandas.

PRAEFATIO DOCENS quomodo dignè communicare quis poterit.



MNIA *nouæ legis Sacramenta diſpoſitionem & præparationem aliquam in ſuſcipientibus ea requirunt: alia tamen alijs maiorem, & accuratiorem, pro excellentia & dignitate ſua: quædam enim dolorem peccatorum tantùm requirunt, vt* Baptiſmus; *alia præter dolorem & contritionem, etiam exigunt eorundem peccatorum confeſsionem, vt* Pœnitentia. *Sacramentum verò altaris, quia omnium eſt nobiliſsimum, perfectiſsimam, exquiſitiſsimamq́; poſtulat diſpoſitionem, & præparationem. Non enim ſola contritione & confeſsione peccatorum hæc præparatio perficitur, ſed alia multa requiruntur, vt quis non indignè ad hoc Sacramentum accedat, effectuumq́; & gratiarum, quæ in hoc Sacramento diſtribuuntur, particepsfiat.*

Eſt enim hoc Sacramentum virtutis infinitæ; Habens in ſe Chriſtum, qui fons eſt

omnium gratiarum; omniaq; merita Dominicæ Paßionis, quæ similiter nec modum habent, nec numerum in se continent. Proinde *quanto maior est præparatio, qua cum ad hoc* Sacramentum *accedimus, tanto maior erit & gratia, quam in illo percipimus.* Quemadmodum *enim is, qui ad puteum venit, vt aquam hauriat, tantum haurit, quantum eius vas capit: quòd autem plus non haurit, id vasi, non puteo imputandum est, qui plus daret, si vas amplius caperet:* Sic *qui ad diuinum hoc* Sa*cramentum veniunt, tantum gratiarum hauriunt, quanta est deuotionis & præparationis capacitas: secundum namque subiecti dispositionem causæ operantur.* Requirit *autem huius* Sacramenti *nobilitas atque excellentia*

I. *Puritatē conscientiæ ab omni peccatō mortali, & quantum fieri potest etiam veniali: quare* Confeßio Communioni *semper est præmittenda, si communicaturus se alicuius criminis reum agnoscat.* Concil. Trid. Ses. 13. cap. 7.

II. *Puritatem intentionis; vt scilicet bono fine quis accedat, non priuato commodo prouocatus, non timore pœnæ coactus, non ex consuetudine, non vt sensibilem aliquam deuotionem & dulcedinem in eo percipiat: sed ex intentione pura.* Huiusmodi *intentiones variæ sunt, quas commemorat* Bonauentura *his verbis;* Aliquos *trahit amor* Dei, *vt dilectum ad se sæpius inuitent, eumq; in semetipsis delectabi* De processu Religionis cap. 22.

liter amplexentur. Aliquos propriæ infirmitatis intuitus, vt eum quasi medicum ad se vocent, per quem ab infirmitate curētur. Aliquos *conscientia delictorum suorum, vt per eam, quasi per hostiam placationis ab omnibus peccatis expiati purgentur.* Alios *pressura alicuius tribulationis, vt per eum, qui omnia potest, ab omni aduersitate citiùs liberentur, & tutiùs protegantur.* Aliquos *desiderium alicuius gratiæ, vel beneficij impetrandi per eum, cui* Pater *nihil negare potest pro se intercedenti.* Aliquos *gratiarum actio pro beneficijs diuinis.* Aliquos *laus & honor* Dei *&* Sanctorum: *aliquos charitas & compaßio proximorum; cùm pro salute viuorum, & requie defunctorum nihil efficaciùs interpellat, quàm sanguis* Christi *pro nobis effusus.* Hæc ille. Primarius *autem, & proprius finis huius* Sacramenti *est, vt mediante illo, in quo* Christus *realiter inest, in anima nostra* Christi *spiritum excipiamus, cuius beneficio transformemur in illum, viuamusq́; sicut ille vixit, in omni charitate, obediētia, paupertate spiritûs, mortificatione corporis, contemptu mundi, &c.* hoc *est, vt vnum quid cum illo per imitationem vitæ illius efficiamur.* Deinde *vt memoriam quoque paßionis eius renouemus, & pro inæstimabili redemptionis nostræ beneficio* Redemptori *gratias agamus.*

III Requirit *huius* Sacramenti *præparatio*

actua-

actualem deuotionem. Est autem hæc deuotio affectus quidam generalis spiritûs, ex aliis affectibus & desideriis spiritualibus compositus: quibus anima ad venerabile hoc Sacramentum accedentis plena esse debet. Rectè namque Ambrosius: Quanta, inquit, cordis contritione & lachrymarum fonte, quanta reuerentia & tremore, quanta corporis castitate atque animi puritate illud diuinum & cæleste mysterium est celebrandum, Domine Deus, vbi caro tua in veritate sumitur? vbi sanguis tuus in veritate bibitur? vbi summis ima, humanis diuina iunguntur? vbi sanctorum adest Angelorum præsentia? vbi tu es Sacerdos & sacrificium mirabiliter & ineffabiliter. In oratio. præparat. ante Missam.

Vt igitur aqua quædam odorifera ex variis boni odoris floribus & herbis distillatur: sic deuotio hæc ex multis spiritualibus, Deoq; gratis affectibus componitur; vt sunt inter alios profunda humilitas, summa reuerentia, firma fiducia, ardens amor, impatiens fames, & intolerabile desiderium huius panis supercælestis.

AD *huiusmodi præparationem certum aliquod tempus ante communionem requiritur; ne, quod multi faciunt, recenti adhuc peccatorum memoria, fœtente etiamnum eorum turpitudine, & fumigante nondum satis extincta peccandi libidine, ad tam tremendum mysterium accedamus. Sex mensibus se præparabant* Hest. 1.

puellæ in conspectum Regis Assueri venturæ, & tribus diebus populus legem accepturus: multo igitur maiori iure saltem tridui præparationem postulat huius Sacramenti sumptio. Exod. 19.

Toto illo tempore communicaturus pijs studijs vacet, conscientiam suam examinet, peccata confiteatur, & post confessionē ab omni peccato mortali, etiam veniali, quantum fieri potest, abstineat: peccandi occasiones fugiat, à mundi conuersatione, humanarumq; occupationum strepitu sese subducat. Ante omnia cor diligenter custodiat, ne in lectulo cælestis sponsi, quem floridum requirit sponsa, spinæ & tribuli inueniantur. Orationibus igitur, meditationibus, & pijs lectionibus toto illo triduo incumbendum est.

Vesperi, cùm postridie communicandū erit, nihil, aut parum homo in cœna comedat, post cœnam mox surgat, fabulis non indulgeat; sed in cubiculo solus cum Deo colloquatur. Ante somnum Deum oret, vt ea nocte se custodiat ab omni Dæmonis illusione, omniq; peccato, & noxio phantasmate. Mane cùm expergiscitur, persuadeat sibi, quòd in brachijs Christi iacet, incipiatq; passionem Dominicam meditari.

HÆC sunt quæ ex parte hominis ad præparationem, huic Sacramento præmittendam, requiruntur: quæ tamen non sufficiunt, nisi Deus ipse cor hominis præparet: si enim ne-

mo

mo ad augmentum gratiæ poterit disponi, sine ope ipsius gratiæ; multò minùs poterit quis disponi ad dignè Deum percipiendum, sine ope ipsius Dei. Quamobrem necesse est, vt auxilium Dei humilibus orationibus & obsecrationibus inuocetur, quo cooperante purgetur & ornetur cœnaculum, in quo Christus nobiscum Pascha suum manducabit. Ad hoc debito modo faciendum accommodatæ sunt meditationes, & orationes quæ sequuntur.

MEDITATIO DEVOTISSIMA, *& ante Communionem vtilissima, qua anima ad timorem & amorem excitatur.*

QVis es tu Domine mi, & quis sum ego, qui audeo tibi appropinquare? quid est homo, vt possit in se Deum recipere factorem & Redemptorem suum? Quid est homo, natura sua, nisi vas corruptionis & putredinis? filius Dęmonis? hæres inferni? operator peccatorum? contemptor Dei, & creatura ad omne bonum inepta, ad omne verò malum aptissima, promptissimaque? Granatēs. lib. 3 Memorialis

Quid est homo, nisi animal omnibus in rebus miserabile? in consilijs cæcum, in operibus suis inconstans, in appetitibus immundum, in desiderijs lubricum? in omni opere suo paruum, & in proprijs oculis magnum? Vide Domine, vide quis sim ego.

At tu Domine mi, quis & qualis es? Tu magnus es ſine quantitate, tu bonus ſine qualitate, tu ſapiens ſine menſura, tu æternus ſine tempore. Tu es omnipotens in virtute, immenſus in ſapientia, admirabilis in conſilijs, terribilis in iudicijs, perfectus & abſolutus in omni virtute.

Quomodo igitur tã vilis & immunda creatura audebit adire & contingere Deum tantæ Maieſtatis? Ecce Luna etiam non ſplendet, & ſtellę nõ ſunt mundæ in conſpectu eius. Columnæ cæli contremiſcunt, & pauent ad nutũ eius. Altiſſimi illi Seraphin contrahunt alas ſuas, & in conſpectu tuo fatentur ſe papiliones, & viliſſimos eſſe vermiculos. Quæ igitur audacia, quæ temeritas, vt homo viliſſima, abiectiſſimaque creatura audeat tantum Dominum in ſe recipere?

Iob 21.

Sanctus ille Baptiſta Ioannes, in vtero matris ſuæ ſanctificatus, non fuit auſus, cùm baptizaret Dominum, verticem illius tangere: imò indignum ſe teſtatus eſt, qui ſolueret corrigiam calceamenti eius.

Luc. 3. Ioan. 1.

Princeps Apoſtolorum exclamat dicens; Exi à me Domine, homo enim peccator ſum. & ego peccatorum omnium facilè princeps tibi appropinquare non formidabo? Si panibus propoſitionis, qui tantùm vmbra erant profundiſſimi huius myſterij, nẽmini licuerit ve-

Luc. 5. 1 Reg. 21.

ſci, niſi qui mundus erat & ſanctificatus; quî potero ſecurus eſſe ego, qui manduco panem Angelorũ, cùm interim tam procul abſim ab omni ſanctitate?

Agnus ille paſchalis, qui erat typus & figura huius Sacramenti, iuxta mandatum Dei comedi debebat cum panibus azymis & lactucis agreſtibus: qui autem comedebant, renes accinctos, & calceamenta in pedibus habere iubebantur. Ah quomodo audebo ego ad verum hunc agnum paſchalem accedere, qui nullam harum præparationum habeo? Quid enim aliud panis azymus, quàm puritas ſine fermento malitiæ? quid lactucæ amaræ, niſi vehemens contritio? vbi eſt puritas renum? vbi pedum; id eſt ſanctorum deſideriorum munditiès? Exod.12.

Timeo Domine, & vehementer timeo, ne fortè malè excipiar in hac menſa, ſi quid horum mihi deſit apparatuum.

Hac menſa prohibitus, imò ab ea reiectus eſt ille, qui ſine veſte nuptiali, hoc eſt, ſine charitate acceſſerat: ligatiſque manibus & pedibus in tenebras exteriores deturbatus eſt. quid ego aliud nunc expecto, ſi me abſque hac veſte in conuiuium hoc ingeſſero? Matth.22.

O diuini oculi, quibus aperti ſunt & manifeſti omnes animæ meæ ſinus & anguli, quid fiet de me, ſi in conſpectum tuum nudus & vacuus acceſſero?

Arcam, quę figura tantùm erat huius

Sacramenti, attingere tantum nefas fuit, vt Sacerdos Oza, qui ad eam casum minitantem manum extendit, & tenuit, subitanea morte percussus sit: quî possem ego non timere, & pœnam eandem metuere, si indignè percepero id, cuius arca illa figura tantùm fuit?

2. Reg. 6.

1. Reg. 6.

Bethsamitæ nihil aliud deliquerant, quàm quòd Arcam fœderis curiosiùs erant intuiti, cùm ea per fines eorum deferebatur: & tamen adeò indignatus est Dominus, vt ob eam solam causam septuaginta de populo viros, & quinquaginta millia plebis occiderit. Sed ô misericordissime Domine, quanto augustius est Sacramentū hoc Arca fœderis? quanto periculosius est recipere te, quàm videre te?

Non immeritò igitur horrere, & cōtremiscere debeo, quoties venio ad sumendum Dominum tantæ Maiestatis & iustitiæ? Et si tot causæ sint, cur debeam timere tuam magnitudinem, quot erunt rationes metuendi, si perpendam peccatorum meorum multitudinem? memor enim sum Domine multorum, grauiumque criminum meorum, quibus diuinam tuam Maiestatem offendi in hoc mundo.

Fuit, fuit aliquando (gratia tibi Domine, quòd iam non est) tempus illud, quando infinitam illam tuam pulchritudinem, summa obliuione apud me sepultam, minimè amarem: quando pul-

uis creaturarum tuarum maiori apud me in pretio fuit, quàm thesaurus gratiarum tuarum, & spes gloriæ sempiternæ. Lex & regula vitæ meæ erant mea desideria & inordinati appetitus: nullam tui rationem, nullam tui habebam reuerentiam, quoniam te non cognoscebam.

Ego sum insipiẽs ille, qui dixi in corde meo; Non est Deus. tam dissolutè siquidem aliquamdiu vixi, vt moribus meis profiterer, quòd crederẽ te aut nõn esse, aut nihil posse. Non dedi operam, vt in amorem tuũ me insinuarem: non timui iustitiam tuam, non veritus sum legem tuam præuaricari: gratias, quas debui, non reddidi tibi: etsi te omnibus in locis præsentem sciebam, non tamen in tuo conspectu peccare securè, & quidem grauiter erubui.

Quicquid oculi mei desiderârunt, id omne illis permisi, nec cordi meo vim intuli, quò ipsi delectationes eius subtraherem; & quod genus flagitij est, quo anima mea sese nõ coinquinauit? Quid aliud fuit vniuersa vita mea, quàm assiduum bellum contra te? quid aliud, quàm renouatio omnium tormentorum, totiusque vitæ tuæ passionum? Quoties ego te pro momentanea voluptate, aut minimo lucro, tanquam alter Iudas vendidi? Et nunc veniens, vt te percipiam, quid aliud ago, quàm osculum tibi paro, cum ipso Iuda, quo te tra-

dam, quem iam antea vendidi? Quid aliud feci, cùm alias communicaui, quàm quòd cum militibus te delusi, tibique insultaui, hîc genu flectens, & te adorans, illic arundine benedictum caput tuum percutiens?

Quomodo igitur audebo recipere te Domine in statu tam immundo & flagitioso? quomodo tam temerarius esse potero, vt sacratum corpus tuum reponam in speluncam draconum, & in nidum viperarum? quid aliud est anima peccatoris, quàm habitaculum Dæmonum, nidus bestiarum, porcile, & cloaca omnis immunditiei?

Quomodo tu requiesces hîc Domine, qui puritas es virginalis? & qui fons es omnis pulchritudinis, quomodo in loco tam abominabili poteris habitare? Quæ participatio iustitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? 2. Cor. 6. quę autem conuentio Christi ad Belial? O flos campi, ô lilium cōuallium, ô panis Angelorum, quomodo pabulū nunc factus es bestiarum?

Quare diuinum hunc cibum das canibus, & pretiosas margaritas mittis ante porcos? O amator animarū purarum & mundarum, qui pasceris inter lilia Cant. 2. donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ: quod pabulum tibi dare potero in hoc corde meo, vbi nihil crescit præter tribulos & spinas? Lectulus tuus est de lignis Libani; columnæ eius aureæ, re- Cant. 3.

clina-

clinatorium tuum aureum, & ascensus purpureus : in cubili cordis mei nihil horum reperitur. quam igitur sedem tibi illuc intranti ponam ? quem lectulum sternam ?

Sanctissimum corpus tuum de Cruce sublatum mundissimæ sindoni fuit inuolutum, atque in sepulchrũ nouum positum, in quo nemo fuerat iam antea sepultus. Quæ verò pars animæ meæ munda est; quæ noua, in qua te potero sepelire? Quid os meum aliud, quàm sepulchrum patens, de quo nihil præter fœtores & putredines meorum peccatorum procedit? Quid cor meum, nisi fons pessimorum appetituum & desideriorum? Quid volũtas mea, nisi domus & reclinatorium Dæmonis?

Quomodo itaque audebo appropinquare tibi? te recipere? te impuris labijs meis exosculari? nullus angulus est in anima mea mundus aut purus, quique non sæpius diuersis peccatorum generibus est prophanatus. Non habeo sepulchrum mundum & nouum in quo te condam. O Redemptor & Seruator mi, pudore suffundor, quoties me in tali statu video : erubesco, perpendens qualis ad hoc augustum & regale tuum conuiuium accedo, qualis in amplexus Sponsi cælestis irruo, qui stat iterum paratus, vt me benignè recipiat.

Altera pars huius meditationis.

AGnoſco Domine, agnoſco magnam indignitatem meam : ſed maxima quoque miſericordia tua non eſt à me abſcondita : hæc eſt, quæ mihi ſuggerit audaciam, & fiduciam ad te veniendi dat, qualis qualis etiam ſum. Quò enim indignior ad te venio, eò magis glorificaris tu, ſi non repellas me, aut odio proſequaris creaturam tam immundam.

Domine, tu non ſoles repellere peccatores, ſed vocare, & ad te conuertere. Tu es qui dixiſti; Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos: & alibi; Non opus eſt ſanis medico; ſed his qui male habent. De te publicè dictum eſt, quòd publicanos & peccatores recipiebas, & cum illis manducabas. Domine mi, tu non mutaſti naturam, quam tunc habuiſti : ideoque firmiter credo, quòd etiam num de cælo vocas illos, quos tunc in terra viuens vocaſti.

Matth. 11.

Matth. 9.

Quapropter & ego pia illa vocatione illectus venio ad te, peccatorum pondere prægrauatus : & tu me exonerabis. venio laborans & oneratus, & tu me reficies. Venio tanquam infirmus ad medicum, & tu me ſanabis : tanquam peccator ad fontem iuſtitiæ, & tu me iuſtificabis. Tu recipis peccatores, atque mãducas cum illis; cibuſque tuus eſt conuerſari cum illis, & deliciæ tuæ, eſſe cum hominibus.

Si tantopere delecteris, Domine, tali-

bus conuiuis, ecce habes hîc insignem peccatorem, quocum potes manducare panem tuum. Credo equidem Redemptor mi, multo plus te oblectasse lachrymas illius publicæ peccatricis, quàm superbum illud epulum tumidi illius Pharisæi : propterea nec despexisti illã, nec à te, vt peccatricem reiecisti : sed potiùs benignè recepisti, peccata illius dimisisti, contra calumniantium oblocutiones defendisti ; propter paucas lachrymarum guttas, multa illi peccata condonasti. Luc. 7.

Ecce Domine, hîc noua tibi maioris gloriæ offertur materia, datur occasio. ecce hîc iacet peccator, qui multo quidem plura habet peccata, lachrymas verò multo pauciores. Illa nec prima, nec vltima fuit, quam tua misericordia suscepit. multa similia fecisti Domine, & multa similia tibi adhuc restant facienda. Intra Domine nunc numerum eorum, auspicare opus tuum, recipe in gratiam eum, qui te grauiùs offendit, & qui leuiùs propter offensionem plãgit. Non habet hic tot lachrymas, vt pedes tuos queat lauare : sed tu tantum sanguinis effudisti, quantum sufficit ad ablutionem peccatorum, non tãtùm meorum, sed totius etiam mundi.

Ne indignè feras Domine mi, quòd talis existens, qualem me vides, audeam venire in conspectum tuum. Memento quòd non indignatus es, cùm paupercu-

la illa, quę sanguinis fluxum patiebatur, clàm ad te venit, quærens remedium suę infirmitatis, & apprehendens fimbriam vestimentorum tuorum: sed potiùs laudasti illam, & cõsolatus es, dicens; Confide filia, fides tua te saluam fecit. Ecce ego & maiorem & periculosiorem sanguinis fluxum patiens, quique minùs est curabilis, quid agam? quò me vertam? ad quem ibo, nisi ad te Domine, vt beneficium sanitatis adipiscar?

Matth.9.

Domine mi, tu nec officium tuum, neque consuetudinem aut naturam tuam mutasti, quam habuisti, cùm nobiscum in terris versabaris, etiamsi nunc in cælos abieris, & procùl à nobis abesse videaris. Si enim mutatus esses, alia scriptura, & alio nobis opus esset Euangelio, quod doceret nos quid nunc de te credere, quid de te in cælo residente sperare debeamus.

Lego in sanctis tuis Euangelijs, quòd omnes qui malè habebant, ad te confluxerunt, & quòd omnis turba quæsiuit te tangere, eo quòd virtus exibat de te, & sanabat omnes. Ad te venerunt leprosi, & tu extendens benedictas manus tuas, mundasti illos. Ad te venerunt cæci, surdi, paralytici, dæmoniaci. Ad te denique omnia monstra huius mundi properârunt, nullique eorum opem tuam denegasti. In te solo salus est, in te medicina & remedium malorũ omnium. Promptior es tu ad dandam salutem, quàm il-

Luc.6.

li ad poſcendam.

Quò itaque ibimus in neceſſitatibus noſtris Domine, niſi ad te? Scio enim Domine, quòd diuinum hoc Sacramentum non eſt tantùm cibus eorum, qui ſani ſunt; ſed medicina quoque malè habentium & infirmorum: nō tantùm fortitudo eſt viuentium; ſed & reſurrectio mortuorum: non tantùm recreat & oblectat iuſtos; ſed ſanat etiam & purificat peccatores.

Vnuſquiſque accedat huc, & accipiat eam partem, quam ſibi putat fore ſalubriorem. Veniant iuſti & manducent, & lætentur in hac menſa: ſonetque vox confeſſionis eorum, & laudis in iſto ſalutari calice.

Nuſquam eſſe poſſum ſine hoc myſterio, nuſquam ſine illo viuere; & vbicunque ſum, excuſari nō poſſum, ſi non ſumpſero: omni enim in loco, omni in re iſtud eſt mihi neceſſarium. Si infirmus ſim, hîc ſanabor: ſi ſanus, hîc conſeruabor: ſi viuus, hîc confortabor: ſi mortuus, hîc reſuſcitabor: ſi amore diuino ardeam, hîc magis accendar: ſi tepidior ſim, hîc inflammabor. Non timebo, etiam ſi Dominus cæcum me inueniat; quoniā ille cæcos illuminat: non metuam, licet me lapſum conſpiciat; ipſe enim labentes erigit. Non fugiam à facie eius, ſicut quondam fecit Adam, quantumuis nudus ſum; ille enim poteſt nuditatem meam tegere: non me

abſcon-

abſcondam, quamuis immundus & plenus peccatis videar; ille enim eſt fons miſericordiæ: non erubeſcam licet pauper ſim; ille enim Dominus eſt omnium rerum creatarum.

Non magnopere ſolicitus ſum, quòd ille audaciam meam ſuam iniuriam interpretabitur: ſed occaſionem me illi gloriæ maioris daturũ arbitror; vt dum ego cęteris omnibus ſim miſerior, dilucidiùs in me reſplendeat diuinæ miſericordiæ magnitudo, eo ipſo, quòd mihi auxiliabitur.

Ioan. 9. Tenebræ illius, qui à natiuitate cęcus fuerat, gloriæ Domini famulabantur: natus enim cæcus erat, vt manifeſtarentur opera Dei. ſic & miſeria meæ conditionis ſeruiet illi, quoniam in ea magnitudo bonitatis eius conſpicietur; ſi nimirum ille, qui tam ſublimis eſt, tam miſeram atque inopem creaturam iuuare nõ dedignetur: idque potiſſimùm, cùm hîc nulla ratio mei habeatur; ſed tantùm meritorum Domini noſtri Ieſu Chriſti, propter quę Pater ęternus nobis bene vult, & nos in filios ſuos adoptat, habetque benignè, vt tales haberi ſolent.

Oro itaque ſupplex, & obteſtor te nũc Deus meus, Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt quemadmodũ ſanctiſſimus

2 Reg. 9. ille Rex Dauid Miphiboſeth debilem pedibus ad menſam ſuam admiſit, quia erat filius magni & chari amici illius Ionathæ, volens hoc modo filium hono-

norare, non propter filium ipſum, ſed propter merita patris illius: ſic & tibi Pater cæleſtis placeat me pauperem & immũdum peccatorem ad regale tuum conuiuium admittere; non propter me, ſed propter merita & honorem ſingularis amici tui Ieſu Chriſti, Domini & Patris noſtri; qui cum tantis laboribus & doloribus ad gloriam & honorem tuum nos regenerauit in arbore crucis; qui & tecum viuit ac regnat in ſecula ſeculorum. Amen.

ORATIO ANTE COMmunionem.

TE laudo, tibi gratias ago dulciſſime Domine Ieſu, Seruator & Redemptor mi, pro tantis tuis beneficijs, quæ in tam vilem & miſerabilem creaturã conferre dignatus es. Tibi gratias ago Domine mi, pro omnibus miſerationibus tuis, quibus erga genus humanũ, in myſterio potiſſimùm incarnationis, vſus es; in natiuitate ſcilicet, circunciſione, in templo præſentatione, in Ægyptum fuga, in ieiunio & tentatione, in laboribus & itineribus multis, in prædicationibus & perſecutionibus mundi huius, in tormentis & doloribus acerbiſſimæ tuæ paſſionis, & in omnibus quæ in carne pro me paſſus es. Granatẽſis ibid.

Ante omnia verò gratias tibi ago immenſas, pro ineffabili tua charitate, quæ te pro me pati impulit: quæ profectò

cunctis

cunctis operibus tuis sine vlla comparatione maior est. Insuper & quas possum gratias ago, quòd non dedignaris me ad sanctissimam tuam mensam admittere, participemque tui ipsius, & omniũ meritorum, inæstimabilisque thesauri tuæ passionis facere. O Deus meus, & Seruator meus, quibus obsequijs hoc nouum & inauditum misericordiæ tuæ genus compensabo? Quis es tu, & quis sum ego, quòd tu Dominus supremæ Maiestatis dignaris te venire in luteum, terrenumque habitaculũ meum? Domum
Psal. 92. tuam, Domine, decet sanctitudo in secula seculorũ. Cur itaque venis in domum meam, quæ nunquam non malignitate abundat? Cælum hospitium, & sedes tua est, & terra scabellum pedũ tuorum: quia & cælum & terram implet tuæ Maiestatis gloria; quomodo igitur non abhorres ad tam vile hospitium meum di-
3 Reg. 8. uerti? Ergóne putandum est, inquit Salomon, quòd verè Deus habitet super terram? si enim cælum & cæli cælorum capere te non possunt, quanto magis domus hæc quam ædificaui? O res admiranda, qui sedet super Cherubin, & intuetur abyssos, nunc se ad abyssum vsque humiliat, & in infimo loco sedem suam collocat.

Parum tuæ bonitati visum est, quòd Angelos nostro ministerio destinasti, ipse ad nos venire voluisti, & in animas nostras intrare, vt proprijs manibus illic

negotia nostræ salutis operareris. Ibi tu visitas infirmos, erigis lapsos, doces ignorantes, reducis in viam errantes. Quid multis? tu ipse es, qui curas ibi vulnera & languores nostros omnes, non alterius manibus, sed proprijs; non longè petita medicina, sed propria carne, proprioque sanguine tuo semper benedicto mederis.

O optime Pastor, quàm abundè satisfecisti tuæ promissioni, quam olim per Prophetam enunciasti, dicens; Ego pascam oues meas, & ego eas accubare faciam. Ezech. 34. Sed quis erit dignus hac gratia? quis erit dignus hoc beneficio? sola tua misericordia, Domine, bonis tam infinitis nos potest dignos facere. Et quoniam sine illa nemo dignus esse potest, illa Domine mihi sit propitia, illa me tãtorum mysteriorum faciat participem, faciat & me gratum tam inæstimabili beneficio. Suppleat quęso quicquid mihi deest gratia tua, dimittat mihi omnia peccata mea misericordia tua, pręparet animum meum Spiritus tuus, ditent paupertatem meam merita tua, & eluat omnes maculas animæ meæ, totiusque vitæ meę sordes sanguis ille tuus pretiosus: vt dignè possim tremendum hoc Sacramentum suscipere.

Exultat & lætatur anima mea, ô Domine, quoties recordor insignis illius miraculi, quo mortuus mortuum olim 4 Reg. 13. cadauer solo attactu corporis sui resuscitauit.

tauit. Nam si tantum potuerit corpus Prophetæ mortui, quid non poterit corpus viuum omnium Prophetarum Domini? Certus sum Domine mi, quòd tua potentia non est minor potentia Prophetæ, & anima mea non minùs mortua est, quàm corpus illius hominis, nec minoris efficaciæ contactus hic, quàm ille. Quare igitur simile beneficium in me non expectabo? quare maiora miracula faciet corpus in peccatis conceptũ, quàm corpus conceptum à Spiritu sancto? quare maiorem prærogatiuam habebit corpus serui, quàm corpus Domini? quare corpus tuum non resuscitabit animam meam in tuo sanguine sanctificatam, quæ cohæret & coniungitur tibi per fidem, cùm resuscitet illud corpora quæ contingit? Et quia corpus hoc resuscitatum fuit, vitam non petens, sed sola virtute ossium beati Prophetæ tui; placeat quæso infinitę misericordiæ tuæ Domine mi, vitam mihi per medium huius Sacramenti petenti & obsecranti reddere, vt iam non viuam ego, sed tu viuas in me.

O bone Iesu, per illam inæstimabilem charitatem, quæ te pro me tradidit, & ignominiosam mortem obire fecit, te supplex oro, vt me ab omni peccato mũdes, omni virtutum genere, omnibusque meritis tuis me exornes, & gratiã concedas, vt sacrosanctum hoc Sacramentum tanta cum humilitate & reuerentia, tan-

to cum timore & tremore, tanto cum dolore & peccatorum meorũ pœnitentiæ, denique tanto cum amore & charitate excipiam, quantam augustissimum hoc mysterium requirit.

Da mihi, benignissime Domine, illam intentionis puritatem, cum qua dignè ad mensam tuam mysticam accedere potero, ad gloriam nominis tui sancti, & ad remedium omnium infirmitatum, necessitatumque mearum; vt virtute huius Sacramenti corroboratus, fortiter contra inimicos meos pugnare, illos vincere, meque viuificante hoc cibo in vita spirituali sustentare valeam. sed & huius Sacramenti beneficio fac, vt vnum quid tecum fiam, tibique concorporatus inseparabiliter inhæream, vnus tecum spiritus effectus.

Offeratur hoc sacrificium pro salute omnium fidelium, viuentium & defunctorum. Omnes enim adiuuantur virtute inæstimabilis huius Sacramẽti, quod pro salute omnium est institutum, & Ecclesiæ tuæ relictum à te, qui viuis & regnas in secula seculorum. Amen.

ORATIO ANTE COMmunionem *secunda.*

OMnipotens sempiterne Deus, ecce ego indignissimus peccator accedo ad Sacramentum vnigeniti filij tui, Domini nostri, Iesu Christi. Accedo tanquam infirmus ad medicum vitæ, im- Idem ibidem ex D. Thoma.

mundus ad fontem miſericordiæ, cæcus ad lumen claritatis æternæ, pauper & egenus ad Dominum cæli & terræ, nudus ad Regem gloriæ. Rogo ergo immenſæ largitatis tuæ abundantiã, quatenus meam curare digneris infirmitatem, lauare fœditatem, illuminare cęcitatem, ditare paupertatem, veſtire nuditatem: vt panem Angelorum, Regem Regum, Dominum dominantium tanta ſuſcipiam reuerentia & humilitate, tanta contritione & deuotione, tanta puritate & fide, tali propoſito & intentione, ſicut expedit ſaluti animæ meæ.

Da mihi Domine corporis & ſanguinis Dominici non tantùm ſuſcipere Sacramentum, ſed etiam rem & virtutem Sacramenti. O mitiſſime Deus, da mihi corpus vnigeniti filij tui, Domini noſtri Ieſu Chriſti, quod traxit de virgine Maria, ſic ſuſcipere, vt corpori tuo myſtico merear incorporari, & inter eius membra connumerari. O amantiſſime Pater, concede mihi dilectum filium tuum, quem nunc velatũ in via ſuſcipere propono, reuelata tandem facie perpetuò contemplari. Qui tecum viuit & regnat in ſecula ſeculorum. Amen.

ORATIO ANTE COMMUNIONEM *tertia.*

Ex hortulo deuotionis.

SAlue ſalus infirmorũ, ô lux pulcherrima ſedentes in tenebris illuminãs: ſalue Patriarcharum & Prophetarum

desiderium : salue ô amantium te amor amicorum ; ô panis Angelorum candidissime, salue ô sapor in corde deuotorum optime. Tu es manna, tu mel, tu simila, tu panis Asar, præbens delicias Regibus : tu gustus suauitatis, & satietas suauissima fame fatigatis.

Tu es quem cor meum desiderat, te verè Deum & hominem confiteor, quidquid in mea conscientia obscurum & immundum latitat, eia id tua præsentia clarum fiat & purum : nihil apud me maneat, quo fortè offendaris ; sed amor tuus totum me absorbeat, & tua dilectio me complectatur. Cor meum amore tui diuinitus accende, & præsentem hîc te inuisibiliter ostende. Cordis mei nebulas diuinitatis tuę radij penetrēt, omnesque maculas eluant, & languores inde eijciant: virtutibus illud omnigenis exornent, & varijs sancti Spiritus charismatibus corroborent.

Veni, veni Rex optime, veni Iesu charissime, & in animæ meæ sinu dulciter hospitare : Charitas quæ aureo te transfixit telo, vt nos ab ętheieo visitares cęlo, vulneret te hodie, vt ad me venire digneris, ô Rex gloriæ. Tibi in me fac habitaculum, tibi sedem & triclinium in corde miseri peccatoris. O amantissime Deus, mihi coniungere, & animæ meæ peccatrici nequaquam irascere. O dulcissime Domine, hoc vnum à te precor, benignè fac in bona voluntate tua, vt

ego hodie te dignè suscipiam, & tu ad me, licet indignum, ingrediaris; mihi totus coniungaris, & cor meum, ô fidelis hospes, totum possideas. Quis sim ne consideres, quia peccator sum, & multorum scelerum reus: sed tu, ô Deus, memento cur homo factus es, & in hunc mundũ venisti. In charitate nimia qua crucem ascendisti, te oro, amoris tui brachia super me extende, vt te per virtutem tuam in hoc Sacramento pręsentem esse sentiam: accelera, ingredere, veni, festinanter peccatori iungere, & me tecum vnum effice: en totum te habeo, quem sitiuit anima mea; totum te teneo, totum possideo. quid retribuam tibi, ô Domine, pro omnibus quæ retribuisti mihi?

O adoranda Deitas, te inuoco in fide: ô admiranda bonitas, nunc audi me, & vide, tuæ celsitudinis cælum mihi pateat, & lumen tui luminis, fac vt mihi splendeat. visita nos Domine in tuo salutari, & tuę præsentiæ da nos dignè pręsentari. Cęlesti mentes adipe fac nostras impinguari, & igne tuo præcipe cor nostrum inflammari. Thesaurum tuum resera, & verum manna plue; nos confœderatos fac dilectioni tuæ. Mihi primùm pauperi de te præsumenti piam manum aperi, misertus nil habenti. Ne, ô Deus optime, quàm vilis sim attende, sed tu amantissime quàm pius sis ostende.

Me despectum hominem digneris exaudire, & tuam dulcedinem mihi da sentire. Vt vacuus sim hodie ne sinas homo Deus; sed in Christi tui facie sit plenus amor meus. Omnem hinc desidiam & scrupulum erroris, peruersam pelle fidei sententiam, & ignauæ mentis negligentiam, per gratiæ tuæ præsentiam.

Cælestis aulæ nuncij præsentes hîc estote, in hora sacrificij vos nostri mementote. Diuinitas altissima super nos intende, & in hora tam beata nobis condescende. Ecce nunc altissima coniunguntur imis, ad loca tam humilia venit Rex sublimis. O Iesu dulcis hospes animæ, da mihi dignè te suscipere, & tibi soli viuere: te solum diligere, qui pro me Deus homo natus, & in crucem subleuatus: Nunc Patris sedes in dextera, tibi sit laus, decus & gloria. Amen.

ORATIO ANTE COMMUNIONEM QUARTA.

Pie Domine Iesu Christe, confiteor me maximum esse peccatorem, & vermiculum immundum, qui non sum dignus in tuum prorepere conspectum. Inidoneum quoque & planè indignum me agnosco, qui recipiam te in domicilium animę meæ, eo quòd non est munda ab omni macula & iniquitate, quodque ornata & præparata non est virtutibus atque operibus internis, quę tamen

Frãciscus de Euia. habetur in fine libri 4 de orat. & meditat. Granatẽs.

apparatum Maieſtas tua requirit, antequam ſuſcipiaris tu Deus meus, Creator meus, Redemptor meus: ideoque metuo & contremiſco, nec appropinquare tibi nunc audeo. Magna tamen fulcit me fiducia, quòd tu Deus meus es vita viuens, quæ viuificat corpus & animam, omnibusque rebus, quæ vitales ſunt, vitam largitur: neque deſideras, aut vis mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat. Tu enim expanſis brachijs hærens in cruce, vt recipias nos, alta voce clamas, & nos vt veniamus inuitas, dicens; Matth. 11. Venite ad me omnes qui laboratis in præſenti vita, & onerati eſtis peccatis & tribulationibus, & ego reficiã vos. quietem vobis dabo, & conſolabor vos. Et Ioan. 7. alio loco; Qui ſitit, qui ſalutem appetit, veniat ad me, & bibat de fonte miſericordiæ, deque torrente pœnitentiæ.

His, alijſque verbis dulciſſimis, quæ paſſim in Euangelio tuo reperiuntur, & populo pro concionibus ſoles proponere, vehementer accendor; atque ex ijs fiduciam talem concipio, vt audeam propius ad te accedere.

Sed & memor infinitæ illius bonitatis & miſericordiæ tuæ, qua motus non deſpexiſti Latronem in cruce tibi confitentem, & indulgentiam rogantem; nec Magdalenam, licet peccatricem tota Iudæa celebrem; nec reieciſti preces Chananeæ, quamuis Ethnicæ: nec te puduit mulieris in adulterio deprehenſæ, cuius

in tua accuſabatur præſentia. Non repuliſti Matthæum ſedentem in telonio, nec humilem Publicanum: non lachrymas Petri te negantis, nec ignorantiam Pauli te perſequentis. Quid multis? non deteſtatus es malitiam & iniquitatem eorum, qui te crucifixerunt, poſteaquam ipſe pro ijs in cruce omnipotenti Patri tuo ſupplicaueris.

Hæc, aliaque exempla plurima animum mihi addunt, & fiduciam in me excitant, vt iam cum audaci quadam humilitate veniam ad recipiendum te; omnino confidens fore, vt tu Domine Deus defectus, indignitatemque meam meritis ſanctiſſimæ paſſionis & mortis tuæ ſuppleas: Qui cum Patre & Spiritu ſancto viuis & regnas per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

ORATIO ANTE COMMVnionem *quinta.*

Granatēſis lib. 4 de orat. & Meditat.

CVm tuam Maieſtatē, Domine, meamque vilitatem conſidero, totus horreo, contremiſco & in memetipſo confundor. Tanta enim eſt iniquitatum mearum magnitudo, vt nec ego illas corrigere, nec pro illis queam tibi ſatiſfacere. Quid ergo faciam Deus meus, auxiliator meus, & conſolator in neceſſitatibus? Scio quid faciam: Vnigenitus filius tuus perfectiſſimum in ara crucis pro me tibi obtulit ſacrificium. Idem & ego offeram tibi nunc pro peccatis meis,

vt illud satisfaciat pro me. Scio enim nihil esse aut in cælo, aut in terra, quod tibi magis placet, aut quo faciliùs homo tibi reconciliatur. Nec tantùm offeram hunc filium tuum tibi, sed & ore & corde meo, licet impuro, illū sumam, comedam, & in animæ meæ viscera transmittam: vt hoc modo magis tibi gratificer, eundemque filium tibi reddam pro omnibus donis, gratijs, & beneficijs, quibus me adeò deuinctum tenes, vt aliter, nisi hoc modo, dignas tibi referre gratias nunquam potero.

Offero igitur tibi, ô æterne Pater, amantissimum filium tuum, & sumam illum, vt per illius gratiam & potentiam vincam inimicos meos, Diabolum, Mundum, & Carnem, mihi infensissimos. Suscipiam filium tuum, vt illius diuitiæ succurrant meæ paupertati; infinita illius bonitas meam expellat malitiam; incomprehensibilis illius diuinitas restauret, perfectamque faciat meam humanitatē per peccata corruptam & debilitatam. Ore & corde, ô suauissime Pater, amantissimum filium tuum percipiā, vt illo Mediatore me tibi proximū facias assidere, ibique me immotum detineas, non aliter atque olim filius tuus pro me in cruce detentus est: de qua descendere noluit, priusquam me perfectè sibi cōparasset, atque me tibi reconciliasset.

Per huius itaque filij tui charitatem

tibi ſupplico Pater, vt digneris me adiuuare, meque tibi tam arctè aſtringere, vt nunquam te deſeram, etiamſi totum terrarum orbẽ à te videro declinare. Quam gratiam non pro me tantùm peto, ſed & pro omnibus illis, quibus aliquo vinculo ſum obſtrictus: imò pro omnibus hominibus, viuis & defunctis.

Et tu, ô benigniſſime Saluator, qui dediſti nobis corpus tuũ in cibum, ſanguinem in potum, & animam in redemptionem noſtram, miſerere, miſerere famuli tui: da miſericordiam poſcenti, da gratiam indigenti, & fac me talem, vt dignè te in hoc Sacramento, ad quod nunc accedo, ſuſcipiam: ſi enim indignus acceſſero, iudicium incurro: & niſi tu me dignum feceris, fruſtra laboro. Porrige itaque dexteram, ô pie Ieſu, miſerrimo famulo tuo, de proprijs viribus diffidenti: ſupple de tuo, quod deeſt de ſuo, & fac tibi in me cœnaculum grande, ſtratum, & ornatum, in quo requieſcas dulciter, mirabiliumque tuorum, beneficiorum quoque & acerbiſſimæ paſſionis tuæ memoria habitet ſine fine, nec vnquam inde excidat. Qui viuis & regnas Deus per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

ADMONITIO SVB COMMVNIONEM.

Tempore communionis acceſſurus ad altare Dominicum exiſtima te audire vo- Granatẽſ lib. 5 Memorial. cap. 7.

Matth.25. *cem illam Euangelicam;* Ecce sponsus venit, exite obuiam illi. *exite vt excipiatis illum: Non enim in alio aliquo Sacramento Deus tam manifestè se sponsum animarum nostrarum esse ostendit, quàm in Eucharistia. Effectus siquidem huius Sacramenti est copula, & vnio animæ cum Deo, vt fiat ex duobus quid vnum. hoc namque proprium est matrimonij spiritualis. Iccirco vt dignè hunc sponsum possis excipere, necesse est diligenter consideres, quomodo & qualis ad te venit: vt & tu talis illi obuiam procedas. Venit enim plenus charitate, suauitate, bonitate, misericordia; dicens, quòd desiderio magno desiderauit hoc Pascha manducare tecum. Tu itaque exi in occursum illi, & excipe eum cum omni deuotione, amore, timore, reuerentia & gaudio: & quicquid in te est, illi obuiam effunde. Exis enim ad recipiendum verum sponsum animæ tuæ, verum Deum tuum, Creatorem tuum, & summum bonum tuum. Considera magnitudinem deuotionis & exultationis, qua cum senex ille Simeon puerulum Iesum in brachia* Luc. 2. *sua excepit, quando à matre Virgine offerebatur, ob cuius visiónis desiderium tantummodo vitæ prorogationem optârat. Tali cum desiderio & deuotione procedas oportet, qui venisti vt in sanctissimo hoc Sacramento eundem Dominum percipias. Perpende quoque deuotionem & gaudium, cum quo mater Ioannis Ba-*

ptistæ Dominum hunc in ædes suas excepit, cùm in hæc verba plena deuotionis erūperet; Vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me? *Dic igitur & tu;* Luc. 1.

EXCITATIO MENTIS AD *deuotionem tempore Communionis.*

VNde mihi tanta misericordia, vt Dominus Angelorum & gloria cæli ad me venire dignetur? O pater, ô pastor, ô Domine, ô Deus meus & omne bonum meum, cui non satis fuit me ad tuam similitudinem creasse, tuoque me sanguine redemisse; sed voluisti insuper venire ad me, & in me quiescere: voluisti me in te transformare, & facere me tecum vnum. Vnde hæc mihi Domine mi? an quia opera opera mea promeruerunt? an quia tu bonorum meorũ eges? Nequaquam Domine: sed sola bonitas tua & misericordia tua te mouent, vt tu delecteris amplius habitare mecũ, quàm ego tecum. Ego ad te venio, quia ope tua indigeo: tu ad me venis, quia bonus es. Ego te desidero, quia miser & miserabilis sum; tu quæris me, quia misericors es: ego ad te, quia beneficia expecto à te; tu ad me, quia promptus es ad dandum: tu quia paratior ad dandum quàm ego ad accipiēdum: tu quia liberalior, quam ego indigus. ideoque tu magis oblectaris habitare mecum, quàm ego tecum, vt ipse confessus es, dicens; Deliciæ meę esse cum filijs hominum.

Idem ibidem. Prouer. 8.

ORATIO SVB IPSAM
Communionem.

QVis ego ſum Domine, & quæ eſt domus patris mei, vt tu venias ad me, quem Præcurſor tuus præ reuerentia non auſus fuit tangere? cæli clauiger timuit accedere? omnesque glorioſi principes cæleſtis curiæ adorant & reuerentur? Fretus tamen ego immenſa pietate & clementia tua accedo ad te fontem miſericordiæ, medicum vitæ. Sed tu qui ſolus ex indignis dignos facis, ne me dimittas ieiunum, ne deficiam in via. parce mihi cum Magdalena ad genua tua prouoluto, mihi remitte peccata mea, quæcunque vel ex infirmitate, vel ignorantia, vel etiam voluntariè perpetraui. Tribue cæco huic te inuocanti lumen mentis, paralytico robur & fortitudinem ſpiritûs. Exeat virtus de te ô bone Ieſu, fili Dauid, quæ ſanet fluxum concupiſcentiarum mearum, dum tango, non fimbriam veſtimentorum tuorum, ſed te totum ſumo, licet indignus. Obliuiſcere peccatum meum, pro quo fudiſti ſanguinem tuum. Veni & viſita domum iſtam nomini tuo dedicatam. Venio ad te, non in meis meritis, ſed in miſerationibus tuis immenſis: ſupple quæſo de te, quod minus habeo in me. Serua domum iſtam nomini tuo dedicatam, ne inimicus reuertens faciat nouiſſima mea peiora prioribus. Amen.

CVM SALVTAREM HOSTIAM *vides in manu Sacerdotis, dic tecum.*

HOc corpus in præſepi reueriti ſunt Magi, & viri impij, & Barbari longo itinere confecto, cum timore & tremore plurimo adorauerũt. Propter hoc corpus non ampliùs terra & cinis ego ſum, non ampliùs captiuus, ſed liber: propter hoc cælum, & ea quæ in eo bona ſunt, me accepturum ſpero. Hoc corpus cruci affixum, verberatum, morte victum non eſt. hoc corpus ſol crucifixum videns radios ſuos auertit: propter hoc velum templi ſciſſum eſt, & petræ & terra vniuerſa tremuit. Hoc idem corpus cruentatum, lancea vulneratum fontes ſanguinis & aquæ vniuerſo orbi ſalutares ſcaturiuit. Chryſoſt. homil. 83. in Matth.

EVCHARISTIAM ORE *excipiens, dic:*

DOmine non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum: ſed tu Domine, qui dixiſti; Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo; propitius eſto mihi peccatori, per ſumptionem corporis & ſanguinis tui: & præſta, vt non ad iudicium damnationis illud ſumam; ſed miſericordia tua tribuente in ſalutem & remiſſionem omnium peccatorum meorum. Amen. D. Thomas Aquinas. Ioan. 6.

ADMONITIO POST COMMVNIONEM.

Ex lib. 3 cap. 6 Memorialis Granatẽs.

POstquam salutarem hostiã sumpsisti, eam aliquamdiu in ore tuo retine, donec paululum humectetur, vt possit faciliùs diglutiri. Fit enim nonnunquam, vt hac cautela non vtentibus adhæreat palato, tantumq; pariat in reuellendo molestiam, vt impediat, ne cogitet aut meditetur homo, quæ sunt vel tunc maximè meditanda.

II. Caue ne statim post Cõmunionem expuas: si vrgeat necessitas, fiat hoc in loco mundo, & à pedibus hominum remoto.

III. Sed nec statim post Communionẽ comedendum est; sed expectandum, donec species sacramentales digestæ sunt, & resolutæ.

IIII. Colloquia humana, fabulas, & otiosa verba hoc tempore deuita: magna namque inciuilitas est, mox vbi tantum hospitem in domum tuam exceperis, illi dorsum obuertere, aduentum felicem non gratulari, nolle cum eo sermocinari; sed fugere & ad inanes fabulas conuerti.

V. Toto igitur illo die oportet te occupatum esse orationibus, diuinis laudibus, meditationibus de amore Dei, de passione Domini, de beneficijs diuinis, Deoq; pro illis gratiæ indesinenter agendæ sunt. Quamdiu enim species Sacramentales in pectore manent (ait Caie-

tanus)

tanus) tamdiu mirabiles effectus hoc Sacramentum in animabus nostris operatur: ita vt hîc dici poßit illud, quod olim dixit de semetipso Saluator; Quamdiu sum in mundo, lux mundi sum. *Et sol non tantùm illuminat mundum cùm supra horizontem conspicitur, sed ante ortum, & post occasum hora pene integra: sic & Sol iustitiæ in hoc Sacramento latitans, non tantùm in ipso communionis momento, sed ante & post illud radios suos exerit, ante illud per spem & desiderium, post illud verò percepti beneficij memoria.*

MEDITATIO INSIGNIS *post Communionem prima.*

O Deus meus, & misericordia mea, quomodo dignas potero tibi gratias agere, quòd tu Rex Regum & Dominus dominantium non dedignatus es visitare animam meam, & pauperculum miseræ meæ domunculæ tectum subire, ibique facere, vt tu & ego Vnum simus, idque mediante inæstimabili virtute huius Sacramenti? Quo munere tantum beneficium compensabo? quibus officijs tantam tuam bonitatem remunerabo? quam gratiam poterit dare creatura misera, pauper & inops pro munere tam diuite & pretioso? Non enim satis tibi fuit nos in hoc mysterio participes facere supremæ tuæ Deitatis; sed simul nobis communicare voluisti sanctissimam tu- Granatēs. lib.3 Memorialis.

am humanitatē, vnà cum omnibus meritis, quæ per illam & cum illa pro nobis lucrifecisti: dās enim nobis hîc carnem & sanguinem tuū, nos etiam participes facis totius thesauri, omniumq́ue meritorum, quæ eadē carne & sanguine comparasti. O admirabilem communionē. O thesaurum nullo pretio comparandum, & hominibus nondum satis cognitum; dignum tamen cuius præconia noctes atque dies in Ecclesia magna decantentur. O clementissime Reparator animarum nostrarum, quibuscum maioribus diuitijs & pretiosioribus monilibus nos locupletari potuisti, quàm hoc augustissimo Sacramento? Meritò dixisti Domine in oratione tua, qua sub ipsam passionis horam Patrem interpellasti; Ego me sanctifico pro eis, vt sint & ipsi sanctificati in veritate. Nouo scilicet modo sanctificandi, Sanctificatori difficiliori, & sanctificato faciliori. Tua enim Domine est sanctitas, mihi verò fructus sanctitatis: tu laborasti, ego mercedem accipio: tu impensas fecisti, ego lucrum colligo: tu castigaris, & mihi peccatorum datur venia: tu amaram potionem bibis, & ego amissam sanitatem cum vita recupero. Pro me satisfecerunt tui dolores, tui claui, tuæ alapæ, tuæ spinæ, & pretiosus ille sanguis tuus, non per guttas, sed per riuos effusus. Me lauant tuę lachrymę, me sanant tua vulnera, & pro me satisfaciunt tua flagella.

Ioan. 17.

O diues communio. O fraternitas infinitorum meritorum. O commercium inæstimabilis thesauri. Quod peculium, aut quam sortem nos in hanc societatem misimus? quid nos deposuimus, vt tam copiosum lucrum ad nos redeat? Non est profectò tantæ felicitatis alia causa, præter tuam bonitatem. Quare sol terras illuminat? quare ignis obiectum corpus calefacit? cur idem aqua refrigerat? res in propatulo est: sunt enim hæ naturales eorum proprietates, tales enim creaturæ tales producunt effectus. Et tibi Domine propriũ est ignoscere, tibi misericordiam facere, idque alijs potiùs quàm tibi ipsi. Tua bonitas nostra est, eaque non qualiscunque, sed summa. Vt enim proprium boni est, esse diffusiuum seu communicatiuum, sanè summum bonum summè quoque erit diffusiuum. Et hæc fecisti nobis, quia totum te nobis dedisti. Nascendo factus es noster frater, nutriendo cibus, moriendo pretium, & regnãdo pręmium. Denique, ô anima mea, si vnico verbo complecti velis omnia illa bona, quæ secum adfert tam admirabile Sacramentum, considera illud quod Dominus iste in hunc mundum attulit, cum homo factus in mundum venit. Cùm enim in mundum venit, dedit mundo vitã gratiæ, cum omnibus quæ gratiam subsequuntur: ita & cùm per Sacramentum in animam venit, eandem vitam animę

largitur. O cibum diuinum, per quem filij hominum in filios Dei transformantur, & per quem humanitas omnis in nobis mortificatur, vt viuat in nobis Deitas. O panem dulcissimum dignum qui adoretur, animam non ventrem nutrientem; cor corroborantem, & corpus non grauantem; spiritum lętificantem, & intellectum non cōturbantem; cuius virtus appetitus nostros moderatur, voluntatem propriam interficit, vt efficax sit in nobis voluntas diuina.

Quas igitur gratiarum actiones referam, quas laudes tibi cantabo Domine, pro hoc beneficio? Si gratitudo debeat respondere dono, quod quæso gratitudinis genus sufficiet tali dono? Tu dixisti aliquando famulo tuo Moysi:
Exod. 16. Accipe vas aureum, & imple illud manna, & absconde illud in arca fœderis, & conseruetur ibi in generationes futuras, vt videant cibum, quem comedere feci vos in deserto annos quadraginta. Si tanti fecisti, Domine, cibum illum corruptibilem, quem dedisti populo in deserto, vt volueris illum seruari ad perpetuam rei memoriam in veneratione; quanto apud nos in honore debet esse cibus incorruptibilis, qui dat vitā æternam his qui manducant. Manifestè video differentiam eandem, quæ est inter vnum cibum, & inter alium, etiam esse inter vnum beneficium, & inter aliud; & proinde debere eandem quoque esse

inter vnam gratitudinem, & alteram. Ille cibus erat terrenus, hic cælestis: ille corporis erat, hic animæ: ille non dabat veram vitam manducantibus, hic verò dignè sumentibus est vita æterna. Sed quid comparationem hanc vnius ad alterum instituo? quæ enim differentia est inter Creatorem & creaturam, eadem est inter hunc & illum cibum. Si itaque tu, Domine, talem memoriam & gratitudinem poposceris, eò quòd populũ tuum cibo corporali & corruptibili nutrieris: quam requires à nobis, quos cibo nutris tanto meliori, quãtum Creator pręstat creaturæ? Non est laus, non est gratiarum actio, quæ digna est hoc beneficio. Cùm itaque diffidam de viribus & facultatibus meis, nec viam, modumque inueniam vllum soluendi, quod tibi debeo, non est mihi aliud remedium reliquum, quàm accipere cum Propheta Calicem salutarem, & inuocare nomen Domini; id est, non remunerare beneficia præterita, sed petere noua, & gratiam supra gratiam postulare. Oro itaque, Domine, vt concedas mihi hoc Sacramentum accipere in satisfactionem omnium peccatorum meorũ, & ad emendationem vitæ meæ prioris. Per illud reparetur in me quidquid collapsum est; quidquid mihi deest suppleatur, & paupertas mea diuitijs gratiarum tuarum ditetur. Virtute huius Sacramenti mortifica in me, quidquid diuinis oculis tuis

Psal. 115.

displicet, & fac me conformem tuæ voluntati. Largire mihi Domine, vt per mysterium hoc semper in te perseuerem, teque amem perfectè & perseueranter; vtque semper tibi vnitus & coniunctus maneam, pro gloria & honore sanctissimi nominis tui. Propitius esto Domine omnibus peccatis meis; non meis tantùm, sed & aliorum. Fac Hęreticos & Schismaticos ad vnitatem Ecclesię redire: illumina infideles, vt te agnoscant. Adiuua omnes, pro quibus orare sum obligatus, & hos qui se meis precibus commendârunt. Consolare patrem, matrem, fratres & sorores, amicos & inimicos meos, cum omnibus qui mihi vnquam benefecerunt. Fac misericordiam cum omnibus illis, pro quibus pretiosum sanguinem tuum fundere non dubitasti. Da gratiam viuis, & requiem defunctis. Tibi autem sit laus, honor, virtus & gloria, qui viuis & regnas in secula seculorum. Amen.

MEDITATIO POST COMmunionem *secunda*.

Granatēs. ibidem.

ETsi omnes creaturæ, quæ in cælo sunt, Domine, & in terra, linguæ essent, etiā disertissimæ; omnesque promptæ essent ad obsequium meum, mihique ad reddendam tibi gratiarum actionem operam suam offerrent, certum est, quòd ne pro minimo tuo beneficio dignas tibi gratias agere possemus. Quòd

si ne

ſi ne pro minimo quidem beneficio gratias tibi ſufficientes agere potero, etiam tot creaturarum choris mihi aſſiſtentibus & auxilian tibus; quid potero ſolus, pro tot beneficijs, ijsque infinitis modis maioribus? O Deus meús, ô Domine, & Seruator mi, quas gratias tibi reddam? quas laudes dicam? quoniam hoc die voluiſti me viſitare, conſolari & honorare tua præſentia. Sancta illa mater Prodromi tui Ioannis, plena Spiritu ſancto, quando per oſtium domus ſuæ vidit intrantem Virginem, in cuius vtero tu, tanquam ſponſus in thalamo, requieſcebas, expaueſcens tantæ rei admiratione exclamauit, dicēs: Et vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me? Quid itaque faciam ego viliſſimus vermiculus, omnium huius mundi peccatorum primus & maximus? Intrauit ad me hodie hoſtia conſecrata, in qua ipſe Deus continebatur, qui ad me venit: quanto itaque maiori cum ratione & ego exclamare potero & dicere, Vnde mihi hoc, vt non mater Dei, ſed Deus ipſe, Dominus & creator omnium ad me veniat? Ad me, qui tanto tempore fui receptaculum & vas Sathanæ: ad me, qui toties hunc ipſum Dominum offendi: ad me, qui ſemper illum ſpreui, contumelia affeci, & crucifixi: ad me, qui toties illi fel pro ſuaui potu propinaui, quoties peccaui: cui toties ianuam cordis mei occluſi: quem toties à me repu- Luc. 1.

li? Dignus itaque sum, qui nunquam in posterum hunc Dominum accipiam, eò quòd tam turpiter eum à me reieci: dignus sum, qui nunquam posthac ad cœnam eius admittar, quoniam venire nolui cùm me vocauit.

Sed quare ad me, ô Domine? Tu Rex Regum & Dominus dominantium, qui non eges vllius rei creatæ? Cuius sedes est cælum, & cuius regale scabellum est terra? cuius ministri sunt exercitus Angelorum? quem laudant stellæ matutinæ? in cuius manibus sunt omnes fines terrarum? Tu qui sedes super Cherubin, & intueris abyssos, id est, secretissima quæque, & mundo abscondita, penetrans tua sapientia altissima cum profundissimis? Tu Domine incomprehensibilis Maiestatis & magnitudinis venire voluisti hodie in locum tam humilem, abiectum, immundum? An fortè voluisti denuo ad Inferos descendere? an iterum manibus tradi nocentium decreuisti? aut iterũ in stabulo bestiarum nasci, & in presepio reclinari, fœnoque aut paleis quiescere? Idem sanè tibi animus, eadem voluntas ni fallor tibi nunc est, quæ fuit olim; quod enim semel fecisti pro peccatoribus, id quotidie facis pro eisdem. Et siue hoc, siue alio modo me visitaueris, semper id tuæ debebitur misericordiæ. Nunc autem non solùm visitasti me, sed ad me, & in me intrasti, in me manes, me in te transformas, & Vnum

quid

quid tecum facis, vnione quadam admirabili & supernaturali, quæ similitudinem & comparationem quandam habet, cum ea diuinissima & altissima cõmunione, quæ est inter te & Patrem tuum. Quemadmodum enim Pater est in te, & tu in Patre; sic qui mãducat te, manet in te, & tu in illo: quæ res potest esse mirabilior? Admiratus est quondam Rex Dauid, quòd Deus tanti faceret hominem. Quid est, inquit, homo quòd Psal.8. memor es eius, aut filius hominis quia visitas eum? Mirabatur Dauid, quòd Deus esset memor hominis. At ego miror, quòd ipse homo pro homine factus est, ipse cum homine commoratus est, ipse pro homine mortuus est, seipsum homini manducandum dedit; Vnum quid cum homine factus est. Mirabatur Rex Salomon, quòd Deus voluit habitare in tẽplo, quod ille tot annis, tot sumptibus, tot laboribus ædificârat, dicens; Ergóne putandũ est, quòd verè Deus habitat super terrã? si enim cæli cælorũ te 3 Reg.8. capere nõ possunt, quanto magis domus hęc quam ego ędificaui? Cęterùm multò magis admirandũ est, quòd idem cælorũ Deus & Dominus, alio excellẽtiori multò, & nobiliori modo in pauperculã ac vilẽ animulã non exhorrescit venire, in eaque manere; quæ tamẽ vix vna die tota laborauit, vt sedem illi præpararet. Mirabatur olim totius mundi machina, & obstupescebant omnes creaturæ,

Deum videntes incarnatum, & hominem factum, descendentem de cælo, & nouem menses continuos in vtero Virginis recubantē. Nec iniuria. Erat enim hoc omnium mirabilium diuinorum maximum, optimum opus Dei, & beneficium cum nullo alio comparandum. Sed vterus ille virginalis plenus erat Spiritu sancto, splendidior stellis cæli, purior Angelis paradisi, virtutibus & gratijs magis adornatus, quàm cælum ipsum, quàm terra ipsa cum omni suo apparatu ornatuque: & proinde habitaculum illud erat dignum Deo, à Spiritu sancto præparatum. Sed quòd idem Dominus vult habitare in me, qui impurior sum cœno aut quouis sterquilinio, qui obscurior sum nocte, & quauis cloaca immundior, quis hoc non ad stuporem vsque admirabitur? Esto, per infinitam bonitatem illius nunc lotus sim; aqua gratiarum illius mundatus sim; Sacramentis illius sanctificatus sim; an ne adhuc summa est misericordia, quòd Dominus omnis puritatis, fons candoris & munditiei non abhorret à loco, qui tanto tempore immundus, sordibus & stercoribus quibus scatebat, penè computruerat? Quem Principum & Magnatum non præter modum offenderes, si ad mensam eius adferres vas seruitijs Nosocomij destinatum, in quo vomitus ægrotantium excipi consueuit, etiam si laueris & mundaueris illud sæpius, vt

intus

intus & foris instar niuis candidum esse videatur? Memoria enim præteritarum sordium, fastidium confestim parit intuentibus. Quàm immensa itaque est, ô Domine & Saluator mi, tua misericordia, qui non exhorrescis, etiamsi inter alia vasa electionis, ponatur in mensa tua vas corruptionis & putredinis, quo minus in eo & ex eo comedas. Etsi enim nunc tua gratia mundatum est, remanet tamen in eo recens peccatorum memoria & pestilens odor, reliquiæ, fæces, & vestigia, quæ difficulter ex anima eluuntur. Quomodo itaque tam benignè pateris, vt tale vas in mensam tuam inferatur, sitque hierotheca, in qua consecrata illa hostia recondatur. O Domine, tibi Angeli benedicunt pro tam immensa gratia, & pro tam infinita misericordia; pro tam excellenti opere, & pro tanto bonitatis tuæ argumento. Nemo iam ampliùs dubitat, sed fatentur omnes, te tui ipsius nunc maximè esse diffusiuum vel communicatiuũ: cùm vsq; adeò temetipsum humiliaueris, atq; omni iuri tuo lubens renũciaueris, tantũ vt nobis benefaceres. Nũc abũdè satis liquet, quãtus sit amor tuus erga genus humanum. Charitas enim, vt ait Apostolus, non est ambitiosa, nec quęrit quę sua sunt; quia tu nõ fastidis rem tã sordidam & immũdam, qualis est cor hominis peccatoris. 1 Cor. 13.

Sed quid tandem erit, si prædictis omnibus adiunxerimus illud, quod ad-

mirabile

mirabile hoc Sacramentum mihi prædicat, & in me operatur? O quantam lætitiam, & quàm nouum gaudium parit mihi hoc mysterium? Confirmat me in nomine tuo, & contestatur mihi quòd Pater meus es, & non solùm Pater, sed etiam dulcissimus Sponsus animę meæ. Scio enim, Domine, proprium huius Sacramenti effectum, ob quem instituisti illud, esse sustētare & delectare animam spirituali quadam voluptate, & vnum quid eam tecum facere. Quod si ita sit, & ex operibus iudicetur cor; quod quæso cor est, de quo talia bona procedunt? Vnio enim vel copula propriè cõiugum est, nec dulci amplexuum obsequio domini fruitur seruus, nec filius patris, nisi paruulus is sit, tenellus, & vehementer à patre adamatus: sed sponsæ hæc propria sunt, cui oscula & amplexus sponsi debentur. Patris est non tantùm ea procurare filio, quæ ad vitam sustentandam pertinent; sed etiam quæ ad æstimationem eius & honorem, quæ ad viuendi commoditatem & oblectandi se, recreandique facilitatem faciunt. Talis tantusque amoris effectus, quantus hic est, mundo erat detegēdus; sed ad tuum aduentum, lætique Euangelij tempus reseruabatur. Cùm itaque in alijs Sacramentis & beneficijs tuis ostendas te Regem meum esse, te Saluatorem, Pastorem, Aduocatum, Medicũ, Magistrum, Tutorem, Redemptorem, Defensorem,

& vt simul omnia dicam, te Dominum meum & Deum meum esse, in hoc tamen solo Sacramento (in quo supernaturali quodam modo animæ meæ coniungeris, vniris, & admirabili quadam voluptate eandem consolaris) apertissimè demonstras, te Sponsum meum & patrem meum esse, nec qualemcunque Patrem, sed talem, qui tenerrimè filium diligit: quemadmodum Iacob dilexit Beniamin, super omnes fratres illius. Illud mihi Sacramenti huius effectus testatur, hæc noua bona mihi annunciat. Non fallūt neque fucata sunt opera tua: sed quod foris pollicentur, intus habent & conferunt. Per hunc itaque effectum causæ bonitatem agnosco, per hoc opus cor tuum iudico, per humanam hanc tractationem tuam, perque benignam hanc tuam consolationem, in certissimam cognitionem amoris tui, quo me complecteris, deuenio. Quod enim beneficium maius, quam maiorem gratiam, quam amoris maiorem hac significationem potuisti mihi commonstrare? O materia lætitiæ, ô fons voluptatis, ô vena virtutis, mors vitiorum, panis vitæ, medicina sanitatis, ignis amoris, refectio spiritualis, regale conuiuium, prælibatio totius felicitatis, satietasque cælestis. Quid itaque faciam Domine mi? quas gratiarum actiones tibi reddam? quo cum amore te diligam? Si enim tu tantus Dominus me vilissimum abie-

ctiſſimumque vermiculum amare non dedigneris, quomodo ego te altiſſimũ, ditiſſimum, nobiliſſimumque animæ meæ ſponſum, non redamabo? Amabo itaque te Domine, deſiderabo te, manducabo te, & bibam te. O amoris dulcedo, ô inæſtimabilis amor dulcedinis, manducet te anima mea, & omnia interiora mea dulciſſimo ſuauitatis tuæ liquore impleantur. O charitas immenſa Dei mei, ô dulce mel, ſuaue lac, panis delectabilis, cibus magnorum, fac me creſcere in te, vt dignè poſſim exultare & gaudere de te. O ſatietas & dulcedo voluntatis meæ, ô amor & deſiderium cordis mei, quare non totus ardeo amore tui inflammatus? quare non ſum totus inſtar candentis ferri in amorem transformatus, vt nihil aliud quæram, præter purum putum amorem? O ignis cæleſtis. O flamma dulcis. O ſuaue vulnus. O carcer voluptatis, quare catenis iſtis non ſum compeditus? quare ſagitta iſta confoſſus non ſum? quare igne iſto non flagro, ita vt viſcera mea in amore deficiant, & planè conſumantur? Filij Adã, generatio cæca & errore multiplici fluctuãs, quid facitis? quò properatis? quid quæritis? Si quæratis amorem, ecce hic amor eſt nobiliſſimus, dulciſſimus, & ſuper omnia, quæ in mundo ſunt, venerandus. Si quæratis voluptates, ecce hîc voluptas ſuauiſſima, fortiſſima, & caſtiſſima. Si diuitias ſectemini, ecce hîc the-

ſaurus

ſaurus cæli, pretium mundi, pelagus omnium bonorum. Si honores ambiatis, ecce hîc eſt Deus, & cum illo maieſtas totius diuinitatis, quæ venit vt te ad æternos honores euehat.

MEDITATIO POST COMMUNIONEM *tertia.*

AD ſacratiſſimam hanc menſam admiſſus, & in amplexibus tuis, dulciſſime Domine, requieſcens, tanta voluptate perfuſus, & tot beneficiorũ vinculis conſtrictus, ſuper omnia verò diuino amoris philtro correptus, in poſterum renũcio omni delectationi, & amori externo, propter amorem hunc. Mundus ampliùs meus non erit. Voluptatibus carnis poſthac frui nolo, pompam ſeculi, eiusque vanitatem non ſequar ampliùs: procùl faceſſant à me omnia falſa illa & decipientia nos bona, ſolum verum illud & vnicum bonum apud me cõmorabitur. Qui enim manducat panem Angelorum, indignum eſt vt ille pabulo beſtiarum veſcatur. Qui in ſedem animæ ſuæ recepit creatorẽ ipſum, quid neceſſe vt creaturas etiam recipiat? Si mulier tenuis fortunæ, & ex infima plebe nata, Regi vel Magnati cuidam nupſerit, actutum vilis eius habitus excutitur, ipſa mores, inceſſum, & geſtus omnes humiles immutat, eaque aſſumit, quæ conueniunt eius gloriæ, cuius nunc coniunx eſt. Eodem modo ſi ani-

Idem ibidem.

Simile.

ma mea admirabili quodam matrimonio iuncta sit tantæ Maiestati, diuino hoc Sacramento interueniente, quomodo sese ad pristinam vilitatem poterit abijcere, humilisque & plebeiæ vitę vestigijs insistere? Quomodo poterit habere ianuas cordis mundo, & his quæ in eo sunt, apertas, qui ipsius mundi Creatorem in se habet commorantem? Quomodo locum dabit in anima sua rebus prophanis, qui nunc totus consecratus est & sanctificatus præsentia diuina?
3 Reg.7. Non admisit Salomon, vt filia Regis Pharaonis vxor sua habitaret in ædibus suis, eò quòd arca Domini in illis aliquamdiu seruata fuisset, licet iam aliò deducta, non esset ampliùs apud Salomonem. Si sapiens ille Rex noluit vt propria coniunx, & coniunx tanti nominis, Regis Pharaonis filia, pedem in locum vbi arca steterat inferret; eò quòd Ethnica esset, & veræ veri Dei Religionis ignara: quomodo ego admittere potero, vt res prophanæ & seculares cor meum subeant, in quo Deus ipse moratur? quomodo admittam cogitationes & desideria hominum Ethnicorum ad lectum, in quo Deus ipse requiescit? Quę temeritas esset, si obscœna & inhonesta proferret lingua, per quam Rex Regum paulò antè ad me intrauit? Si idem Rex
3 Reg.8. Salomon atrium templi, eò quòd holocaustum & sacrificium in illo fecisset, sanctificauerit, ne in posterum res in illo

prophanæ tractarentur; quanto magis erit rationi consentaneum, vt & anima mea sanctificetur, ad quam nunc intrauit ille, quem omnia sacrificia & sacramenta legis antiquę significabāt: Quia verò hac benigna tua visitatione, Domine, animam meam tam opulenter ditasti, & honore tam celebri nobilitasti, tribue mihi quæso gratiam tuā concomitantem, cuius virtute & diuitias illas, & honores potero conseruare. Tu neminem soles honoribus impartire, cui non etiam auxilium addis gratiæ, quo cum honores illos tueri potest & conseruare: proinde quoniam & me honore præsentiæ tuæ dignatus es, obsecro te, sanctifica etiam me tua virtute, ne fortè collatus mihi honor excidat. Sic enim soles facere in omni loco, ad quem ingrederis. Ingressus es virginalem vterum sanctissimæ Matris tuæ, & quomodo inæstimabili gloria illam exaltasti, sic etiam inæstimabilē gratiam illi contulisti, quò gloriam istam tueretur & conseruaret. Intrasti mundum hunc, vt cum hominibus conuersareris, & quemadmodum mundum tuo aduentu nobilitasti, ita & illum reparasti, atque illuminasti tua gratia. Ingressus es Infernum, & Infernū in Paradisum conuertisti, beatos faciens tua gloria, quos honoraueras tua visitatione. Denique cùm figura Sacramenti huius, quæ fuit arca fœderis, intrauit in domum Obededom,

2 Reg. 6.

Gethei, extẽplò benedixisti Obededom, & omnẽ domũ eius, volens hospitalitatem istã diuite prȩmio remunerare. Quia verò tuæ bonitati placuit, Domine, vile tectũ animæ meæ subire, & ibidẽ diuersari, incipe quæso benedicere domui serui tui, & da mihi gratiã, vt honorẽ istum possim defendere, te dignum me faciens habitaculũ. Placuit tibi Domine, vt ego essem quasi sanctum illud sepulchrũ, in quo corpus tuũ à morte fuit depositum: da mihi etiã habere omnes illius sepulchri proprietates, vt digno præstem obsequio id, cuius officium refero. Da mihi petræ firmitatem; da sudarium humilitatis, da myrrhæ mortificationem qua cum appetitus meos prauos, & voluntatem rebellem occidam, vt tibi totus viuam. Placuit tibi vt essem quasi Arca fœderis, in qua tu habitasti: da mihi gratiam, vt quemadmodum pretiosissimum, quod in Arca fuit, monile Decalogi fuêre tabulæ, ita & in corde meo nihil sit prius, nihil antiquius, quàm sanctissimæ legis tuæ desiderium & meditatio. Tu voluisti mihi in hoc Sacramento ostendere, quòd Pater meus es; vt filium enim me tractasti, & non filium qualemcunque, sed eum qui tenerrimè à patre suo diligitur. Da mihi gratiam precor, vt huic tanto beneficio dignè queam respondere, amando te non solùm fortiter, sed dilectione tam tenera, vt omnia viscera mea intus liquescãt

amore

amore tui, & vt ad solam memoriam tui nominis animus & cor meum deficiant. Da mihi etiam spiritum & cor erga te filiale, qui est spiritus obedientiæ, reuerentiæ, amoris & confidentiæ, vt in omnibus meis tribulationibus ad te confugiam tanta cum fiducia & securitate, quanta cum solet fidelis filius ad patrem recurrere, quem plurimùm amat. Et super hæc omnia voluisti mihi palàm in hoc Sacramento denunciare amorem Sponsi ad Sponsam, & tanquam Sponsus animam meam contrectare. Da itaque mihi Domine tale cor erga te, quod amet te amore tam fideli, & forti, vt nihil sit sub sole, quod me possit à te segregare. Dulcissime Sponse animę meæ, extende brachia tua candida, & amore casto plena, tam arctè me constringe, vt nunquam neque in vita neque in morte à te diuellar. Ad vnionem hanc formandam diuinum illud Sacramentum instituisti; sciebas enim multo securiùs tutiusque creaturam in te, quàm in seipsa manere: qui enim in te manet, manet in Deo; qui verò manet in se, manet in debili creatura. Aquæ gutta, quæ sola est, & seorsim per se manet, breui tẽpore siccatur & ab aëre absumitur: in mare verò recidens, & manẽs iuncta suo principio, in suo statu manet, aut semper, aut diutissimè. Abduc itaque me Domine à meipso, & recipe me in te, in te enim viuo, in me verò morior: in te sanus sum, in

me vero infirmus : in te ſtabilis ſum & conſtans, in me vacillo, & tanquam fumus euaneſco. Ne diſcedas à me, Domine, mane nobiſcum, ô bone Ieſu, quoniam aduesperaſcit : inclinat iam dies, & nox appropinquat, nō vna nox, ſed multæ noctes : approperat enim nox mortis, nox mundi, nox peccati, nox tribulationis, nox tentationis, & nox ſolitudinis cum abſentia diuinæ gratiæ. Omnes iſtæ noctes accelerant, vt irruant in nos, vt tenebris ſuis nos cooperiant; ne deſeras neque derelinquas nos fidelis Cuſtos hominum. Ab omni parte lux nos deſtituit, charitas refrigeſcit, creſcit malitia, & quid nobis reſtat Domine, ſi etiam à te deſeramur? Væ nobis, ait Propheta, quia declinauit dies, quia longiores factæ ſunt vmbræ veſperi. Quia cùm vera lux, quæ eſt cognitio Dei & verorum bonorum, fugit, & nos deſerit, ſuccedit confeſtim vmbra falſarū & tranſitoriarum rerum, quæ magna videtur eſſe & digna, quam omnes meritò ſectentur. Mane itaque nobiſcum Domine, tu, qui es lux mundi, in qua ſingula qualia qualia ſunt videntur, & cuiuſque rei natura cognoſcitur : ne fortè imitemur illos, qui malum dicūt bonum, & bonum malum : ponentes dulce in amarum, & amarum in dulce. Magna mihi profectò felicitas accedit hodie, qui te ſummum bonum in hoſpitium animæ meæ excepi, & in cubile cordis mei introduxi:

Luc.24.

Hier.6.

Eſa.5.

nunc enim optima mihi est occasio tecum secretè de rebus salutis meæ agere, audire tua consilia, & tua sequi decreta. Sed non immeritò turpissima notabor ignominia, si tantam commoditatem frustra mihi excidere patiar, aut intercipi. Non te relinquam Domine, tecum ego tota nocte luctabor: nec dimittam te, nisi benedixeris mihi. Muta Domine nomen meum, & da mihi nomen nouum, id est, spiritum nouum, cor & modum viuendi nouum; tange neruum femoris mei, & obstupescat pes vnus altero incolumi, & integro permanẽte. Claudicet in me amor huius mundi, sano autem & integro pede stet amor tuus, vt extinctis & interfectis in me omnibus alijs amoribus, & desiderijs, te solum diligam, te solum desiderem, te solum cogitem, cum te solo permaneam, & in te solo habitem: tibi soli viuam, in te omnis voluntas & cogitatio mea firmetur, ad te in omni tribulatione mea confugiam, à te omne solatium & auxilium accipiam. Denique tu, Domine, semper esto meus, & ego semper sim tuus. Qui viuis & regnas Deus, per omnia secula seculorum. Amen. Genes. 32.

ORATIONES ET GRATIARVM ACTIONES POST Communionem.

ORATIO PRIMA.

Granatēs. ibid. ex D. Thoma.

GRatias tibi ago Domine sancte Pater, omnipotens æterne Deus, qui me peccatorem indignum famulum tuum, nullis meis meritis, sed sola dignatione misericordiæ tuæ, satiare dignatus es pretioso corpore & sanguine filij tui, Domini nostri, Iesu Christi. Et precor, vt hæc sancta communio non sit mihi reatus ad pœnam, sed intercessio salutaris ad veniam: sit mihi armatura fidei, & scutum bonæ voluntatis: sit vitiorum meorũ euacuatio, concupiscentiæ & libidinis exterminatio, charitatis & patientiæ, humilitatis & obedientiæ augmentatio: contra insidias inimicorum omnium tam visibilium, quàm inuisibilium firma defensio: motuũ meorum tam carnalium, quàm spiritualium perfecta quietatio: in te vno ac vero Deo firma adhæsio, atque finis mei felix consummatio. Et precor te, vt ad illud ineffabile conuiuium me peccatorem perducere digneris, vbi tu cum filio tuo, & Spiritu sancto, Sanctis tuis, es lux vera, satietas plena, gaudium sempiternum, iucunditas consummata, & felicitas perfecta, per Christum Dominũ nostrum. Amen.

ORATIO SECVNDA
post Communionem.

Borck. in suo Enchirid. ex D. Thoma

GRatias ago Domine Iesu Christe, Rex Regum, & Dominus dominantium, reuerendæ ac immensæ Maiesta-

ti tuæ, qui ſacro corpore & pretioſo ſanguine tuo animam meã nimis aridam, dulciter reficere dignatus es. Rogo te, vt quicquid in me vitioſum, tuæque ſanctiſſimæ voluntati contrarium inuenitur, communione huius Sacramenti funditus euacuetur: vt cor meum dignum habitaculum Spiritûs ſancti præparetur. Sitque mihi dulciſſime Ieſu hoc ſacroſanctum corporis & ſanguinis tui Sacramentum impetratio veniæ, medicina vitæ, ſtabilimentum gratię, memoria ſacratiſſimæ paſſionis tuæ, viaticum peregrinationis meæ, ſuauitas & dulcedo animæ meæ, ſalus & ſanctitas in tentatione, pax & gaudium in omni tribulatione, lumen & virtus in omni verbo & opere, ſolamẽ & tutela finalis in morte. Sic immutet palatum cordis mei, vt præter te nullam vnquam ſentiat dulcedinem, nullam amet pulchritudinem, nullum quærat amorem, nullam deſideret conſolationem, nullam admittat vnquam delectationem, nullum curet honorem, nullamque timeat crudelitatem. Amen.

ORATIO POST SACRAM *Synaxin tertia.*

TRansfige dulciſſime Domine Ieſu medullas & viſcera animę meæ ſuauiſſimo ac ſaluberrimo amoris tui vulnere, vera, ſerenaque & apoſtolica ſanctiſſima charitate, vt langueat & liquefi- D.Bonauentura.

at anima mea ſolo ſemper amore & deſiderio tui: te concupiſcat, & deficiat in atria tua; cupiat diſſolui, & eſſe tecum. Da vt anima mea te eſuriat panem Angelorum, refectionem animarum ſanctarum, panem noſtrum quotidianum ſuperſubſtantialem, habententem in ſe omnem dulcedinem & ſaporē, & omne delectamentum ſuauitatis: te in quem deſiderant Angeli proſpicere ſemper eſuriat & comedat cor meum, & dulcedine ſaporis tui repleantur viſcera animæ meæ: te ſemper ſitiat fontem vitæ, fontem ſapientiæ & ſcientiæ, fontem æterni luminis, torrentem voluptatis, vbertatem domûs Dei: te ſemper ambiat, te quærat, te inueniat, ad te tendat, ad te perueniat: te meditetur, te loquatur, & omnia operetur in laudem & gloriam nominis tui cum humilitate & diſcretione, cum dilectione & delectatione, cum facilitate & affectu, cum perſeuerantia vſque in finem; & tu ſis ſolus ſemper ſpes mea, tota fiducia mea, diuitiæ meæ, delectatio mea, iucunditas mea, gaudium meum, quies & tranquillitas mea, pax mea, ſuauitas mea, odor meus, dulcedo mea, cibus meus, refectio mea, refugium meum, auxilium meum, ſapientia mea, portio mea & poſſeſſio mea, theſaurus meus, in quo fixa & firma & immobiliter ſemper ſit radicata mens mea, & cor meum. Amen.

ORATIO POST COMMUNIONEM *quarta.*

Domine mi Iesu Christe, qui verus es Deus, & homo verus, quique me hodie tot & tantis beneficijs cumulasti, vt qui mihi omnia mea peccata per merita sanctissimę passionis tuæ, virtutemque Sacramenti Pœnitentiæ (hoc enim immota fide & spe firmissima credo) condonasti, quin & participem me fecisti pretiosi corporis & sanguinis tui in sacrata illa hostia, quam mox de manu Sacerdotis licet indignus, & absque vllis meis meritis accepi: te oro per infinitam tuam bonitatem & misericordiā tuam, perque omne id quod es, vt non respiciens ad peccata mea præterita, in tua me gratia, tuoque cultu & obsequio conserues. Da mihi Domine virtutem, vt possim obedire mandatis tuis, eaque obseruare non segniùs, quàm obseruari vis & præcipis.

Francis. Euia. habetur lib. 4 de Meditat. & orat. Granatens.

Tibi supplico Domine, vt gratiam mihi concedas, ne ad peccata mea antiqua tanquam canis ad vomitum reuertar: etsi credere & confidere non desinā, quin mihi tanquam verus Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis toties per merita sanctissimæ tuæ passionis ignosces peccata mea, quoties cum vera contritione ad te conuersus fuero.

Te glorifico, te laudo, tibi Domine quas possum gratias ago, etsi non eas

poſſim quas debeo, & quas tua poſtulat magnificẽtia. Optarem igitur vt omnes huius mundi creaturæ mecum tibi infinitas redderent gratias, pro beneficijs tuis præteritis & præſentibus, quibus me onerasti, & pro ijs omnibus, quæ adhuc de manibus tuis expecto, tam in hac vita, quàm in illa futura. Sit Domine ſanctiſſimũ illud, quod ſuſcepi, Sacramentum mihi non ad ſupplicium, aut maiorem damnationem, ſed cedat in ſalutem & meritum. Sit mihi meorum peccatorum remiſſio, ſit animæ meæ purificatio. Sit mihi robur, ſit virtus, ſit remedium contra omnia vitæ huius pericula: ſit infirmitatis meæ fortitudo, ſit mihi contra tentationes omnes propugnaculum, ne mundus, ne caro, ne Diabolus ſe aduerſum me præualuiſſe glorietur: tua enim gratia, tuoque ſubſidio munitus eos facillimè ſuperare potero.

O Deus meus, ô miſericordia mea, & omne bonum meum: ô vita & ſatietas animæ meæ, me tibi commendo, me tuis manibus deuoueo; ſub vmbra alarum tuarum volo nunc, & toto vitæ meæ tempore, vſque ad extremum mortis articulum ſuauiter quieſcere: credens firmiter, quidquid credit mater Eccleſia, peccatorumque meorum iugiter à te petens remiſſionem. Oro præterea & inuoco gratiam ſacratiſſimę Virginis Matris tuæ, omnium beatorũ Angelorum, omniumque Sanctorum, & quæ ſunt in

illa cælesti curia Sanctarum, vt pro me orent, mihi patrocinentur; pro me intercedant: vt beneficium hoc ineffabile, quod tu mihi hodie Redemptor mi præstitisti, ad inæstimabilem, diuinumque hunc cibum me admittens, vtile mihi sit & salutare: Sed & robur conferat tale, quale olim contulit Heliæ panis ille subcineritius: vt in fortitudine cibi illius ambulem, & sine periculo perueniam ad montem tuæ gloriæ, ibique cęlesti & perenni tuo fruar conuiuio; quod tu Domine cum omnibus Sanctis tuis sine fine celebras in abũndantia tuæ suauitatis, & in multitudine gloriosissimarum, dulcissimarumque dapum tuarum, quæ fastidium pariunt nullum. Vbi tu Domine fons es gratiarum cunctos inebrians, purissima sanctitas omnes sanctificans, lux serenissima omnes illuminans. Vbi tu es gaudium perfectum, felicitas vera, & gloria sempiterna, viuens & regnans per omnia secula seculorum.
Amen.

3 Reg. 18.



CAPVT SEXTVM, CONTINENS ORATIONES, QVIBVS SACERDOTES ante & post Missarum solennia vti possunt.

Laurent. Iustinianus sermone de Corpore Domini.

MAGNA *prorsus & admiranda est Sacerdotum dignitas, maxima est illis collata potestas: sua namque prolatione eloquiorum cælestium, & ad eorum penè libitum corpus Christi de panis transubstantiatur materia: descendit de cælo in carne Verbum, & altaris verissimè reperitur in mensa.* Hoc *illis prærogatum est ex gratia, quod nusquam datum est Angelis. Assistunt Deo, illum contrectant manibus, tribuunt populis, in seq; recipipiunt. Quamobrem rectè colligitur, quanta cum veneratione ibi debeat astare Sacerdos, cui consecrandi hostias, offerendi incensum, atque intercedendi pro populo est impensa auctoritas.* Et *quia Angelorum siue astantium, siue ministrantium vice funguntur, potiùs angelicam, quàm humanam debent habere conuersationem. Accedat igitur Sacerdos ad altaris tribunal, vt Christus; assistat, vt Angelus; ministret, vt sanctus; populorum offerat vota, vt Pontifex; interpellet pro pace, vt mediator; pro se autem exoret vt homo. Quæ au-*

tem

tem vitæ puritas in huiuſmodi ſacerdote requiratur: idem Iuſtinianus multis paginis docet, in eodem ſermone. Breuior eſt D. Ambroſius, *cuius hæc ſunt verba.*

Separauit Dominus *ſacerdotes à populo; & poſtea ipſum* Moyſen *intra nubem introire præcepit:* Vides *diuiſiones? Nihil in ſacerdotibus plebeium requirit, nihil populare, nihil commune cum ſtudio atque vſu & moribus inconditæ multitudinis.* Sobriam *à turbis grauitatem, ſeriam vitam, ſingulare pondus dignitas ſibi vendicat ſacerdotalis. Quomodo enim poteſt obſeruari à populo, non diſpar à multitudine? Quid enim in te miretur, ſi ſua in te recognoſcat? ſi nihil in te aſpiciat, quod vltra ſe inueniat? ſi quod in ſe erubeſcit, in te, quem reuerendum arbitratur, offendat?* Ambroſ. epiſt. 1. ad Irençum.

Vt *ergo miniſtri altaris conſcientia libera atque ſincero corde aſsiſtant* Altiſsimo, *apoſtolica exhortatione admoniti, introrſus redeant, ſeſtatuant ante ſe, ac diligentiſsimè probent: mentis detergant, ſi quas inuenerint, maculas; deplorent facinora. ardenti deſiderio in ſpiritualibus die noctuq; inſudent profectibus, orationi vacent, delectentur in* Domino, Deo *libentiùs famulentur, quàm ſeculo: ſpiritui potiùs intendant, quàm carni. ſint pudici corpore omni tempore, ſint corde humiles, ſint conuerſatione ſancti, ſint temporalium contemptores facultatum, & à terrenorum*

ſolicitudine liberi; quatenus Deo expeditiùs vacent, atque ſacramentalis panis ſumptione digni ſint. Quæ omnia cùm ardua ſint, carniq́; & ſanguini difficilia, aſſiduis precibus atque orationibus à Deo petantur.

ORATIO ANTE SACRIFIcium *Miſſæ, qua Sacerdos ſuam indignitatem confitetur.*

Ex Liturgia B. Iacobi Apoſtoli.

PEccatorum meorũ multitudine inquinatum ne me ſpreueris Domine Deus noſter. Ecce enim accedo ad diuinum hoc & ſupercæleſte myſterium tuum indignus quidem, ſed de tua bonitate confiſus: emitto tibi vocem, Deus ſis mihi peccatori propitius: peccaui in cælum, & coram te, neque dignus ſum, qui oculos obuertam huic ſacræ ac ſpirituali menſæ, in qua vnigenitus filius tuus, & Dominus noſter Ieſus Chriſtus mihi, qui peccator ſum, & omnibus maculis labefactatus, myſticè proponitur in ſacrificium.

Proinde hanc orationẽ & gratiarum actionem tibi offero, vt mihi Spiritus tuus paracletus mittatur, fortificans ac inſtaurãs me ad hanc Miſſam, dignumq́ue me habe, vt actionem hanc ſacram pro populo citra meam damnationem peragam, in Chriſto Ieſu Domino noſtro, cum quo benedictus es, vnà cum omnibus modis ſancto, & bono, & viuificatore atque conſubſtantiali tibi Spi-

ritu, nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amen.

SACERDOTIS ORATIO

pro ſuipſius peccatis, qua D. Baſilius celebraturus vti ſolebat.

SAcerdos magne, ac religioſorum Domine, Christe Deus noſter, qui teipſum obtuliſti genitori tuo hoſtiam piacularem, placaſtique per ſacrificium (quod ipſus eras) Patrem tuum humanitati noſtrę offenſum, ſupernaque cum infernis conſociaſti, ac pacem nobis omnibus per proprium tuum ſanguinem donaſti. Tu rerum omnium Domine ſuſtine quæſo per miſericordiam, expiationemque tuam, infirmitatem meam, qui nunc coram te conſiſto. Neque Domine ob reſpectū fœditatis animæ meæ expertem reddas populum tuum ſanctificationis Spiritûs ſancti tui, aut propter conſcientiam meam impuram Domine illum non negligas, vel non exaudias. Ne obſecro Domine deteſteris victimas eorum, qui tuum nomen profitentur, ob iniqua facinora quæ patrarunt manus meæ. Ne obſecro Domine reſpexeris me impuriſſimum peccatorem, meáve cauſa iratus ſis populo tuo.

Translata ex Syrico per Andream Maſium.

Ne memineris Domine turpium ſermonum quos ex meo ore protuli, vt non exaudias preces meas, quæ abs te miſericordiam flagitant pro Eccleſia tua, quæ modò coram te conuenit. Sed inclina,

Domine,aurem tuam,atque audi petitionem meam. Parce prauitati meæ; elue maculas peccatorum meorum, exterge ſordes cordis mei,emunda mentem meam ab omni putredine delictorũ. Conſtitue Domine cuſtodiam ori meo, & animo meo, ne loquantur labra mea verba nugatoria,ſcurrilia,aut deriſione, detractioneque plena. Ne occuper cogitationibus turpibus & impuris, quæ aut vigilanti aut dormienti mihi obrepant.

Contine mentem meam in metu iudicij tui formidabilis, quod in tuo aduentu ſecundo exercebis : in quo mortales omnes examinandi ſunt : neque operam det vanarum rerum recordationi, aut improbo ſtudio teneatur : ſed concede mihi Domine, vt mundus, purusque animo & corpore efflagitem,atque conſequar cùm mihi ipſi, tum vniuerſo gregi tuo, qui purè nunc coram te congregatus eſt, miſericordiam atque clementiam. Pro cunctis autem gratijs, beneficijsque tuis, quæ nobis exhibita ſunt, laudem & gloriam offerimus tibi, & Patri tuo,qui te miſit nobis Redemptorem, ſanctoque tuo Spiritui nunc, & ſemper,& in ſecula ſecula ſeculorum. Amen.

ORATIO ANTE MISSAM,

in qua Sacerdos intentionem ſuam Deo explicat, peccata confitetur, veniamq; ſibi & gratiam proximis petit.

Borckēſis in Enchiridio.

ECCE benigniſſime Domine Ieſu Chriſte, fili Dei viui, ego indignus peccator memor tam inęſtimabilis charitatis tuæ, quā humano generi exhibuiſti, quando naſcens ex Maria Virgine homo fieri voluiſti. exemplo ſanctiſſimæ conuerſationis tuæ, & verbo prædicationis viam æternæ ſalutis nos docuiſti, innumeros labores & iniurias pro nobis pertuliſti; multa dura etiam atque indigna paſſus, crucifixus, & mortuus es, vt ab æterna morte redimeres nos. Inſuper vulneratus lancea militis tuum pretioſum ſanguinem copioſè in remiſſionem & ablutionem peccatorum meorum de tuo pijſſimo latere effudiſti. Qui etiam ad perpetuam tantæ charitatis memoriā in cœna tua vltima, tranſiturus de hoc mundo ad Patrem, venerabile & ſalutiferum tui corporis Sacramentum inſtituiſti, & in eodem Sacramento teipſum cibum & potum ſalutarem animarum noſtrarum nobis præparaſti, & ſumendum imperaſti, dicens; Accipite & comedite ex hoc omnes. Sed & qui ipſum venerandū Sacramentum per famulos tuos presbyteros in altari quotidie confici, & in eodem Sacramento tuipſe per myſteriū pro nobis iterum pati, & manibus eorundem presbyterorum per ſingulos dies pro ſalute noſtra, in tui memoriam offerri voluiſti.

Tantæ ergo dilectionis tuæ memor intendo facere, quod tu Domine feciſti

tunc,

tunc,& à nobis famulis tuis presbyteris fieri præcepisti: & quod Ecclesia tua, te auctore, fieri instituit: volens scilicet te cooperante consecrare seu conficere corpus & sanguinem tuum, & offerre te Dominum Deum & Saluatorem meũ cum apertis & defluentibus vulneribus tuis Deo patri tuo, tibique & Spiritui sancto, in memoriam pijssimę mortis tuæ, imò omnium amarissimorum dolorum tuorum, corporalium & spiritualium, quos pro nobis miseris redimendis, & inflammandis ab instanti conceptionis tuæ in vtero Virginis matris tuæ, vsq; ad mortem crucis magnis ardoribus, amore nostro crebriùs sustinuisti. In memoriam insuper gloriosæ resurrectionis tuæ, & admirabilis ascensionis; ad gloriam & honorem summæ Trinitatis; ad venerationem & congratulationẽ benedictæ matris tuæ, totiusque curię cęlestis; pro gratiarum actione omnium beneficiorum tuorum, pro contritione, pœnitentia & satisfactione omniũ peccatorum ab origine mundi commissorum, & pro pace & salute Ecclesiæ tuæ sanctæ militantis viuentium & defunctorum.

Accedo ergo licet indignus ad altare tuum sanctum Domine, vbi etiam te miserante recipere cupio Dominum Deum & Saluatorem meum, in tui memoriam, & infirmæ animæ meæ medicinam. Qui es prædulcissimus cibus & potus dilectissimus sanctissimę matris tuę,

ſanctorũ quoque Angelorum tuorum, ac omnium beatorum.

Sed confiteor tibi Domine Ieſu Chriſte, & benedictæ matri tuæ ſemper virgini Mariæ, ſancto Angelo meo, ac omnibus ſupernorum Spirituum ordinibus, ſancto Ioanni Baptiſtæ, ſanctis Apoſtolis, Euangeliſtis, Martyribus, Confeſſoribus, Virginibus, & omnibus Sanctis tuis, quòd nequaquam dignus, heu, nequaquam præparatus ſum ſuſcipere te agnum Dei immaculatum in tam immundum & prophanum cordis & corporis mei hoſpitium, propter innumera peccata mea, quibus te Dominum Deum meum à pueritia mea, vſque nunc ad iracundiam prouocaui, & meam conſcientiam pollui & grauaui.

Peccaui, heu, contra mandata tua multipliciter, ea tranſgrediendo. Peccaui, heu, contra Sacramẽta Eccleſiæ multipliciter, ea indignè ſumendo, tractando & miniſtrando: & contra omnia iura & maiorum meorum inſtituta varijs modis agendo. Peccaui, heu, multipliciter contra profeſſionem & ordinem meum, & contra vota monaſtica corde, ore, opere & omiſſione. Confiteor tibi Domine, quòd interiora & exteriora mea à planta pedum meorum, vſque ad verticem capitis mei, varijs iniquitatibus & peccatis multipliciter inquinata ſunt, & fœdiſſimis turpitudinibus reſperſa. Adhuc confiteor tibi Domine, & grauiter

me coram te accuſo, quòd de his omnibus peccatis commiſſis vel omiſſis in te, in proximum, aut in meipſum nō tantùm ex toto corde contritus non ſum, ſed nec ea debitè confeſſus, nec condigna pœnitentia pro illis ſatisfeci.

At te, indulgentiſſime Domine, qui veniſti populum tuum ſaluum facere à peccatis eorum, cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere, qui dixiſti ore tuo benedicto; Petite & accipietis: qui miſertus es Dauid adulterantis, & occidentis; Petri Apoſtoli te negantis, & amarè flentis; Mariæ Magdalenæ tuos benedictos pedes ſuis lachrymis rigantis, & latronis ſerò pœnitentis: qui mulierem in adulterio deprehenſam condemnare noluiſti, qui innumeris peccatoribus te humiliter inuocantibus peccatorum veniam præſtitiſti; te, inquam Domine, contrito & humili corde oro, vt me tam indignum peccatorem non ſpernas propter multitudinem & magnitudinem meorum peccatorum: ſed propter infinitum meritum totius crucifixæ vitæ tuæ, ac propter merita & preces benedictæ Matris tuæ, & omnium Sanctorum omnia peccata mea, quibus iram promerui, mihi miſericorditer dimitte: & fac me tuum Sacramentum tam deuotè tractare, & ſumere, vt conſequi merear virtutem declinandi à peccatis, & gratiam ſectandi quodque rectum eſt in conſpectu tuo faciendi.

Pacem veram & finem bonum, tuæ protectionis consilium & auxilium mihi tribue. Post hanc verò miseram vitam fac me participem tuæ redemptionis. Insuper misericorditer respicere digneris illos & illas, pro quibus te specialiter offerre propono, vt bonos confirmes, malos ab errore reuoces, afflictos consoleris, tentatos eripias, discordes in bono concordes, purgandos à purgatorio liberes, & omnes fideles adhuc viuentes in viam salutis æternæ dirigas, ac omnibus fidelibus defunctis, pro quibus orari velis, requiem & lucem perpetuam tribuas. Qui viuis & regnas Deus per omnia secula seculorum. Amen.

ALIA ANTE MISSAM.

DEus qui de indignis dignos, de immũdis mundos, de peccatoribus iustos facis, munda cor & corpus meum ab omni sorde & cogitatione peccati, & fac me dignũ sacris altaribus ministrũ, & concede propitius, vt in hoc altari, ad quod indignus accedo, hostias acceptabiles offeram pietati tuæ, pro peccatis & offensionibus meis, & pro omnibus fidelibus Christianis, & omnibus circunstantibus, omnibusque mihi familiaritate, vel consanguinitate coniunctis; omnibusque, qui mei memoriam in suis continuis orationibus habent: vt per eum sit tibi acceptabile meum votum, qui se tibi obtulit in sacrificium, Iesus

Idem ibidem.

Christus Dominus noster. Amen.

ALIA.

DEus qui non mortem, ſed pœnitentiam deſideras peccatoris, me miſerum fragilemq́ue peccatorem à tua pietate non repellas, neque aſpicias ad peccata & ſcelera mea, & immundas turpesq́ue cogitationes, quibus flebiliter à tua diſiungor voluntate; ſed ad immenſas miſericordias tuas, & ad fidem, deuotionemq́ue eorum, qui per me tuam expetunt miſericordiam. & quia me indignum medium inter te & populum tuum fieri voluiſti, fac me talem, vt poſſim dignè tuam exorare miſericordiam, pro me peccatore, & pro eodem populo: & adiunge voces noſtras vocibus Angelorum tuorum, vt ſicut illi te laudant inceſſabiliter & infatigabiliter in æterna beatitudine, ita nos quoq; eorum interuentu te mereamur inculpabiliter laudare in hac peregrinatione, Ieſu Chriſte, qui viuis & regnas Deus per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

Præparationem ad Miſſam habet Sacerdos in Diurnali Romano ex decreto Concilij Tridentini edito, circa finem.

ORATIONES DICENDÆ *cùm Sacerdos induitur ſacerdotalibus paramentis pleræq; ex eodem Diurnali.*

Cùm lauat manus.

DA Domine virtutem manibus meis ad abstergendam omnem maculam, vt sine pollutione mentis & corporis valeam tibi seruire: Per Christum Dominum nostrum. Amen. Ioannes Faber.

Ad amictum seu Humerale.

IMpone Domine capiti meo galeam salutis, ad expugnandos diabolicos incursus: Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Ad Albam.

DEalba me Domine, & mũda cor meum, vt in sanguine Agni dealbatus gaudijs perfruar sempiternis.

Ad Cingulum.

PRæcinge me Domine cingulo puritatis, & extingue in lumbis meis humorem libidinis, vt maneat in me virtus continentiæ & castitatis.

Ad Manipulum.

MErear Domine portare manipulum fletus & doloris, vt cum exultatione recipiam mercedem laboris.

Ad Stolam.

REdde mihi Domine stolam immortalitatis, quam perdidi in præuaricatione primi parentis: & quamuis indignus accedo ad tuum sacrum mysterium, merear tamen gaudium sempiternum.

Præparando calicem dicat

Ex Missali Coloniensi.

IN nomine Patris, & Filij, & Spiritûs sancti. Amen.

Infundendo vinum.

SAnguis exiuit de latere Domini nostri Iesu Christi,

Infundendo aquam.

ET aqua in remissionem peccatorum. Fiat hæc commixtio vini & aquæ pariter in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen.

Oremus.

DEus qui humanæ substantiæ dignitatem mirabiliter condidisti, & mirabiliùs refecisti, da quęsumus per huius vini & aquæ mysteria eius diuinitatis nos esse consortes, qui nostræ humanitatis fieri dignatus est particeps, Iesus Christus Dominus noster. Qui tecum viuit & regnat &c.

Ad Casulam.

INdue me Domine ornamento humilitatis, pacis, & charitatis: & concede mihi protectionem contra hostem insidiatorem, vt vndique munitus atque protectus virtutibus possim resistere vitijs & hostibus.

LAVDES POST MISSAM HABENTVR IN DIVRNALI *Romano, circa finem.*

ORATIO SACERDOTIS *post Missam I.*

Boikensis in Enchiridio.

IAm dulcissime atque amātissime Iesu vnica spes salutis meæ nullatenus tibi dignè regratiari possum, de vniuersis beneficijs mihi impensis. Ago autem gratias humiles tibi clementissime Deus, quòd me dulcissimo corpore, & pretiosissimo sanguine tuo reficere voluisti. Gratias tibi ago misericors Deus, quòd me ad officium sacerdotale elegisti, & rogo te Domine Iesu Christe, vt remittas mihi vniuersas negligentias meas, & omnia errata mea: parce & remitte mihi propitiabilis Deus, quòd sanctissimum corpus & sanguinem tuum tractaui & sumpsi tam irreuerenter & indeuòtè. Parce quæso benignissime Deus, & remitte omne quod in hac Missa tam in dicendis, quàm in agendis vanis seu vagis cogitationibus transiui incautè seu negligenter.

Eia deprecor te misericors Deus, vt tibi hoc sacrificium gratum sit & acceptum, quod obtuli in honore nominis tui, & gloriosæ virginis & matris Mariæ, atque ad honorem sancti N. & sanctæ N. omniumque electorum tuorum, pro viuorum & mortuorum salute. Da igitur mitissime Deus viuis omnibus gratiam & misericordiam, defunctis requiem & veniam, Ecclesiæ tuæ pacem & concordiam, nobis autem miseris peccatoribus hîc ambulantibus fidem rectam, spem firmam, charitatem perfectam, & tandem vitam consequi sempi-

ternā. Qui viuis & regnas Deus per &c.

ALIA GRATIARVM *actio post Missam* II.

Ex tabella manuscripta.

GRatias tibi ago Domine pijssime, quòd me ad officiū sacerdotale elegisti. Gratias tibi ago dulcissime Deus, quòd me tuo dulcissimo corpore & sanguine refecisti. Gratias tibi ago Dñe clemētissime, pro deuotione, qua me in hac Missa spiritualiter respexisti. Gratias ago tibi benignissime Deus, quòd me protegēdo à periculosis negligētijs custodijsti.

Mi Domine Deus, ecce pro tā gratissima electione, pro tā dulcissima refectione, pro tā pijssima respectione, pro tam benignissima protectione & custodia tibi optime Deus ex toto corde gratias ago, te benedico, te laudo, te glorifico in æternū. Eia nūc oro pijssime Deus, vt sit mihi hoc dulcissimū sacramentum contra omniū peccatorum meorum vulnera efficacissimū medicamentū. Sit mihi benignissime Deus hoc dulcissimū sacramentū omnis virtutis & gratię victoriosissimū complementū. Sit mihi pijssime Deus hoc suauissimum sacramentū tam in vita, quàm in morte cōtra omnia pericula validissimū tutamentum. Sit mihi dulcissime Deus hoc amœnissimum sacramentum ad ęternam beatitudinem solidissimum fulcimētum. Mi Domine Deus, per sumptā quęso Eucharistiam da mihi, vt à peccatis emūdatus, merito fœcundatus, fine bono consummatus, tecū

in perpetuum ſim beatus: Cui eſt honor & gloria in ſecula ſeculorum. Amen.

ORATIO SACERDOTIS
poſt Miſſam III.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui me peccatorem ſacris altaribus aſtare voluiſti, & ſancti nominis tui laudare potentiã: tuam deprecor clemẽtiam, vt per ea quæ ſumpſi perpetuæ ſalutis ſacramẽta me famulũ tuũ, licet indignum, interuentu ſanctę Dei genitricis Mariæ, & omniũ electorum tuorũ, à cunctis iniquitatibus meis propitius emundes, atque ab omnibus aduerſitatibus protegas, & ęternæ felicitatis conſortem efficias. Ex Miſſali Colonienſi.

Famulos etiã & famulas tuas, qui mihi cõſanguinitatis, familiaritatis, commẽdationis, confeſſionis, vel dilectionis vinculo innectũtur, viuos & defunctos, quorum nomina tibi viuunt, pro quibus miſericordiam tuam exoro, precibus omniũ ſanctorum tuorũ à cunctis iniquitatibus exuas, & ad ſempiterna promiſſa perducas. Per Dominum noſtrum &c.

ORATIO SACERDOTIS
poſt Miſſam dicenda IIII.

ETſi Angelicã puritatẽ, & S. Ioannis Baptiſtæ ſanctitatẽ haberẽ, ô Domine Ieſu, fateor nequaquã dignus eſſem ſacris altaribus tuis aſtare, manibus meis te Deũ meũ contrectare, & pollutis labijs meis ſumere: tamẽ, ô Dñe, quod meis nõ debebatur meritis, id vltro tua donauit gratia: ſãctiſſima nãq; carne tua de virgi- Ex variis locis libri 4 de Imitat. Chriſti Cãpenſis collecta.

ne ſumpta me ſatiaſti, & ſanguine tuo purpureo me inebriaſti. Metuebam quidem ad te venire, ſed variæ me ad hoc neceſſitates meæ impellebant. Pro remedio namque ad te acceſſi, pro conſolatione & refrigerio te deprecatus ſum. Ad omnia ſcientem locutus ſum, cui manifeſta ſunt omnia interiora mea, & qui ſolus potes me perfectè conſolari & adiuuare. Tu ſcis quibus bonis indigeo præ omnibus, & quàm pauper ſum in virtutibus.

Ecce ſto ante te pauper & nudus gratiam poſtulans, & miſericordiam implorans. Refice eſurientem mendicum tuum, accende frigiditatem meã amore ignis tui, illumina cæcitatem meã claritate præſentiæ tuæ. Verte mihi omnia terrena in amaritudinem, omnia grauia & contraria in patientiam, omnia infima & creata in contemptum & obliuionem. Erige cor meum ad te in cælum, & ne dimittas me vagari ſuper terram. Ex quo enim te guſtaui omnia interiora mea incredibili dulcedine perfuſa ſunt: ne deſeras me Domine, quia tu es cibus meus & potus meus; tu amor meus & gaudium meum; tu dulcedo mea & totum bonum meum. Tua me præſentia vtinam accendas, comburas, & in te transmutes, vt vnus tecum ſpiritus efficiar.

Accipe hæc vota mea Domine Deus meus, deſideriaque infinitæ laudationis

& immensæ benedictionis, quæ tibi secundum multitudinem magnitudinis tuæ debentur, in me adauge. Hæc enim tibi reddo, & reddere desidero per singulos dies, & momenta temporum: atque ad reddendum mecum tibi gratias ac laudes omnes cælestes spiritus, & cunctos fideles tuos precibus & affectibus inuito & exoro. Laudent te vniuersi populi, tribus, & linguæ; sanctum ac mellifluum nomen tuum cum summa iubilatione & ardenti deuotione magnificent, dicentes; Magna & mirabilia sunt opera tua Domine Deus omnipotens: iustæ & veræ sunt viæ tuæ Deus Rex seculorum: tibi benedictio, & honor, & gloria, & potestas in secula seculorum. Amen. Apoc. 15. Apoc. 8.

CAPVT SEPTIMVM, QVO CONTINENTVR orationes pro impetrando amore Dei.

PROLOGVS.

PERFECTIONEM *vitæ Christianæ, ad quam pij omnes certatim (etsi non paribus passibus) contendunt, in amore Dei consistere, communis omnium est Theologorum sententia: quamobrem Paulus quodam loco Charitatem vocat*, vinculũ perfectionis; Colos. 3.

1 Tim.1. *& alio in loco,* finem legis. *Tunc enim res est in sua perfectione, quando ad suum peruenit terminum, finemq; vltimum, ad quē creata est. Cùm verò vltimus finis, & quasi centrum rationalis creaturæ Deus sit, in quo solo inuenitur omne id, quod vel intellectus humanus capere, vel voluntas potest amare, vel appetere: consequens est, in amore Dei, vel charitate, hominis perfectionem consistere: cuius officium est vnire hominem cum Deo per amorem, vnumq; cum Deo efficere, vt testatur Euangelista, cùm dicit:* Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. *Quo igitur quis in amore Dei perfectior, eò & sanctior est.*

1 Ioan.4.

Generatur hæc virtus in anima Christiani hoc modo: Deus initio immittit in animam certam & perfectam suæ bonitatis, suauitatis, nobilitatis &c. cognitionem; quam homo per experientiam probat, & quasi manibus palpat. Ex hac cognitione gignitur ardens voluntatis inflammatio: ex inflammatione hac admirabilis quædam delectatio: ex delectatione ardentissimum desiderium: ex desiderio noua satietas; ex satietate ebrietas, & ex illa securitas atque perfecta quies in Deo, quo cum anima spirituali suum celebrat Sabbatum.

Incredibilis huius virtutis itaque dignitas est, quam nullus mortalium aut eloqui, aut de-

scribere potest. Si quis autem in ea enarranda dignam aliquam operam præstiterit, is certè Granatensis noster est; vt patet initio libri septimi Memorialis vitæ Christianæ, & Appendicis primæ, capite primo: quibus duobus integris libris agit de dignitate, prærogatiuis, & admirandis eius effectibus: docet item quæ eius cognata, quæ contraria, quibus meditationibus desiderium eius in animabus nostris accenditur, & quibus orationibus à Deo impetratur.

Sunt enim duæ viæ, quæ nos ad amorem diuinum adducunt: quarum prima vocatur scholastica, cùm scilicet consideramus cuncta, quæ nos amore diuino possunt inflammare: qualia sunt beneficia, perfectionesq; Dei: altera dicitur mystica, cùm scilicet orationibus ardentissimis, inflammatoq; desiderio cæleste hoc donum à Deo petimus. Ad priorem illam viam pertinent variæ meditationes de beneficijs & perfectionibus Dei, quales plurimæ inueniuntur apud Granatensem libro primo de Oratione & meditatione: libro 6 Memorialis, & in Appendice posteriori. Iuuare quoque hîc possunt orationes duæ priores capitis harum precum sequentes: & quæ toto capite decimo traduntur gratiarum actiones. Ad posteriorem viam spectant orationes sequentes, ex eodem Auctore desumptæ.

ORATIO PRIMA PRO *amore Dei impetrando.*

Granateſ. lib. 7 Memorialis vitę Chriſtianæ.

O Dulciſſime, benigniſſime, amantiſſime, pulcherrime, chariſſime, altiſſime: ô admirabilis, ineffabilis, inæſtimabilis, incomparabilis: ô potens, magnifice, liberalis, incomprehenſibilis, infinite, immenſe Deus. Tu totus bonus es, totus pius, totus amabilis; tu melle dulcior, niue cãdidior, omni voluptate delectabilior, omnibus delicijs ſuauior, auro & gẽmis es pretioſior. Tu es Deus meus, vita mea, vnica ſpes mea. Da mihi Domine, vt te diligam: ſi non quantum mereris, ſaltem quantum in hac vita diligi potes ab homine peccatis ſubdito, & multis neceſſitatibus obnoxio.

Matth. 8.

Cum leproſo illo Euangelico Domine in conſpectum tuum venio, clamãs, Domine ſi vis, potes me mundare: potes inquam mundare animam meam ab omnibus peccatis illius, potes illam tanquam aurum in amoris tui igne purgare. Si vis, potes pauperem hunc cõfeſtim ditare: ſi vis, potes me lætiſſimum facere, omniumque qui in mundo ſunt beatiſſimum. Quid oberit tibi Domine, ſi tantum bonum mihi præſtiteris? quid ex eo tibi incommodi? quam rerum tuarum iacturam facies?

Age igitur Domine, cùm tu ſis pelagus infinitæ bonitatis, liberalitatis, & diuitiarum: quid miſericordias tuas in ira tua aduerſum me detines? Cur ini-

qui-

quitates meæ tua bonitate sunt potentiores? Cur potiùs me mea damnabunt peccata, quàm tua me saluabit misericordia?

Si contritionem & dolorē meorum criminum à me exigas: ecce in tantum me delictorum meorum pœnitet, vt mille mortis genera subijsse malim, quàm semel in te peccasse. Si postules satisfactionem, ecce tibi corpus hoc: effunde in illud iram tuam, exerce pœnas indignationis tuæ in illo quas libet: saltem ne amorem tui mihi deneges.

Da itaque vt amem te Deus meus, fortitudo mea, refrigerium meum, liberator meus, adiutor meus & spes mea. Te solum quæro, te solum desidero, ad te solum clamo, Domine mi. Tu enim es primum principium meum, tu finis vltimus. Res huius vitæ me non satiant, nullam habent suauitatem, stabilitatem & firmitudinem nullam. Quidquid preter te video paupertas est, sine te quidquid vsquam gentiū est, aqua mihi turbida est, & salsa, quæ sitim non restinguit, sed accendit. Te solum quæro, te solum volo, tuam solummodo faciem Domine mi desidero: te oro, charitatem tuam ne elongaueris à me.

Tenebo te, nec dimittam, priusquam benedixeris mihi: adhærebo tibi, nec discedam à te, priusquam introduxeris me in cellam vinariam, & ordinaueris in me charitatem. clamabo post te, nec Cant. 2.

Psal. 17.

tacebo, dicam cum Propheta: Diligam te Domine fortitudo mea. Te mediter per dies sine cessatione, te sentiam per soporem in nocte, quia bene est mihi, cùm tecum sum; malè, si tecum non fuero: quia tu solus beatam facere potes animam meam, tu Deus meus & Dominus meus in secula seculorum. Amen.

ORATIO SECVNDA
pro amore Dei.

Granatēs. in procemio lib. 4 de Oratio. & Meditat.

O Bone Iesu, ô dulcedo cordis mei, ô vita & salus animæ meæ, quando tibi in omnibus & per omnia placebo? quando mihi ipsi perfectè moriar? quando præferam te ceteris omnibus creaturis? quando non viuet ampliùs in me quicquam præter te? Miserere mei Domine & adiuua me. Tua vulnera Domine tanquam rosas vernantes saluto, absconde me Domine in illis, & laua me in illis, vt per omnia mundus sim, & amore tui inflammatus. O Domine Deus, ô principium admirabile: ô pietas amabilis charitatis, ô clarissima lux intellectûs mei, ô quies meæ voluntatis, quando te ardenter amabo? Dignare Domine transfigere animam meā amoris tui iaculo; dignare me tibi consociari, vt vnum quid tecum fiam. O desiderium meum, ô spea mea, ô refrigerium meum. Ah si anima mea digna tuis esset amplexibus, vt omnis torpor, omnisque

tepor meus ab igne tui amoris absumeretur. O anima animæ meæ, ô vita vitæ meæ, te totum desidero, & me totum tibi offero, totum toti, vnum vni, & vnicum vnico. O si locum haberet in me, quod tu Patri dixisti; Pater sancte sint vnum, sicut & nos vnum sumus. Ego in eis, & tu in me: vt sint consummati in vnum. Ioan. 17.

Nihil aliud volo, nihil aliud desidero, nihil aliud à te peto: tu namque solus mihi sufficis. Tu meus es pater, tu mea mater, tu defensor, tu ductor, tu omne bonum meum. Tu es totus amabilis, totus delectabilis, totus fidelis. Quis vnquam tam liberalis fuit, vt dederit semetipsum? quis vnquam tam tenerè dilexit, vt semetipsum pro vili creatura in mortem tradiderit? Quis tam humilis, qui adeò minuit & humiliauit suam Maiestatem? O Domine tu neminem despicis, neminem fastidis, neminem repellis, qui te quærit: imò vocas & excitas, vt ad te veniãt omnes: tuæ namque deliciæ sunt esse cum filijs hominum. Prouer. 8.

Tibi Domine benedicunt Angeli, & quid inuenisti in nobis aliud quàm sordes peccatorum? Quare voluisti nobiscum esse vsque in consummationem seculi? Matt. vlt. An non sufficiebat tibi, quòd pro nobis passus, etiam Sacramenta nobis in medicinam, & Angelos in socios & tutores reliqueras? Etsi nos quidem tan-

tis beneficijs ſimus ingrati, tamen inter nos habitare voluiſti. tam bonus enim es, vt ne quidem temetipſum negare potueris.

Ineamus itaque (ſi ſic tibi placeat Domine) pactum : tu curam habe mei, & ego curam habebo tui : tu dilige me, & ego diligam te : tu corpus & animam meam protege & conſerua, & ego legem tuam te iuuante obſeruabo. Fac mecum Domine quod tibi placet : tu enim ſcis quid deſit mihi, & quid expediat mihi. tuus eſſe volo, nō alterius. Da mihi gratiam Domine, ne quicquam præter te quæram, aut deſiderem ; & vt totum me tibi offeram.

O ignis qui me accendis ; ô charitas quæ me inflammas ; ô lumen me illuminans ; ô requies mea, ô vita mea, ô amor meus qui ſemper ardes & nūquam extingueris, quando te perfectè redamabo ? quando te nudis animæ meæ brachijs amplexabor ? quando me & mundum vniuerſum amore tui cōtemnam ? Quando anima mea cum omnibus potentijs & viribus eius tecum vnietur ? quādo in abyſſo amoris tui abſorbebor ?

Dulciſſime, amantiſſime, pulcherrime, ſapiētiſſime, ditiſſime, nobiliſſime, pretioſiſſime & digniſſime qui ameris & adoreris, quando ſic te amabo, vt in amore tui totus iaceam abſorptus ? ô vita animæ meæ, quæ vt me viuificares, mortem ſubijſti, & moriens mortem oc-

cidisti. occide etiam & me; hoc est, omnes meas peruersas ad malum pronitates, voluntatem quoque propriam, & quicquid impedit, quo minùs tu mecum viuas. Postquam autem me sic occidisti, fac me tecum viuere per amorem & bona opera, vt obseruem fideliter omnia tua mandata, iussaque superiorum meorum, & ea solùm sequar, quæ sunt spiritûs.

O benignissime Iesu, da mihi perfectam renunciationem atque odium peccati. Perfectam quoque cordis ad te conuersionem, vt omnes meæ cogitationes, omniaque mea desideria in te solo, & circa te solum versentur. O vita sine qua morior; ô veritas sine qua fallor; ô via sine qua deuio; ô salus sine qua pereo; ô lumen sine quo in tenebris ambulo. Noli Domine, noli permittere, vt vnquam à te diuellar: in te enim solo viuo, & sine te morior: in te saluus, & sine te perditus sum: in te aliquid sum, extra te nihil sum. quoniam omnino non essem, nisi tu esses in me: & nisi ego essem in te, non esses in me. Esto igitur in me ô bone Iesu, in memoria mea mane, ex ea te cognoscam, in ea te inueniam, cùm reminiscor tui, & delector in te, & de te, ex quo omnia, per quem omnia, & in quo omnia. Amen.

ORATIO TERTIA PRO *amore Dei.*

Ex libro 5 Memorialis.

SI debitum, quo benefactoribus nostris pro beneficijs acceptis obstricti sumus, tantum sit; si singula beneficia sint quasi faces, & amoris incentiua; si iuxta multitudinem lignorum ignis quoque sit magnitudo: quantus, ô Domine, meritò ignis amoris in præcordijs meis flagrare debebit, si ligna beneficiorum tot sint, quæ succendunt & nutriunt illum? Si mũdus vniuersus tam visibilis, quàm inuisibilis, cum omnibus quæ in eo reperiuntur, sint mera tua erga me beneficia, quàm ingens erit amoris flamma, quæ in me debebat rutilare? Atque id eò ampliùs, quia non debeo te amare ob ista tantùm beneficia, sed etiam quia in te reperiuntur omnes amandi causæ & rationes, quæ in cunctis sunt creaturis; & singulæ quidem in summo perfectionis gradu.

Si namque bonitatem consideremus, quis te melior inuenitur? Si respiciamus pulchritudinem, tu es pulcherrimus in cuius faciem Angeli prospicere desiderant. Si quæramus benignitatem & suauitatem, quis te suauior aut benignior reperitur? Si appetamus diuitias & sapiẽtiam, quis ditior aut sapientior quàm tu? Si amicitiam, quis amabit aliquid amplius eo, qui pro nobis animam suam posuit.

Si autẽ ad beneficia reuertamur Domine, à quo est omne id quod habemus, nisi à te? Quid de spe dicemus, cùm à te

ſolo, & à tua miſericordia ſperemus, & expectemus quidquid nobis deeſt? Si iure ſolius naturæ ſummus debeatur amor patribus carnalibus, quis magis pater illo, de quo dicitur: Patrem nolite vocare vobis ſuper terram: vnus enim eſt Pater veſter, qui in cælis eſt. Matth. 23.

Si ſponſus tam tenerè à ſpõſa diligatur, quis alius eſt ſponſus animæ meæ, quàm tu Domine? quis replebit ſinum cordis mei, & deſideria mea, niſi tu? Si Philoſophi dicant vltimum finẽ amore diligi infinito, quis eſt principium meum, quis vltimus finis meus, niſi tu Domine? Vnde enim originem traxi, & quò vadam vt perficiar, niſi à te, & in te? A quo eſt omne id quod habeo, & à quo ſpero me accepturum ea, quibus mihi adhuc opus eſt, niſi à te?

Denique ſi ſimilitudo ſit amoris cauſa, ad cuius imaginem & ſimilitudinem creata eſt anima mea, ſi non ad tuam? Age ſi ſolus iſte titulus, & ſinguli prædictorum ſint amoris incentiua, quale debet eſſe id, quod ex omnibus iſtis ſimul iunctis deriuabitur? Sanè quanto abundantius eſt mare cũctis fluminibus, quæ intrant in illud, & quanto illud vincit magnitudine; tanto etiam abundantior, & tanto maior atque præſtantior eſt amor tui, ceteris omnibus amoribus externis.

Tam iuſtas Domine cauſas, tam prægnantes amandi te occaſiones cùm ha-

beam, cur te non debeam ex toto corde, ex tota anima, ex totis viribus, & ex totis visceribus diligere? O spes mea, gloria mea, gaudium meum: ô amabile principium meum, ô satietas & sufficientia mea, quando erit ille dies cùm te verè, & ex toto corde diligam? quando me tibi gratum in omnibus, & pro omnibus exhibebo? Quando mortuum in me sentiam omne id, quod tibi aduersatur? Quando ero totus tuus? quando desinam esse meus? quando veniet illa hora, in qua nihil præter te in me viuet? quando me totum amore tui inflammatum sentiam? quando rapies me cum impetu? quando inebriabis me vberum tuorum dulcedine? quando me totum in te transferes? Quando videbo felicem diem illum, quo sublatis omnibus impedimentis, animíque perturbationibus facies vt vnus spiritus tecum sim, nec in posterum à te diuellar?

Ah Domine, quanti constitit tibi quòd me redemisti? sed redempto semel quàm facilè potes benefacere? cùm enim benefacis homini, quid ex tuis ædibus aufertur, quid ex tuis diuitijs deperditur, quid ex infinitis thesauris tuis aufertur? cur, ô Domine, ira tua cum misericordia tua aduersum me pugnât, cùm tu pelagus sis infinitæ liberalitatis & clementiæ? Memento igitur Domine, quòd ego tuus sum, & tu meus. Noli er-

Ex 1 Appendice.

li ergo me fugere Domine, ſed ſine vt inueniam te. Longum iter facio, ſæpe fatigor, ſæpe ſto, ſæpe regredior, ne pigeat te Domine me expectare, qui non poſſum paribus tecum paſſibus ambulare.

O Deus meus & ſalus mea, cur adeò deſidioſus ſum? cur non ſumma cum alacritate curro ad te ſummum bonum, in quo omnia ſimul bona reperiuntur? Diligam te Domine amore arctiſſimo, fortiſſimoque. Extendam omnium affectuum & deſideriorum meorũ brachia, vt amplectar te ſponſe dulciſſime animę meæ, à quo bonum omne mihi polliceor. Hedera vicinam arborem tam fortiter apprehendit, vt ſingulæ fibræ ſingula videantur eſſe brachia: hoc enim adminiculo ſuffulta in altum aſcendit, & ſuam conſequitur perfectionem. Ego autem Domine cui arbori adhærebo, niſi illi, quæ plantata in monte Caluariæ, facta eſt mihi palus ſecuriſſimus? Non tam largè creſcit hedera, nec tam latè pulchritudinem ramorum ſuorum explicat ab arbore ſubleuata, quantum anima creſcit in virtutibus & gratijs, quæ ab hac arbore fulcitur.

Cur igitur omnia membra mea non vertuntur in brachia, vt omni ex parte amplectar te? cur nõ amabo te? cur non omnem in te fiduciam collocabo? Adiuua me Domine & Saluator mi, trahe me in altum poſt te: pondus namque

Ioan.12. mortalitatis ſemper deprimit me. Tu Domine qui aſcendiſti arborem crucis, vt omnia traheres ad te, tu qui ex tam immenſa charitate copulaſti naturas duas, adeò inter ſe differentes, vnamque ex illis perſonam feciſti, vt vnum quid fieres nobiſcum; dignare quæſo corda noſtra tecum vnire charitatis vinculo indiſſolubili & tam arcto, vt vnũ quid tecum efficiamur. Da mihi vnum hoc Domine, & ſufficit mihi. Opes enim mũdi huius non ſatiant me, te ſolũ volo, te quæro, faciem tuã videre cupio, ad amorẽ tui ſemper aſpirabo, & cum Propheta cantabo; Diligam te Domine fortitudo mea: Dominus firmamentũ meum, & refugium meum, & liberator meus. Deus meus adiutor meus, ſperabo in eum: Protector meus, & cornu ſalutis meæ, & ſuſceptor meus. Laudans inuocabo Dominum: & ab inimicis meis ſaluus ero. Amen.

Pſal.17.

ORATIO QVARTA PRO *amore Dei impetrando.*

Ex prima Appendice Memorialis Lodo. Granatenſ.

FLexis genibus cordis mei, & abſorptus in abyſſo vilitatis meæ, cum omni timore atq; reuerẽtia venio in conſpectum tuum, ô Deus meus, vt qui ſum infeliciſſima, pauperrima atque viliſſima huius mũdi creatura. Siſto me iuxta fluenta tuæ miſericordiæ, iuxta torrentem tuarum gratiarum: ante ſplendorem veri Solis iuſtitiæ, cuius radij dif-

funduntur per vniuersum orbem terrarum, & liberaliter sese communicant omnibus, qui illis fenestram non occludunt.

Ecce datur hîc in manibus artificis sapientissimi cretæ massa, & truncus rudis atque impolitus ab arbore præcisus: fac clementissime Pater ex illo, quod facere decreuisti. Magna est audacia, quòd creatura tam vilis audet à te petere amorem tam pretiosum & excelsum. Vellem quidem, cùm tanta mea sit indignitas, minus quippiam à te petere; sed quid faciam miser, cùm tu pręcipias vt amem te? Tu me creasti vt te diligerem, & minaris mihi nisi te diligam. Mortuus es, vt te amarem, & præcipis mihi, vt nihil feruentiùs à te petam amore: sed & tantopere à me diligi cupis, vt videns me absque amore tui, instituteris Sacramentum admirabilis virtutis, quo cor meum amore tui inflammaretur.

O Saluator mi, quis ego sum, vt tu amorem meum expetas, & hunc in finem tot, tamque admirabiles vias modosque quæsieris? Quid ego tibi sum, nisi tormentum, crux, & quotidiana tribulatio? at tu quid mihi es, nisi salus, quies & omne bonum? Si itaque tu ames me, qui tibi per omnia sum molestus, cur ego non redamabo te, qui mihi per omnia vtilis es & salutaris?

Fretus igitur, ô dulcissime Domine, his amoris tui pignoribus, pioque illo

mandato, quo vſque ad finem vitæ placuit tibi tam benignè me inuitare, & pręcipere mihi, vt te diligam, per ſingularem hanc gratiam tuam, aliam ſimilem oro, vt tu ſcilicet prior mihi tribuas, quod tibi à me retribui vis : non enim hoc poſſum dare tibi, niſi tu prior dederis mihi. Non enim dignus ſum ego qui diligam te; ſed tu dignus es, qui à me diligaris : ideoq́ue petere non audeo, vt tu me diligas, ſed vt des mihi licentiam, vt ego diligam te. Noli fugere Domine, noli fugere : ne reſpuas amari à tuis creaturis amore quo poſſunt maximo.

O Deus qui eſſentialiter amor es; amor increatus, amor infinitus, amor ſine menſura; non tantùm amator, ſed totus amor, à quo procedit amor omnium Seraphin, & cũctarum creaturarum, non aliter atque lux omnium ſtellarum à lumine Solis : cur non amabo te? quî potero non vri ab hoc amoris igne, qui totum mundum, & quicquid in illo eſt inflammat, & penè comburit?

O Deus qui eſſentialiter es ipſa bonitas, à quo bonum eſt, quidquid bonum dicitur : à quo omnium creaturarum bonitas (non aliter atque à mari omnia flumina) deriuantur; in comparatione cuius plus quàm excellentiſſimæ bonitatis non eſt aliquid in cælo, nec in terra, quod bonum dici poteſt. Cur igitur non amabo te, cùm obiectum amoris ſit bonitas?

Si amare nõ potero te, ô Domine mi, ob tuam excellentiam, quomodo potero te non amare, vel ob meam vtilitatem? Filius amat patrem, quia ab illo accepit quod est; membra diligunt caput, & sese morti offerunt pro illo, quia per illud in sua essentia conseruantur. Omnes effectus amant suas causas: ab illis enim acceperunt quidquid sunt, & ab illis expectant quod nondum habent. At tu Domine & pater meús es, & caput meum, & causa mea: quod igitur filius patri, quod membrum capiti, quod effectus debet causæ, id omne, & quidem multo plus, debeo tibi.

Tu mihi dedisti esse quod habeo, multò perfectiùs, quàm ipsi parentes mei. Tu me conseruas in hoc esse quod dedisti, multò accuratiùs quàm caput membra. Tu absolues in me quod deest mihi, donec ad vltimum punctum perfectionis me adduxeris. Tu es pater, qui me fecisti; tu caput qui me regis; tu sponsus, qui das animæ meæ perfectam felicitatem. Tu architectus es huius ædificij; tu pictor huius figuræ ad tuam imaginem & similitudinem factę, quam etiam perfectam efficies. Quidquid habet, à te accepit; quidquid deest ei, id abs te recipere sperat. Quemadmodum enim nemo potuit ei dare quod est, nisi tu Domine: sic etiam nemo potest perficere, quod imperfectũ adhuc est, nisi tu. Quidquid igitur habet, quidquid est, quidquid spe-

rat, id omne tuum est. Quem igitur intuebitur nisi te? cui rationem reddet nisi tibi? in cuius oculis ambulabit, nisi in tuis? quò diriget omnem amorem suum nisi in te, qui es omne bonum illius?

Si tu igitur Domine sis ornamentum & pulchritudo animæ meæ, quomodo tui potero obliuisci? Quid mihi in cęlo, & à te quid volui super terrã? caro mea deficit & cor meum, Deus cordis mei & hęreditas mea in sempiternum. O amor increate qui semper ardes, & nunquam extingueris: ô amor qui semper viuis, & in pectore diuino æstuas. O paterni cordis æternum iaculum, quod semper ferit vultum filij vulnere amoris infiniti: eia vulneret me iaculum istud, inflammet me ignis iste, sequar te dilectum meũ, psallam alta voce canticum nouum, deficiat anima meá in tuis laudibus amoris ineffabilis iubilo.

O sanctissime Pater, ô clementissime Fili, ô amãtissime Spiritus sancte, quando tu dilectissime Pater habitabis in anima mea, & in secreto cordis mei moraberis, atque me totum possidebis? Quando ego ero totus tuus, & tu totus meus? Quando erit illud, ô mi Rex? Quando veniet dies ille? O quando? ô si adesset? Nunquámne illum videbo? ô quàm ingrata mora, quàm odiosa dilatio? Propera ô bone Iesu, propera & noli tardare: reuertere, reuertere & curre instar capreę hinnuliq; ceruorũ, super montes Bethel.

O Deus

O Deus meus, refrigerium vitæ meæ, lumen oculorum meorum, consolatio mea in tribulationibus, finis meorũ desideriorũ, paradisus cordis, centrum animæ, pignus gloriæ, socius peregrinationis, gaudiũ exilij, medicina vulnerum, clemens vltor meorũ peccatorum, magister ignorantium, dux viæ, nidus in quo requiescit anima mea; portus in quo conseruatur, speculum in quo seipsam contemplatur, baculus cui innititur, lapis super quem ædificatur, & thesaurus pretiosus in quo gloriatur.

Si tu igitur Domine mihi sis hæc omnia, quomodo vel ad momentum potero tui obliuisci? Si oblitus fuero tui, ô Deus meus, obliuioni detur dextera mea: adhæreat lingua mea faucibus meis, si non recordatus fuero tui. Non dabo somnum oculis meis, ô beata Trinitas, nec palpebris meis dormitationem, nec requiem temporibus meis, donec inueniam hunc amorem, donec inueniam locum Domino in corde meo, & tabernaculum Deo Iacob in anima mea, qui viuit & regnat in secula seculorum. Amen.

Psal. 36.
Psal. 21.

ORATIO QVINTA PRO *amore Dei.*

Diligam te Domine virtus mea, diligam te ineffabilis exultatio mea, & viuat iam non mihi, sed tibi tota vita mea, quæ perierat in miseria mea, resus-

Ex appẽdice prima.

citata est in misericordia tua. Serò Maiestatem tuam timui, serò te amaui pulchritudo tam antiqua, tam noua: serò te amaui. Ego te refrigerium meum quærebam, & non inueniebam: quia non rectè quærebam te. Quærebam te extra me, & tu habitabas intra me. Circuiui vicos & plateas ciuitatis huius mundi, quærens te, & non inueni: quia malè quærebam foris, quod erat intus.

Interrogaui terram si esset Deus meus, & dixit mihi, quòd non: & omnia quæ in ea sunt, hoc idem confessa sunt. Interrogaui mare & abyssos, & reptilia quæ in ipsis sunt, & responderunt; Non sumus Deus tuus, quære super nos eum. Interrogaui flabilem aërem, & inquit vniuersus aër, cum omnibus incolis suis; Non sum ego Deus tuus. Interrogaui cælum, Solem, Lunam & stellas; Neque nos sumus Deus tuus, inquiunt. Interrogaui denique omnes creaturas, & clamauerunt ad me voce grandi; Ille qui nos fecit, verus Deus & Dominus tuus est. Et dixi; Vbi est ergo Deus meus? Vbi quæram illum? ostendite mihi. Et audiui vocem dicentem mihi; In omni loco Deus est, quære illum in temetipso. Ipse implet cælum, implet terram, implet & cor tuum.

Et redij ad me, & intraui in me, & aio ad me: Quomodo huc intrasti Domine mi? quod ostium ingressus es? Cœpi inquirere & examinare singulos sensus

meos,

meos, si per quem eorum intraueris? Sed nec ipsi sciebant, quomodo, & quà intraueris. Nam oculi dicunt; Si coloratus non sit, per nos non intrauit. Aures dicunt; Si sonitum non fecit, per nos non transiuit. Nasus dicit; Si non oluit, per me non venit. Gustus dicit; Si non sapuit, per me non introiuit. Tactus etiam addit; Si corpulentus non est, nihil me de hac re interroges.

Ingressus itaque ô amor meus quomodo es animam meam, & non ingressus es per aliquod ostium? Lux quidem es in tenebris illuminans, sed quam non capit oculus: vox es super omnem vocem dulcis, sed quam non capit auris: odor es super omnem odorem fragrans, sed quem non capit naris: dulcedo es super omnem dulcedinem delicata, quam tamen non capit gustus: amplexus es super omnem amplexũ iucundus, quem tamen non capit tactus.

Vbi eras igitur mi Deus, vbi eras mea lux, vbi eras spes mea? Interrogabam, & dictum est mihi; Ascende in superiores partes cordis tui, & illic Deum inuenies. Verè tu magnus es Deus, qui nostram sapientiam deuicisti. Tu solus potens & verè beatus. Tu es Rex Regum, & Dominus Dominantium. Tu es immortalis, & lucem habitas inaccessibilem, quem nemo mortalium vidit, aut videbit vnquam, & viuet. Multa sunt & magna quæ dicuntur de te Domine: minora ta-

men & pauciora, quàm de te dici poſſent: & verba deficiunt, vbi tu non deficis. Excedis enim omne quod dici, omne quod poteſt cogitari.

Tu dilexiſti me amor vnice, Domine mi, antequam ego diligerem te, & ad imaginem tuam creaſti me, omnibus creaturis tuis præpoſuiſti me. Inſuper facis Angelos tuos ſpiritus propter me,
Pſal. 90. quibus mandaſti vt cuſtodiant me in omnibus vijs meis, ne fortè offendam ad lapidem pedem meum. Noluiſti me naſci in terra infidelium, ſed fidelium, in qua ex aqua & Spiritu ſancto regeneratus & ſanctificatus ſum. Diuitias nimias, aut nimiam paupertatem non dediſti mihi, ne aut ſuperbirem, aut nimiùm vileſcerem: ſed intellectum mihi & voluntatem dediſti, quibus te cognoſcerem & amarem.

Vocaſti me cùm eram perditus, & pulſaſti oſtium meum: ſed ego non reſpondebam. Ego pro meo arbitrio viuebam, & fortitudini meæ nimiùm tribuebam, cùm tamen non eſſet fortitudo, ſed mera imbecillitas. Volebã currere, & mox delaſſabar, atque vbi ſecurum me fore arbitrabar, ibi maximè periclitabar. Receſſi à te ſicut filius prodigus, & abiui in regionem longinquam, atque inhabitatam, vbi amans vanitatem vanus factus ſum. Cæcus eram, & cæcitatem deſiderabam. Seruus eram, & ſeruiturem amabam. Vinctus eram, & vincu-

la non

la non horrebam. Amarum dulce, & dulce amarum credebam. Miser eram, nec cognoscebam.

In hoc perditissimo statu cùm viuerem, oculos tuæ pietatis in me coniecisti, & licet ego sine intermissione peccabam, tu tamen me à peccatis reuocare non desistebas. Quando erraui, in viam reduxisti me: quando ignoraui, docuisti me: quando peccaui, corripuisti me: quādo tristis fui, cōsolatus es me: quando desperaui, côfortasti me: quando cecidi, erexisti me: quādo steti, tenuisti me.

Perieram, mortuus eram, ad mortuum descendisti, mortalitatem suscepisti; ad seruum Rex descendisti, vt seruum redimeres teipsum tradidisti. In tantum me dilexisti, vt sanguinem tuum in pretium dares pro me. Dilexisti me Domine, plus quàm te, quia mori voluisti pro me. Tali pacto, tam caro pretio reduxisti me de exilio: redemisti me de seruitute, retraxisti me de supplicio, vocasti me nomine tuo; signasti me sanguine tuo, vt memoriale tuum semper esset apud me, & nunquam recederet à corde meo, qui pro me non recessit à cruce.

Cognoscam igitur te Domine cognitor mei, cognoscam te virtus animæ meæ, ambulem semper in lumine tuo ô Sol iustitiæ. Mihi enim adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meā. Mox enim vbi à te auertor, statim ad perituras res conuertor, vanisque co- Psal. 72.

gitationibus diſtrahor.

O me miſerum igitur & infelicem, quando tam inſeparabiliter adhærebo tibi, vt nunquam diuellar à te? Quando cogitationes, verba & opera mea ab æquitatis & iuſtitiæ tuæ regula non ampliùs diſcrepabunt? Tu Domine ſolitudinem amas, & ego hominum commercia; tu ſilentium, & ego fabulas; tu veritatem, & ego vanitatem: tu munditiem, & ego immunditiem ſequor.

Oro igitur te Domine per temetipſum, oculos meos tua luce illumina, cor meum tuo amore vulnera, greſſus meos in viam mandatorum tuorum dirige, ne vnquam ab illa declinem. Libera Domine captiuum, vagum in vulnera tua introduc: lapſum erige, ab omni parte debilitatum refice. Da cor quod te ſemper cogitet, animum qui te ſemper diligat, mentem quæ te ſemper recolat, intellectum qui te intelligat, rationem quæ tibi ſemper ſummo delectabili fortiter adhæreat.

Ne fugias à corde meo; ab ore & operibus meis ne deceſſeris: ſed ſemper adeſto mihi; quia adiutor meus es in omni tribulatione. Sine te morior, & recolens te ſuſcitor. Odor tuus me recreat, memoria tui me ſanat, lux tua me illuminat, & ad vocem tuam reuiuiſco: ſed ſatiabor, cùm apparuerit gloria tua. Amen.

ORATIO SEXTA PRO *amore Dei.*

SI inter omnia quæ nos ad amorem prouocant, nil forma & pulchritudine reperiatur efficacius, cur non ego meritò amabo te Domine mi, qui fons es omnis pulchritudinis & decoris? Tu es pulchritudo vniuersæ mundi huius machinæ: quidquid enim in illa pulchrum est, per te, & à te pulchrum est, quia tu creasti. Pulchritudinem tuā mirantur Sol & Luna: in faciem tuam Angeli prospicere desiderant: in eius namque visione consistit vltima felicitas, & omnium Spirituum supernorū gloria. Ex appē dice prima.

A te suam sortiūtur pulchritudinem volucres, flores, fontes, agri, flumina, maria, nemora, siluæ, arbores, terra, mōtes, valles, & quidquid in illis cōspicitur. Tu ornasti cælum stellis, aërem auibus, aquam piscibus, prata floribus, & terram infinita plantarum atque animaliū varietate. In omni loco mundi tu pulcher es, quia vbique tuæ pulchritudinis conspiciuntur indicia. In cælo es pulchritudo gloriæ, in inferno iustitiæ, in bonis hominibus gratiæ, in malis patientiæ.

Sed & amabo te Domine mi, quia omnium rerum es perfectio. Tu laus es Angelorum, præmium Sanctorum, spes Patriarcharum, lumen Prophetarum, gaudium Apostolorum, corona Marty-

rum, gloria Confessorum, puritas Virginum, & salus omnium Electorum. Omnes beati Spiritus laudant te, à facie tua columnæ cæli contremiscunt, te honorant & reuerentur omnes mundi creaturæ.

Tu reples omnia, nec dilataris : tu penetras omnia, nec moueris : tu in omnibus rebus es, nec vlla concluderis. Tu creasti omnia absque necessitate, tu gubernas omnia absque vllo labore : tu mutas omnia, & ipse non mutaris. Tu solus iudicas sine vllo errore; tu solus castigas sine vlla perturbatione; tu solus dona distribuis & nihil thesauro tuo decedit. Tu solus es tibi & omnibus rebus sufficientissimus. Qui te igitur habet, is habet omnia : & qui te non habet, etiamsi omnes habeat huius mundi thesauros, pauper est, nudus est, miser est & miserabilis.

Vna sæpe res nos ad tam insanum creaturæ alicuius amorem impellit, vt pro ea mille mortes appetere non dubitemus. In te autem Domine, cùm tot, tantaque simul concurrant, cur te non diligam ? cur non lubēs acerbissima quæque pro nominis tui gloria perferam ? cur non lubēs pro te sanguinem meum fundam, qui tuum tam liberaliter pro me effudisti ? Si considerem beneficia, nulli plus quàm tibi debeo : si amorem, nemo mihi meliùs vult quàm tu : si cognationem, non habet anima mea te

coniunctiorem. Magna profectò amoris causa est similitudo, & quæ maior similitudo, quàm quæ est inter te Domine, & animam meam, quæ creata est ad imaginem & similitudinem tuam? Tu es spiritus, & anima mea spiritus est: tu es inuisibilis, & anima mea inuisibilis est: tu immortalis, & anima mea immortalis: tu intellectum habes, memoriam & voluntatem; easdẽ habet & anima mea potentias.

Tu cùm sis simplicissimus & inuisibilis, totus es in toto mundo, & totus in singulis eius partibus: & anima mea cùm eiusdem sit conditionis, tota est in toto corpore, & tota in quolibet eius membro.

Cùm itaque tanta sit inter me & te, ô amor mi, similitudo, cur non diligam te? An quia tu excelsus es, & ego humilis? an quia tu creator, & ego creatura? an quia tu essentia es perfectissima, & ego totus imperfectus? Non hoc impedire, sed augere debet nostram dilectionem: multo namque amabilior est similitudo cum inæqualitate proportionata, quàm quæ omni ex parte est æqualis. Maior est amor patris in filios, & vxoris in maritum, quàm fratrum inter se, qui sunt æquales. Suauiùs sonant voces inter se differentes, si ad proportionem reducantur, quàm quæ consonæ sunt & vniformes. Et hęc igitur inæqualitas, quæ est inter te & animam meam,

maioris ſit, Domine, cauſa dilectionis.

In te igitur, ô dilectiſſime ſponſe animæ meæ, in te ſunt omnes amoris cauſæ, quæ poſſunt excogitari, digniſſimusque es qui amore diligaris infinito: ſed voluntatem in me deprehendo eum in modum deprauatam, vt id præſtare nequeat, taceo quòd ſubinde ſemetipſam plùs, quàm te diligat.

Quare niſi tu Domine ſanes naturam meam infirmam gratia tua, & niſi in cor meum virtutem charitatis per Spiritum ſanctum infundas, nunquam potero te amore gratuito & ſupernaturali (quali cum amari dignus es, & vis) diligere. Da igitur mihi miſero gratiam, vt quod vis & iubes præſtare poſſim. Da mihi vt te diligam, ſi non amore quo tu dignus es, ſaltem eo quem mea poteſt capere natura: hoc eſt, ex toto corde meo, tota anima mea, tota fortitudine mea, & totis viribus meis: ita vt omnia viſcera mea intrinſecus ardeant, & amore tui liqueſiant.

Da mihi vt te diligam amore ſimplici, & gratuito, non mercenario, vel vlla mihi propoſita vtilitate: da vt amore puro, nulla peruerſa intentione maculato; nihil vt cupiam, quàm te propter te. Da mihi Domine amorem fortem & inuictum, qui nulla pericula, nullos labores, nulla damna, nullas iniurias, nullos cruciatus pro te pati recuſet, aut abhorreat. Da amorem alacrem & diligentem,

qui ſemper occupetur in rebus ad cultum tuum pertinentibus. Da amorem vnitiuum, qui nunquam intermittat amare te, aut vnquam ſeparetur à te. Da Domine amorem inæſtimabilem, qui omnia contemnat propter te: da amorem diſcretum, qui non excedat legem tuam zelo & feruore immodico.

Da denique, ô Deus meus, vt te diligam amore ordinato, qui omnia diligat iuxta dignitatis cuiuſque proportionem: te autem ſuper omnia, amore dulci & ſuaui, qui in nulla re dulcedinē aut oblectationem inueniat præterquam in te: amore zelo æſtuante, qui nihil deſideret magis, quàm tuam gloriam, nihil magis odio habeat, quàm ignominiam ſancto nomini tuo irrogatam: denique amore tam violento, vt auellat cor meum ab omni re peritura, ſemperque ad te ſurſum rapiat, donec tranſeam ex hoc loco exilij in patriam illam cæleſtem, vbi facie ad faciem tuæ videns pulchritudinis magnitudinem, diligam te perpetuò, cum perfectis illis amatoribus, qui nunquam ceſſant amare & laudare te Regem Regum, Dominum Dominorum, & Deum Deorū in Sion. Amen.

ORATIO SEPTIMA PRO *amore Dei impetrando.*

O Summe, optime, omnipotentiſſime, miſericordiſſime, iuſtiſſime, fortiſſime, incomprehēſibilis Deus, Do- *Ex appēdice prima.*

mine mi: tu qui es omni melle dulcior, omni lacte candidior, omni luce clarior, omnibus margaritis pretiosior, infinita sunt quæ me in amorem tui rapiunt. Tu enim excelsior es cælo, profundior inferno: tua mensura longior terra & latior mari, vt inquit Propheta tuus. (Iob 11.) Quis te perfectior? quis te melior? quis te pulchrior? quis te benignior? quis nobilior? quis potentior? quis sapientior? quis ditior? Omnia hæc in te sunt Domine, & propter singula meritò diligendus es, cùm summum bonum sis.

Cęterùm cùm omne quidẽ bonum amabile sit per se, magis tamen vnusquisque diligit bonum proprium. Diligam igitur te Domine Deus meus, non tantùm quia summum bonum es: sed & quia bonum meũ es. Cùm enim considero, & mecum perpendo, quot titulis ac modis meus factus es, liquefiunt interiora mea, & clamo cum sponsa, (Cant.2.) Dilectus meus mihi, & ego illi.

Tu enim Domine creator meus es, tu sanctificator & glorificator meus es: tu mihi dedisti esse naturæ, dedisti esse gratiæ, dabis & esse gloriæ. Tu meus es adiutor, meus gubernator, defensor, tutor, & custos: tu denique Deus meus, Dominus meus: tu salus, tu spes, tu gloria, tu omne bonum meum es.

Et quidem hæc omnia mihi es, quatenus Deus, quatenus Creator & con-

ſeruator es omnium. Quatenus autem homo, multi ſunt alij tituli, officia alia, & alia vincula, quibus ego tibi, & tu mihi deuinctus es: propter quæ & ego te amore (ſi fieri poſſet) infinito diligere meritò deberem. Tu namque meus es reſtaurator: reſtituiſti enim in integrum naturam humanam, quæ per peccatum erat debilitata. Tu meus es liberator: tua namque captiuitate me à tyrannide peccati, mortis, inferni & Dæmonis, hoſtis mei capitalis vindicaſti. Tu meus es redemptor: pretio namque & incomparabili ſanguinis tui theſauro profuſo, me à ſeruitute, in quam per peccatum eram prolapſus, redemiſti.

Tu meus es Rex: regis namque me tuo ſpiritu; pro me pugnaſti, & me ex hoſtium manibus eruiſti. Tu meus es Sacerdos: oraſti enim, & oras indeſinenter, tanquam æternus Sacerdos, pro me, in conſpectu Patris tui cæleſtis. Tu meum es ſacrificium: obtuliſti namque temetipſum in ara crucis, vt mea crimina clemẽs expiares. Tu meus es aduocatus: cùm enim Diabolus me accuſat, & libellum, in quo peccata mea deſcripta ſunt, Patri tuo porrigit, tu cauſæ meæ patrocinaris: tu deponis de tuo, & ſupples omne id, quod meæ deeſt iuſtitiæ. Tu meus es mediator: es enim Deus ſimul & homo, amicus hominum & verus homo, amicus etiam potens Dei, & verus Dei filius: atque ita te medium inter

me & Deum interponis.

Tu meus es pastor: pascis enim & regis animam meam, tanquam ouem gregis tui. Tu meus es cibus: tu enim ipse es quo nutrior in illo diuinissimo altaris Sacramento. Tu meus es Pater, & pater futuri seculi: regenerasti me namque grauissimis doloribus in arbore crucis, & nouam essentiam mihi per Spiritum sanctum dedisti. Tu caput meum es, & quidem vniuersale caput Ecclesiæ: à te namque, tanquam à capite vero desluit in illam, omniaque illius membra virtus, vita & sensus spiritualis. Tu verus medicus meus es: sanguine namque tuo vulnera & liuores animæ meæ sanasti.

Tu meus es magister: doctrinæ namque tuæ luce viam ad cælestem patriam mihi demonstrasti. Tu meum es exemplum: non enim verbis tātùm, sed multo magis operibus & vitæ suæ sanctissimis exemplis in hanc me viam deduxisti. Tu mea es fortitudo & gaudium: non enim est tribulatio vel dolor tam ingēs, quem memoria tuarum, quas pro me sustinuisti, passionum non faciat mihi dulcem & tolerabilem. Tu meus es honor & gloria: factus namque homo pro me, fecisti me fratrem tuum, tuæque naturæ consortem.

Tu denique meus Saluator es, & quidem talis Saluator, qui vbique, semper, & in omnibus mihi sufficis: perfectissimè namque omne id quod ad salutem

meam requirebatur, in medio terrę operatus es. Ignorantiam meam tua doctrina illuminasti, debilitatem meam tuis exemplis corroborasti, teporem meum tuis beneficijs inflammasti, animā meam tuis mysterijs erudijsti, paupertatem meam tuis meritis ditasti, vulnera mea tuis Sacramentis curasti, tuis doloribus pro meis voluptatibus satisfecisti, & nūc in cælis ad dexteram patris tui sedens, pro me intercedis. Quid multis? Tu factus es mihi sapientia & iustitia & sanctificatio & redemptio: ac proinde bonum omne. 1 Cor. 1.

Quæ igitur impudentia non amare Dominum, qui hæc omnia mihi factus est, & cui ratione tot titulorum ac beneficiorum deuinctus sum? Si homines eodem amore, quo diligunt semetipsos, etiam diligant omnia quæ sua sunt; cur ego non amabo te Domine, si te meum esse velim, idque tot officijs & beneficijs, tamque prægnantibus in rebus? Quòd si pro singulis horum beneficiorum tibi totum cor meum debeam, nec vnū hoc tantùm, sed plura si haberem; ecquid tibi debebo, si hæc omnia beneficia simul coniungamus? Quæ iniquitas igitur esset nolle dare cor vnum quod habeo, cui tot etiam alia merito debentur? Et si singula horum beneficiorum incētiua sint atque stimuli dilectionis, quinetiam & sagittæ corda hominum transfigentes, quomodo ego inter tot incendia dilecti-

one non ardeo? quî fit vt totus frigidus permaneam? inter tot tela quomodo non vulneror? quomodo quasi carens sensu in duritie cordis mei perseuero?

Tibi Domine de stupore atque insensibilitate cordis mei conqueror; tibi infidelitatem illius confiteor: tu enim pluens in illud amoris causas innumerabiles, nihil ab illo refers dignum tot obligationibus. O cor ipsis feris ferius, saxo insensibilius, durius adamãte, quod tot ictibus non mollitur.

Te itaque, ô speciose præ filijs hominum, te oro, da mihi vt desiderem te, amem te quantum volo, & quantum debeo. Immensus es, & sine mensura debes amari, præsertim à nobis, quos sic amasti, sic saluasti, pro quibus tanta & talia fecisti. O amor qui semper ardes & nunquam extingueris, dulcis Christe, bone Iesu, charitas Deus meus; accende me totum igne tuo, amore tui, dulcedine tua, dilectione tui, desiderio tui, charitate tua, iocũditate & exultatione tua, quę sancta est & bona, quæ casta est & mũda, vt totus amoris tui dulcedine plenus, totus flãma charitatis tuę incensus, diligã te Dominum meũ dulcissimum ex toto corde meo, ex tota anima mea, ex totis viribus meis, ex tota intentione mea, & nihil in me sit, quod te non diligat. Si enim hęc omnia, & quidẽ tot nominibus ac titulis tua sint, quem diligã præter te?

Et quia diligere est bene velle huic,

quem diligimus, tuque Domine tot bonis abundes, vt plura tibi optare nõ possim, quàm habes; id vnicum volo, vt etiam cor meum habeas, & omnia mea tua sint, proque infinita gloria tua summas tibi gratias ago. Similiter & hoc volo, vt omnes creaturæ tibi seruiant, te honorent, laudent, glorificent, atque vniuersa terra tuis laudibus repleatur. Hoc sit semper meum desiderium, hoc cibus, hoc deliciæ meæ, tibi omni tempore vt benedicam, & laus tua in ore meo sit semper. Sed quia non est laus pulchra in ore peccatoris, oro Sanctos & Sanctas omnes, omnesque cælestis aulæ Spiritus, vt semper te laudent: eorũ enim est laudatio.

Benedicite igitur omnia opera Domini Domino, laudate & superexaltate eum in secula. Angeli & Archangeli benedicite Domino, laudate & superexaltate eum in secula. Virtutes & Dominationes benedicite Domino, laudate & superexaltate eum in secula. Principatus & Potestates benedicite Domino, laudate &c. Beati Throni, in quibus sedet atque iudicat Dominus, benedicite Domino, laudate &c. Cherubin & Seraphin, qui amore Creatoris vestri toti igniti exardescitis, benedicite Domino, laudate &c. Apostoli & Euangelistæ fundatores Ecclesiæ Christianæ benedicite Domino, laudate &c. Gloriosi exercitus Martyrum benedicite Domino, laudate &c. Virgines inclytæ & continen-

tes omnes benedicite Domino, laudate & superexaltate eum in secula. Benedictus es Domine patrum nostrorum, & benedictum nomen glorię tuæ, sanctum & laudabile, & superexaltatū in omnibus seculis. Amen.

CAPVT OCTAVVM, VARIAS AD SANCTISSIMAM TRINITATEM ORATIONES continens.

CONFESSIO FIDEI DE S. *Triade*.

August. in libro de Speculo.



Onfiteor te Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, in personis trinum, in substantia vnum: verum Deum, omnipotentem, visibilium & inuisibilium conditorem, non corpus, aut in corpore positum, neque ex diuersis speciebus admixtum, aut membrorum compaginibus effigiatum: sed vnius simplicis & incorporeæ naturæ: te quidem verum patrem, summæ bonitatis & totius Deitatis principium, incircunscriptæ & ingenitæ Maiestatis Deum, ex nullo ducentem initium, sed omnibus initium dantem.

Credo & confiteor nō corporali progenie, nec extrinsecus, non necessitate, neque voluntate, sed natura filium generantem. Confiteor & verū te filium,

ex patre ſine initio ineffabiliter natum, verum Deum, vnigenitum, per quem omnia facta ſunt: & verum Patris Verbum, non factum, non creatum, non adoptiuum: ſed genitum, & vnius cum Patre ſubſtantiæ: atque ita per omnia æqualem Deo patri, vt nec tempore, nec gradu, nec poteſtate poſſis eſſe inferior. Tantumque te eſſe confiteor, qui genitus es, quantus & ipſe, qui te genuit. Non autem quia dico genitũ à patre filium, diuinæ & ineffabili generationi aliquod tempus adſcribo, ſed nec Patrẽ aliquando cœpiſſe, nec te eius filium. Quia ſemper fuit pater, nunquam igitur non fuiſti filius. Non enim aliter confiteri poſſumus æternum Patrem, niſi confiteamur te coęternum filium. Ex filio namque pater dicitur, & quia ſemper pater fuit, ſemper habuiſſe filium dubium non eſt,

Te quoque credo Spiritum ſanctum verum Deum, nõ factum, non creatum, nec genitum, neque ingenitum: ſed ex patre & filio inenarrabiliter procedentem, & in patre, ſimulque filio ſubſtantialiter permanẽtem. Sic igitur ab vtroque procedis, vt inſeparabiliter in vtroque permaneas. atque ita Deo patri & filio per omnia æqualem, coæternum, conſubſtantialem: vt neque poteſtate, neque volũtate, neque æternitate, neque ſubſtantia differri poſſis ab eis, neque præcidi à quibus procedis.

Igitur

Igitur æternum Patrem sine natiuitate, æternum Filium cum natiuitate, ęternum Spiritum sanctum cum processione sine natiuitate: totum patrem in filio & Spiritu sancto: totum filium in patre & Spiritu sancto: totum Spiritum sanctum in patre & filio permanentem, Patrem filium & Spiritum sanctũ vnum Deum, omnipotentem, vna Maiestate, vna æternitate, ex tunc & nunc, semper & vbique regnantem corde credo, ore confiteor, & mente diligo.

PRIMA ORATIO AD SAN-*ctißimam Trinitatem, de magnitudine Maiestatis eius.*

Ex lib. 5 Memorialis vitæ Christianæ Granatensis.

DOmine Deus, expers principij, immortalis, incomprehensibilis, incircunscripte, incorporee, indefinite, imperuestigabilis, inuisibilis, immutabilis: vbique præsens, sed latens, vbique totus, sed immensus, qui sapientia tua nunquam satis laudanda immensum hunc mundum creasti, in ipsoque hominem collocasti, Sancta Trinitas, vnus Deus miserere mei.

Si Publicanus ille Euangelicus non ausus fuerit oculos suos ad cælum attollere, sed à longè stans pectus suum percusserit, dicens; Deus propitius esto mihi peccatori: Si peccatrix illa sancta timuerit in conspectum Domini venire, sed stãs retro secus pedes eius lachrymis ab oculis suis defluentibus peccatorum

Luc. 18.

Luc. 7.

suorum

ſuorum remiſſionem impetrauerit: Si ſanctus ille Patriarcha Abraham volens cum te Deo ſermonem miſcere, dicebat; Loquar ad Dominū meū, cùm ſim puluis & cinis. Genes. 18. Si illi omnes tam humiles, tuique reuerentes fuerūt, in conſpectum diuinæ Maieſtatis tuæ venientes, cùm tamē eſſent ſanctiſſimi; quid faciet pauper & miſerrimus peccator, qualis ego ſum? quid faciet puluis & cinis? quid faciet abyſſus omnium miſeriarum & peccatorum? Sed quia, mi Domine, non poſſum obtinere timorem illum illamque reuerentiam quæ tantæ Maieſtati debetur, niſi meos oculos in ea immotos figam, da mihi licentiam vt audeam oculos meos ad te tollere, nec ſplendor gloriæ tuæ aſpectus mei fragilitatē impediat. Video quidem te eſſe magnum illum Deum, qui omnem intellectus noſtri captum tranſcendit. Scio nullum intellectum creatum te poſſe comprehendere, & quamuis hoc ita ſit, non poſſum tamen facere quidquam vtilius, quàm vt oculos in te figam meos.

Igitur, ô Summe, omnipotentiſſime, miſericordiſſime, iuſtiſſime, pulcherrime, fortiſſime, ſtabiliſſime, ſimpliciſſime, perfectiſſime, incomprehenſibilis, ſecretiſſime, & tamen omnibus præſens, inuiſibilis & tamen videns omnia; immutabilis omnia mutans & renouans, quem ſpatia non dilatant, nec anguſtiæ coarctant, nec varietas mutat, nec corru

ptio perdit, nec tristia conturbant, nec læta mouent in sua essentia: cui nec obliuio tollit, nec memoria quicquam addit, nec præterita prætererunt, nec futura succedent: cui nihil dedit principium, nec tempus augmentum, nec finem quicquam daturum est: viuis enim & regnas in æternum. Tu es ille qui possides omnia à termino vsque ad terminū, & qui cuncta disponis suauiter. Tu es ille, qui creasti omnia sine vlla necessitate; & conseruas omnia sine labore; & tegis omnia sine molestia; & moues omnia ipse immobilis. Tu totus es oculus, totus pes, totus manus; tu enim vides, sustines, & operaris omnia. Tu in omnibus es, nec tamen cōclusus; tu extra omnia, nec tamen disiunctus; tu sub omnibus, nec tamen subiectus; tu super omnia, nec tamen eleuatus. Tu es summus & verus Deus, summa & vera vita, à qua & per quam vitam habent & viuunt omnia. Tu Domine es ipsa bonitas & pulchritudo, à qua, & per quam pulchrum & bonum est omne, quod pulchrum & bonum est. Tu es ille, qui iubes nos quærere, & das inuenire; iubes pulsare, & aperis, quando te inuocamus. Tu es ille, à quo recedere cadere est; & cui appropinquare est resurgere, & in quo stare est in æternum durare. Tu es ille quem nemo deserit nisi insipiens, nemo quærit nisi vocatus, nemo inuenit nisi purgatus. Tu es ille quem cognosce-

re est

re est viuere; cui seruire regnare est; quē laudare salus est, & tu ipse gaudium es laudantium te. Quid ego itaque, Rex mi & Saluator mi, quid ego dicam? ego inquam miser vermiculus quid dicam de tanta laudum magnitudine? Dicam id quod Prophetæ tui Spiritus numine afflati dixerunt; Quis mensus est pugillo aquas, & cælos palmo ponderauit? Quis appendit tribus digitis molem terræ, & librauit in pondere montes, & colles in statera? Quis adiuuit Spiritū Domini, aut quis consiliarius eius fuit, & ostendit illi? Cum quo iniјt consilium, & instruxit eū, & docuit eum semitam iustitiæ, & erudiuit eum scientiam, & viam prudentiæ ostendit illi: Ecce, Gentes quasi stilla situlæ, & quasi momentum stateræ reputatæ sunt: Ecce, Insulæ quasi puluis exiguus. Et ligna Libani nō sufficient ad succendendum, & animalia eius non sufficient ad holocaustum. Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, & quasi nihilum & inane reputatæ sunt ei. Etenim si in præsentia Solis omnes stellæ cæli non lucent, imò sunt tanquam non essent, cùm tamen & ille, & hæ creaturæ sint; quid erunt omnia creata in conspectu tuo, qui Creator es totius Vniuersi?

Esa. 40. Sap. 11.

Igitur, ô Domine, te principaliter adoro cum humilitate profunda, & reuerentia tibi debita, cum illa adoratione latriæ, quæ tibi soli debetur, nulli autem

creaturæ: quo cultu adorant te Dominationes cælestes & omnes mundi creaturæ: quarum licet multæ non cognoscant te, non possunt tamen non adorare te illarum singulæ in suo genere, & suo modo diuinitatis tuæ sceptro homagium offerre, tuamque magnitudinem cognoscere: Tu enim solus es Deus Deorum, tu solus Rex regum, tu solus Dominus dominantium, & causarum causa. Tu es A & Ω, Principium & Finis omniũ rerum. Tu principiũ es sine principio, & sine fine finis. Tu solus es ille qui es: omnia namque alia, quantumuis præstantia, habent esse ab alio mutuatum: esse autem tuum est summum, perfectum, vniuersale, & quod à nullo alio dependet. Ideoque meritò diceris esse, qui es: quia quidquid creatum est, non habet esse, si tecum conferatur.

Apoc.22.

Quare, Domine, agnoscens omnia hæc magna & mirabilia, prostratus ante pedes diuinæ tuæ præsentiæ, cum omni qua possum humilitate te adoro, quomodo adorant te beati illi Spiritus, qui procidentes ante sedentem in throno Maiestatis tuæ, & mittentes coronas suas ante pedes tuos, adorant te, & confitentur omnia quæ habent, à te procedente. Sic & ego Domine, qui sum omnium creaturarum vilissimus, adoro te, & millies te veneror, confitens, quia tu es meus verus Deus & Dominus, quodque omne id quod sum, & in me inuenio, vt

Apoc.3.

esse,

esse, viuere, & spirare, totum tuum est; atque ideo omnes creaturas inuoco, vt simul mecum te laudent, te adorent, te glorificent, diuino illo cantico Prophetæ, dicentis; Venite, exultemus Domino, iubilemus Deo salutari nostro. Præoccupemus faciem eius in confessione, & in psalmis iubilemus ei. Quoniã Deus magnus Dominus, & Rex magnus super omnes Deos. Quia in manu eius sunt omnes fines terræ: & altitudines montium ipsius sunt. Quoniam ipsius est mare, & ipse fecit illud: & siccã manus eius formauerunt. Venite, adoremus, & procidamus, & ploremus ante Dominum qui fecit nos: quia ipse est Dominus Deus noster, & nos populus pascuæ eius, & oues manus eius. Psal. 94.

Quamobrem, Domine mi, cùm tu adeò dignus sis, qui adoreris & honoreris; da mihi gratiam, vt sine intermissione adorem te; non tantùm verbis & lingua; sed corde etiam, opere, & tota vita mea. Tu qui viuis & regnas per omnia secula seculorum. Amen.

ORATIO SECVNDA AD *sanctißimam Trinitatem, de magnitudine diuinæ Maiestatis.*

OMnipotens æterne Deus, trinus in personis, vnus in substãtia, æquum omnino & rationi planè consentaneum est, vt totam vitam meam exercitio pœnitentiæ & timoris impendã, cùm tam Idem ibidem.

iustas habeam & plangendi & metuendi causas. Quemadmodũ igitur magnitudo gloriæ tuæ me impellit ad colendum & adorandum te: sic etiam iubet

Psal.64. vt laudem & glorificem te. Te enim decet hymnus in Sion, & tibi reddetur votum in Ierusalem; eo quòd pelagus es omnium perfectionum, & mare sapientię, potentiæque, pulchritudinis, magnitudinis, diuitiarum, suauitatis, maiestatisque abyssus; in qua sunt omnes perfectiones, & pulchritudines omniũ creaturarum, quæ in cælo & in terra sunt, & singulæ perfectiones istæ in summo gradu, & fastigio in te inueniuntur. Tibi collata omnis pulchritudo deformitas est; omnes diuitiæ paupertas, omnis fortitudo debilitas, omnis sapiẽtia ignorantia, omnis dulcedo amaritudo, & vt paucis multa concludam, omnia quæ in cælo & in terra sunt, multò minùs in tuo conspectu fulgent, quàm exigua candela in splendore Solis.

Tu in omni re perfectus es, sine aliqua deformitate, magnus sine quantitate, bonus sine qualitate, fortis sine infirmitate, verus sine falsitate, sine loco vbique præsens, sine diuisione in omni loco totus. In magnitudine es infinitus, in virtute omnipotens, in bonitate summus, in sapientia inæstimabilis, in consilijs terribilis, in iudicijs iustus, in cogitationibus secretus, in verbis verus, in operibus sanctus, in misericordia copio-

ſus; erga peccatores patiens, erga pœnitentes pius.

Sed quid potiſſimùm de ſapientia tua dicam, niſi id quod olim dixit Propheta? Domine intellexiſti cogitationes meas de longè: ſemitam meam & funiculum meum inueſtigaſti. Et omnes vias meas præuidiſti: quia non eſt ſermo in lingua mea. Ecce Domine tu cognouiſti omnia nouiſſima & antiqua: tu formaſti me, & poſuiſti ſuper me manum tuam. Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me: confortata eſt, & non potero ad eam. Quò ibo à ſpiritu tuo? & quò à facie tua fugiam? Si aſcendero in cælum, tu illic es: ſi deſcendero in infernum, ades. Si ſumpſero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris: Etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua. Et dixi, Forſitan tenebræ conculcabũt me: & nox illuminatio mea in delicijs meis. Quia tenebræ non obſcurabuntur à te, & nox ſicut dies illuminabitur: ſicut tenebræ eius, ita & lumen eius. Oculi enim eius (inquit alius) ſuper vias hominum, & omnes greſſus eorum conſiderat. Non ſunt tenebræ, & non eſt vmbra mortis, vt abſcondantur ibi, qui operantur iniquitatem.

Pſal. 138.

Iob 34.

Sed quid dicam de magnitudine tuæ potentiæ? dicam quod olim dixit Propheta me docens: Deus autem rex noſter ante ſecula, operatus eſt ſalutem in medio terræ. Tu confirmaſti in virtute tua:

Pſal. 73.

contribulasti capita draconum in aquis. Tu confregisti capita draconis: dedisti eum escam populis Æthiopum. Tu dirupisti fontes & torrentes: tu siccasti fluuios Ethan. Tuus est dies, & tua est nox: tu fabricatus es auroram & Solem. Tu fecisti omnes terminos terræ: ęstatem & ver tu plasmasti ea. Et in alio loco dicit

Psal. 88. idem Propheta: Domine Deus virtutum, quis similis tibi? potēs es Domine, & veritas tua in circuitu tuo. Tu dominaris potestati maris: motum autem fluctuum eius tu mitigas. Tu humiliasti sicut vulneratum, superbum: in brachio virtutis tuæ dispersisti inimicos tuos. Tui sunt cæli, & tua est terra, orbem terræ & plenitudinem eius tu fundasti: aquilonem & mare tu creasti. Thabor & Hermon in nomine tuo exultabunt: tuum brachium cum potentia. Cognouit hanc tuam omnipotentiã B. Iobus, cùm

Iob 12. ait: Apud ipsum est sapientia & fortitudo, ipse habet consiliũ & intelligentiam. Si destruxerit, nemo est qui ædificet: si incluserit hominem, nullus est qui aperiat. Si continuerit aquas, omnia siccabuntur: & si emiserit eas, subuertet terram. Apud ipsum est fortitudo & sapientia: ipse nouit & decipientē, & eum qui decipitur. Adducit consiliarios in stultum finem, & iudices in stuporem. Baltheum regum dissoluit, & præcingit fune renes eorum. Ducit sacerdotes inglorios, & optimates supplantat, Com-

mutans labium veracium, & doctrinam senum auferens. Effundit despectionem super principes, & eos qui oppressi fuerant releuans. Qui reuelat profunda de tenebris, & producit in lucem vmbram mortis. Qui multiplicat gentes, & perdit eas, & submersas in integrum restituit.

Hæc, ô Domine, sunt testimonia tuæ magnitudinis: & quid de diuitijs tuæ gloriæ, deque vena tuę felicitatis dicam? Si peccaueris, inquit Scriptura, quid ei nocebis? & si multiplicatæ fuerint iniquitates tuæ, quid facies contra eũ? porrò si iustè egeris, quid donabis ei? aut quid de manu tua accipiet? Homini qui similis tui est nocebit impietas tua, & filium hominis iuuabit iustitia tua. Sed tu, Domine, talis es, & tam beatus, vt bonorum alterius non egeas: talem ego te confiteor, pro tali te laudo, & glorifico nomen sanctum tuum. Infunde lumen cordi meo, & da verba in ore meo, vt cor meum tuam magnitudinem semper cogitet, & laus tua in ore meo sit semper. Sed quia laus hęc nõ est pulchra in ore peccatoris, ideo rogo Angelos cęli omnes, omnesque mundi creaturas, vt te vnà mecum laudent, meamque suppleant inopiam, inuitans illas ad id, glorioso illo cũ cantico, quod cecinere pueri in medijs flãmis fornacis illius Babylonicæ, dicentes: Benedictus es Domine Deus patrum nostrorum, & laudabilis, & superexaltatus in secula. Et benedi-

Iob 35.

Dan. 3.

ctum nomen gloriæ tuæ, sanctũ & laudabile & superexaltatum in omnibus seculis. Benedictus es in throno regni tui, & superlaudabilis & superexaltatus in secula. Benedictus es qui intueris abyssos & sedes super Cherubin, & laudabilis & superexaltatus in secula. Benedictus es in firmamento cæli, & laudabilis & gloriosus per omnia secula seculorum. Amen.

ORATIO AD S. TRInitatem III.

Theologi alicuius doctissimi è Græco in Latinũ versa.

DEus Sancte Sanctorum, Deus omnipotẽs, Deus æterne, Deus fortis, Deus spirituũ, & omnis carnis, à cuius vultu tremit & cælũ & terra, cuiusque vultui cuncta obediunt elementa, in vnitate trinitas, & in trinitate vnitas, Pater, Filius, & Spiritus sanctus: essentia mihi esse præstans, vita me viuificans, lumen me illuminans, scientia me scire faciens, omni tamen essentia, vita & lumine, scientiaque superior: te adorant, te celebrant, omnes creaturæ. Et ego mea erga te fide adductus, hodie genua cordis mei flecto, sub tuæ Maiestatis pedes.

Gratias tibi ago, quòd me cùm nihil essem, non solùm finxisti, sed etiam ad imaginem tuam, hoc est, optimè finxisti; quòd mihi nihil promerito pietatem indideris: quòd arcanis Ecclesiæ tuæ Sacramentis sanctificaueris: quòd me

bonis tuis omnibus iam inde à puero educaueris. Atqui ô Conditor & cæli & terræ & maris, cùm tibi vsui esse non queam, cuiusnam gratia tuam in me beneficentiam ostendis? Quî fit vt me in tantum diligas? Nam tibi quid dedi, cuius causâ mihi referas gratias? At vbi erã antequam fierem, vt potuissem prior in te benignitatem ostendere? Verùm tuo beneficio & olim sum factus, & innumerabilibus donis ornatus. Tuum beneficium, & tua benignitas omnia hæc fecit. Ipse verò cùm pro horum vno gratias agere non sufficiam, quomodo pro tot millibus referre possem? Et quomodo tenebrę laudabunt lucem? quomodo vanitas veritatem? quomodo mortalis, cui est naturæ fragilitas, tuam immortalitatem? quomodo materia crassa eum, qui ab omni materiæ pondere est immunis? quomodo immundities puritatem? Quis verò collaudabit opera tua? quis tuas annunciabit laudes? Sed tu vt indulgentissimus Pater vota nostra suscipis, & liberorum tuorum gratiarum actiones qualescunque boni consulis.

Itaque dignum me fac Deus bone, vt tibi gratias agam, vt tuæ charitati perpetuò adhæream, vt tibi pro beneficijs & multis & magnis, quibus me honoratum fecisti, gratias agã, vt periculorum nomine, quibus me sæpe liberasti, gratias persoluã: pro omnibus denique tum iucundis, tum aduersis officium tibi re-

pendam. Quandoquidem omnia in bono iudicio fecisti ; quandoquidem tu Dominus existis animarũ & corporum nostrorum, vitæ & mortis, sanitatis & morbi, felicitatis & infelicitatis. Breuiter omnium rerum momẽta in tua sunt manu. Lætificas beneficia conferendo, contristas obiurgando, differs corrigendo, & consolaris nostram ignauiam ad te reuocando.

Gloria variæ tuæ potentiæ, Laus insatiabili tuo in genus humanum amori. Guberna & vitæ nostræ reliquum dux mitissimus & gubernator vigilantissimus. Eripe me Domine ab omnibus inimicis meis, visibilibus & inuisibilibus. Porrige benignam manum tuam, quæ nos ex profundis aquis frementium huius mundi fluctuũ extrahat, eripiatque, quæ nostræ nauigationis discrimina alleuet. Guberna ipse mitissime Rex magistratum, quem nobis credidisti. Tu enim gubernator, nos clauus : dirigat igitur clauum tua manus inuisibiliter, quò ipsa voluerit, quò ipsa decreuerit. Neque enim ego in arcu meo sperabo, neque gladius me seruabit ; sed dextera tua, sed brachium tuum, sed illuminatio clarissima vultus tui. Fiat optime Rex voluntas tua, vt in cælo & in terra, sic & in nobis. Quòd si fortè à tuæ voluntatis decretis declinauerimus, ne statim iram conceperis misericors Deus, quum non ignores, quàm fragile sit nostræ creaturę

figmentum. Quin ſi tu vis ſeruare me, potes; fac idem te velle. Niſi enim tua potentia me firmauerit, ego quod volo, non poſſum.

Itaque conſolare cor meum ineffabili tuæ benignitatis dulcedine; nimirum vt futuri gaudij æterni, quo in te fruemur, tenuis quidem ſenſus noſtram ſubleuet mentem. Poſtremò dignum me redde, qui poſt præſentem hanc vitam percurram ad te Dominum & Deum, vt tui regni diuitias liceat inſpicere, & claritatem tui vultus contemplari. Id quod ratum fac ſancte Rex Deus verè & conditor meus, per tuum & matris Deiparę, ac ſanctiſſimæ Virginis filium, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Amen.

I ORATIO AD PATREM, *qua iuſtificationem petimus.*

QVi in æternum dominaris, & ſolus potes omnia, Deus cęli & terrę moderator, ad cuius nutum omnes creaturæ contremiſcunt, & cæli cardines nutant. O Domine cæleſtis, perfectus opifex, & figule, ego miſer de limo effectus, vel potius limus ſordidus, cum timore & trepidatione ad thronum tuæ Maieſtatis venio; agnoſco & confiteor meam imbecillitatē, ſcio quòd nihil ſum, imò quòd abominatio mera & horror exiſtam coram tuo aſpectu, ſi tua gratia & miſericordia deſtituar. Sine te nihil boni cogito, ſine te nihil boni facio, ſine

Ioannes Faber.

te ſum reptile quoddam deperditum.

Non poſſum ſaluari ſine te, in tua manu eſt omnis mea ſalus: ago tibi gratias, ô Deus, vel propter hoc, quòd eam cognitionem mihi dederis, vt videam & agnoſcam me nihil eſſe, vel poſſe abſque te. Tu es figulus, ego limus; qualem me eſſe vis, talem potes effingere & formare: ſi beatum me reddis, oſtendis miſericordiam tuam & gratiam: ſi conijcis in perditionem, demonſtras iuſtitiam, & tuum exequeris iudicium, nec meum eſt contradicere, cur hoc, aut qua ratione facis? Etenim cui tu bene vis, miſereris. Hæc ego mecum reputo, ô Domine, & iudicia tua extimeſco.

Cùm igitur omnis mea incolumitas & ſalus ex te pendeat, & in manu tua atque poteſtate ſita ſit: cumque vniuerſo mundo maximè placabilem & miſericordem Deum te exhibueris, eumque te eſſe re declaraueris ipſa, per hoc quòd filium tuum chariſſimum Ieſum Chriſtum innocentem pro nobis noxijs mori, & noſtra peccata ſuo ſanguine in cruce voluiſti expiare: cùm denique docueris nos in omni noſtra perturbatione te inuocare, tuam gratiam & miſericordiam efflagitare, quòd daturus ſis nobis omnia, quę in nomine filij tui ſimus petituri, venio ad te limus vel maſſa lutea, ô clemens & cæleſtis figule, à te peto ſuppliciter, vt miſericordia tua vtaris, ex hac, licet indigna, materia facias vaſcu-

lium ad æternã gloriam. Digneris etiam ex mera tua gratia ad fidem veram, ad spem solidam, ad castum & sanctũ amorem voluntatem meam permouere, vt per hęc tua dona iustificatus integer, perfectus, bonus & sanctus, secundum tuum beneplacitum, in medio vitæ meæ, & in fine, tum in extremo die iudicij inueniar.

O mitis Pater, concede mihi veniam omnium peccatorum meorũ, per mortem filij tui amantissimi Iesu Christi. Fac vt tibi vni placeam, tibi gratus sim filius, & hæres: adauge in me clementer iustitiam qualemcunque diuinitus mihi datam, & concessam, vt in ea pergam viuere: auge in me fidem acceptã, confirma spem meam, accende & illustriorem redde in me tui amorem, vt auxilio tuo, tuæque gratiæ præsentia, & ex operatione tuæ sanctissimæ voluntatis vitam ęternam, quam tu nobis promisisti, impetrare queam, vt te laudem, tibique gratias agam in regno tuo per æterna secula. Amen.

II *Oratio ad Patrem.*

DOmine Deus noster, Deus pie, Deus bone, Deus omnipotens, Deus ineffabilis, & incircunscriptæ naturæ, Deus institutor omnium rerum, & Domini nostri Iesu Christi pater, qui eundem dilectum filium tuum Dominũ nostrum dulcissimum misisti de sinu tuo, ad pu- August. in Meditat. cap. 17.

blicum bonum noſtrũ, ſuſcipere vitam noſtram, vt nobis donaret ſuam, eſſetque perfectus Deus ex te patre, & perfectus homo ex matre: totus Deus, & totus homo; vnus idemque Chriſtus, æternus & tẽporalis, immortalis & mortalis, creator & creatus, fortis & infirmus, victor & victus, nutritor & nutritus, paſtor & ouis, temporaliter mortuus & tecum viuens in æternum, ſuis dilectoribus vitæ municipium promittens, ſuis diſcipulis dixit; Quodcunque
Ioan. 14. petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.

Per ipſum ſummum Sacerdotem, verum Pontificem & verum paſtorem, qui ſe tibi obtulit in ſacrificium, ponens animam ſuam pro grege ſuo, te rogo: per ipſum, qui ſedet ad dexteram tuam, & interpellat pro nobis, Redemptorem & Aduocatum noſtrum bonitati & pietati tuæ ſupplico, clementiſſime, amantiſſime & benigniſſime amator hominum Deus, vt des mihi cum eodem filio tuo & Spiritu ſancto te in omnibus benedicere, & glorificare, cum multa cordis contritione & lachrymarum fonte, cum multa reuerentia & tremore: quia quorum vna eſt ſubſtantia, vnum eſt & datum.

Sap. 9. Sed quoniam corpus quod corrumpitur aggrauat animam, excita quæſo torporem meũ tuis ſtimulis, & fac me ſtrenuè perſeuerare in præceptis & laudibus

tuis

tuis die ac nocte. Tribue vt cõcaleat cor meum intra me, & in meditatione mea exardeſcat ignis. Et quia ipſe vnicus tuus natus, in quo tibi complacuiſti, dixit; Nemo venit ad me, niſi pater, qui miſit me, traxerit eum: &, Nemo venit ad patrem niſi per me; Obſecro & ſuppliciter rogo, trahe me ſemper ad ipſum, vt ipſe me tandem perducat ad te illuc, vbi eſt in dextera tua ſedens: Vbi eſt ſempiterna vita, ſempiternè beata: vbi eſt amor perfectus & timor nullus: vbi eſt dies æternus & vnus omniũ ſpiritus, vbi ſumma eſt & certa ſecuritas, & ſecura tranquillitas, & tranquilla iucunditas, & iucunda felicitas, & felix æternitas, & ęterna beatitudo, & beata tui ſine fine viſio atque laudatio. Vbi tu cum illo, & ille tecum in communione ſancti Spiritûs æternaliter ac ſempiternaliter viuis & regnas Deus, per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

Pſal. 38. Ioan. 6. Ioan. 14.

III *Oratio ad Patrem, vt propter Filium noſtri miſereatur.*

PAter noſter qui es in cælis, ecce ego loquor ad te, cùm ſim puluis & cinis. Non ſum dignus vocari filius tuus, ſed obſecro te, delicta iuuẽtutis meę & ignorantias meas ne memineris. Ne ſecundum peccata mea facias mihi, neque ſecundum iniquitates meas retribuas mihi: ſed ſecundum multitudinẽ miſerationum tuarum dele iniquitatem meam.

Frãciſcus Iſella in ſua inſtitutiõe ad moriẽtes.

Obedientia filij tui dilectissimi omnem inobedientiam meam, qua procaciter tua præcepta contempsi, excuset. respice in filium obedientẽ, & inobedienti famulo ignosce :si me repellas, quis me suscipiet? recipe me quæso pro ista charitate, qua filius tuus me redemit.

Si hæc mea oratio multis nefandis criminibus maculata te ad iram prouocet, purissima caro filij tui, amore mei tam crudeliter flagris lacerata, te moueat ad misericordiã: humilitas eius meam tegat superbiã, labores eius sarciant meam negligentiam, ieiunium eius abstergat meam crapulam & intemperantiam. liberalitas eius meam auaritiam, patientia eius meam iracundiam, puritas eius meam immunditiem, charitas eius meam deleat inuidiam, & iustitia eius pro mea satisfaciat iniquitate.

Quid mali facere potui, ô Pater cælestis, quod dilectus tuus filius suo sanguine non sustulit, & abluit? Intuere quęso sancta eius vulnera roseo perfusa sanguine, & putrida peccatorum meorum vulnera tibi sint abscõdita. Fateor debitum meum est magnum, sed infinitus est thesaurus, quem tuus nobis filius, Redemptor meus, suo sanguine comparauit, cum quo, & cum Spiritu sancto viuis & regnas in secula seculorum. Amen.

AD FILIVM ORATIO I.

Hominis cuiusdam docti & pij.

GEneris humani Conditor ac Redemptor Iesu Christe, qui dixisti; Ego sum via, veritas, & vita: Via doctrina, præceptis, & exemplis: veritas in promissis; vita in præmio: oro te per ineffabilem tuam charitatem, qua te totum seruandis nobis impendere dignatus es, ne patiaris me vnquam aberrare abs te, qui via es; nec vnquã diffidere promissis tuis, qui veritas es, & pręstas quicquid polliceris; nec in vlla alia re conquiescere, quoniã vita es æterna, vltra quam nihil est quod desideretur, neque in cælo, neque in terra.

Per te didicimus certum & expeditum iter ad verã salutem, ne diutius in huius vitę labyrinthis aberraremus. Tu nos exactè docuisti quid credere, quid agere, quid sperare, in quo conquiescere debeamus. Per te didicimus, quàm ex primo illo Adam fuerimus infeliciter nati; per te didicimus, non esse spem salutis, nisi per fidem in te.

Te vnicam esse lucem, quæ prælucès omnibus per huius seculi desertum, perque mentis nostræ noctem, à tenebris Ægyptiorum proficiscentibus ad illam beatam terram, quam promisisti mitibus, tuamque mãsuetudinem imitantibus. In nobis enim nihil erat præter profundam caliginem, qui neque calamitatem nostram videre poteramus, neque vnde mali remediũ petere debebamus. Tu dignatus in terram descendere, di-

gnatus nostram naturam assumere, vt doctrina tua discuteres nostræ ignorantiæ caliginem; præceptis tuis dirigere pedes nostros in viam pacis; vitæ tuę exemplis strauisti nobis viam ad immortalitatem, ac tuis calcatam vestigijs, è salebrosa & aspera commodam leuemque nobis reddidisti. Ita nobis via factus es, quæ nescit errorem, in qua ne lassesceremus, tua benignitas nos magnis, certisque promissis fulcire dignata est. Quis enim posset delassari, reputans per tua vestigia ingredienti paratam esse vitæ cælestis hæreditatem? Ergo dum in hoc itinere sumus, spem certā baculi loco nobis esse voluisti, qua sustentemur.

Nec his contenta fuit tua bonitas, sed agnoscens nostræ carnis imbecillitatem, interim solatio tui Spiritûs subinde reficis vires nostras, quo ad te curramus alacriter. Atque vt tu nobis factus via, propellis omnem errorem; ita factus veritas, tollis omnem diffidentiam.

Denique factus nobis vita: das hîc peccato mortuos viuere per Spiritum tuum, omnia viuificantem, donec in resurrectione abolita prorsus omni mortalitate semper tecum, & in te viuemus: cùm tu eris nobis omnia in omnibus. Vita enim æterna est nosse Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum esse vnum verum Deum.

Proinde obsecro clementissime Ser-

uator,

uator, vt adaugeas famulo tuo fidem, ne vacillem vnquam in cælesti tua doctrina; adauge obedientiam, ne deflectam vnquam à præceptis tuis; adauge constãtiam, vt tuis ingrediens vestigijs, nec Satanæ blandimentis illiciar, nec terriculamentis deijciar: sed in te, qui solus es vera via, perseuerem, vsque ad mortem. Adauge mihi fiduciam, vt tuis fretus promissis, nunquam segnescam in studio pietatis; sed à tergo relictorum oblitus, semper ad perfectiora contendam.

Adauge gratiam in me tuam, vt indies magis ac magis in meipso mortuus, viuam, agarque Spiritu tuo; nihil metuens præter te, quo nihil est amabilius: in nullo glorians, præterquam in te, qui vera es gloria Sanctorum omnium: nihil expetens, præter te, quo nihil est melius; nihil desiderans, præter te, qui plena, perfectaque es felicitas cum Patre & Spiritu sancto per omnia secula. Amen.

Ad *Filium Oratio* II.

NE memineris dulcissime Iesu tuæ iustitiæ aduersus peccatorem tuum, sed esto memor benignitatis tuæ aduersus creaturam tuam. Ne memineris iræ aduersus reum, sed memor esto miserationis erga miserum. Obliuiscere superbi qui te ad iram prouocauit, respice nunc miserum te inuocantem. Quid

August. lib. Meditat. cap. 39

enim est Iesus, nisi Saluator? Ergo Domine Iesu per temetipsum exurge in adiutorium mihi, & dic animæ meæ; Salus tua ego sum. Multũ Domine in tua bonitate confido, multum spero, quoniam tu ipse docuisti & iussisti nos petere, quærere & pulsare; & ideo tua oratione admonitus, peto, quæro, pulso. Sed tu, ô clementissime, qui iubes petere, fac vt accipiam: consulis quærere, da vt inueniam: doces pulsare, aperi mihi pulsanti, & ianuam tuæ gratiæ mihi reclude.

Confirma me infirmum, repara me perditum, suscita me mortuũ, & omnes sensus meos, cogitationes & actus dirigere & gubernare digneris in beneplacito tuo, vt de cetero tibi seruiam, tibi viuam, tibique me totum tradam. Scio Domine mi, quia ex hoc quòd me fecisti, debeo tibi meipsum: & quia me redemisti, & pro me homo factus es, deberem tibi plus quàm me, si haberem. Ecce nec plus habeo, nec quod habeo dare tibi possum, sine te: sed accipe me tu, & trahe me ad te, vt tuus sim in imitatione, & dilectione, sicut tuus sum conditione & creatione. Qui viuis & regnas in secula. Amen.

Ad Filium Oratio III.

O Oriens, ô splendor lucis æterne, ô speculum diuinæ Maiestatis, qui cùm in forma Dei esses, non rapinam arbitratus es, æqualem esse te Deo: propter

nimiam tamen charitatem tuã in nos, formam ſerui aſſumpſiſti, & habitu inuentus es vt homo, vt nos homines perpetuæ damnationi obnoxios, à poteſtate Dæmonis erueres, atque hæreditatis æternæ participes nos faceres. Cuius humilitatis & charitatis tuæ excellentiam quoties mecum perpendo, obſtupefactus exclamo; O Domine quid eſt homo, quòd memor es eius? aut filius hominis, quia viſitas eum? Viſitas inquam eum in viſceribus miſericordiæ tuæ; non enim ſuperficiem miſericordię tuæ exhibuiſti nobis, ſed intima quæque: totam nobis illam effundens, nihil tibi reſeruans, quod nobis impartitus non es, omnia factus in omnibus. Pſal. 8.

Si vulnera mea curare cupiam, medicus es: ſi febribus æſtuem, fons es: ſi grauer iniquitate, iuſtitia es: ſi auxilio indigeam, virtus es: ſi mortem timeam meam, vita es: ſi cælum deſiderem, via es: ſi tenebras fugiam, lux es: ſi cibum quæram, alimentum es. Quid multis? ſicut per peccatum Adæ omne malum in nos deriuatum eſt, ſic per iuſtitiam tuam omne bonum in nos effuſum eſt, neque enim Adam plus potuit in malo, quàm tu in bono. Hæc fides mea eſt, hoc certiſſimè credo. Quænam enim iuſtitia eſt, vt plus noceat humana atque terrena, quàm valeat diuina atque cæleſtis generatio?

Tu es Verbum vitam præbens vt opi-

fex; tu magifter bene viuere docens; tu Deus femper viuere fuppeditans. Tu antiquæ legis populo ignobile vinum propinafti, nobis optimum feruafti: illos vili hircorum & vitulorũ cruore mundafti, nos in extremo feculo pretiofo tuo fanguine expiafti: illos in terram repromiffionis, anguftis limitibus terminatam, intromififti: nobis amplos paradifi finus pandis; tu inæftimabile præparas regnum; tu introducis in cælum.

Pro tot, tantisque beneficijs quid retribuam tibi Domine? etiam fi per fingulos dies morerer pro te, qui me ita dilexifti, nequaquam meritũ exoluerem: imò ne minimam meriti partem reponerem. Sed fcio quid à me requiras Domine: Vis cum generofitate pretij confentire dignitatem redempti: tale conuerfationis noftræ expectas meritum, quod fanguinis tui poffit valere cõmercium. Quod cùm fine tua gratia reddere non poffim, fupplex oro te Domine, fer opem, vt cuftodiam folicitè quod tanti fudoris cõmercio redemifti: da ne quod tu eluifti ego iterum polluam; vulnera quæ tu fanafti, ego iterum fcindam: & quod femel in me diluit fanguis tuus, rurfum excoquere neceffe habeat ignis inferni.

Regnum peccati in me deftrue, non folùm verba & opera mala exclude, fed prauas quoque cogitationes, noxia confilia, affectus furiofos, & fœdum huius

carnis cursum cordi meo euelle. Membra mea ad iustitiā in sanctificationem obsequio tuo adhibeantur; in omnibus tibi placitis operibus exuberanter crescā, nec posthac viuā in carne, sed ab omnibus illius maculis & contagione abhorream, adeoque in regnum tuum pretioso sanguine tuo inauguratus, peccatorum meorum perfectam remissionem indies pleniùs consequar.

AD SPIRITVM SANctum Oratio I.

SAncte Spiritus Paraclete, qui in die Pentecostes super Apostolos descendisti, charitate, gratia & sapientia eorum implens pectora: oro te per illam ineffabilem misericordiā & liberalitatem, vt digneris sinum animæ meę implere tua gratia, ineffabilique amoris tui dulcedine interiora mea viscera perfundere. Veni sancte Spiritus, & emitte cęlitus lucis tuæ radium. Granatēs. lib. 5 Memorialis.

Veni pater pauperū, veni dator munerum, veni lumen cordium. Veni consolator optime, dulcis hospes animæ, dulce refrigeriū. Veni medice languentium, veni purgator criminū, veni fortitudo fragilium, veni peccantium remedium. Veni doctor humilium, veni destructor superborum, veni omnium virtutum singulare decus, morientiū vnica salus. Veni Deus meus, & adorna tibi thalamum, in quo dignè te cum omni-

bus diuitijs & misericordijs tuis suscipiam. Inebria me dono sapientiæ, illumina me dono intellectûs, rege me dono consilij, confirma me dono fortitudinis, instrue me dono scientiæ, vulnera me dono pietatis, & transfige cor meum dono sancti tui timoris.

O dulcissime amator mundorũ cordium, vre & inflamma omnia mea viscera igne amoris tui suauissimo: vt ignita in te rapiantur, & in te ferantur, qui es centrum & omnium bonorũ meorum finis vltimus. O dulcissime sanctarum animarum amator, cùm non ignores me nihil ex me, neque per me posse, extende piam manum tuam super me, & fac vt exeam à me, & perueniam ad te. Mortifica, extingue & dissolue in me, quidquid tibi displicet, vt in omnibus me tuę volũtati facias conformem: vt vita mea in posterum perfectum sit coram te sacrificium, seu potiùs holocaustum, quod tui amoris igne totum comburatur.

O quis mihi tribuet, vt ad summum illud bonum tandem perueniam? Respice Domine, respice & vide quomodo hæc paupercula creatura ad te nocte ac die suspirat, anima mea ad te sitit Deum suum. Quando veniam & apparebo ante faciem gratiæ tuæ? quando intrabo in locum admirabilem tabernaculi tui, vt perueniam ad domũ Dei mei? quando me adimplebis lætitia vultus tui? quan-

do præſentia tuæ gloriæ ſatiabor? quando per te liberabor ab omni tentatione, & mortalitatis huius fragilitatem ſuperabo? O fons æterni ſplendoris, reduc me ad abyſſum æterni boni, à quo creatus ſum; vt ibi cognoſcam te ſicut & cognitus ſum, teque diligam ſicut à te dilectus ſum, te videam, teque fruar in ſocietate omnium electorum, quemadmodum & tu me vidiſti ab æterno. Amen.

Ad Spiritum ſanctum Oratio II.

O Diuini amor numinis, patris omnipotentis, proliſque beatiſſimæ ſancta communicatio, paraclete Spiritus, mœrẽtium conſolator clementiſſime: tu cordis mei penetralibus potenti illabere virtute, tenebroſa pectoris neglecti latibula coruſci tui luminis fulgore irradia & lætifica: tui roris abundãtia longo ariditatis marcentia ſqualore viſitando fœcunda, tange & ſaucia cor meum amoris tui iaculo; torpentes medullas flamma tua ſalutari penetrans; ſuccende intima mentis meæ, ſancto feruoris tui igne illuſtra. Pota me torrente voluptatis tuæ, vt mũdanam dulcedinem, quę venenata eſt, deguſtare ampliùs non libeat. Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu. August. Meditat. cap. 9.

O alme Spiritus, ô præclare artifex, in quocunque inhabitas, in eo patris pariter & filij condis domicilium. Veni er-

go benignissime dolentis animæ consolator, in omni tribulatione me protege. Veni mundator scelerum, curator vulnerum: veni fortitudo fragilium, & doctor humilium. Veni orphanorum pius pater, viduarum dulcis iudex; veni spes pauperum, refocillator deficientium: Veni pulcherrimū sydus nauigantium, & portus naufragorum: Veni omnium viuentium singulare decus, moriētium vnica salus veni sanctissime Spiritus, veni & misere mei; apta & accommoda me tibi, & cōdescende propitius mihi, vt mea tuæ magnitudini exiguitas, roborique tuo mea imbecillitas, secundum multitudinem tuarum complaceat miserationum, per Iesum Christum Seruatorem nostrum. Amen.

Ad Spiritum sanctum Oratio III.

Cāpanus Episcop. Interānienſis oratio. in die Pētecoſt.

SAnctissime Dei amor, quas tibi agemus mortales gratias? Tu nos quanti sumus effecisti omnes; quidquid habemus rerum, aut natura produxit, aut productura sit, tu contulisti nobis: fecisti cælum, quo nos ornares; fecisti terram, qua nutrires. Omnia quæ gignuntur & crescunt, non quia tu egebas, sed ad nostram vtilitatem produxisti: finxisti nos ad tuam imaginem, & teipsum inclusisti pectoribus nostris, cùm vitæ spiraculum inspirasti. Conflasti vitam nostram, conciliasti nos nobis: consilium, rationem, pietatem præbuisti. Deceptos ab hoste vt redimeres, & tuam exi-

miam charitatē oſtenderes, filio Dei proprio non pepercisti. Veniſti ad nos, ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis; vitæ ſemitam linguis igneis demonſtraſti, & ad inſtitutionem noſtræ ſalutis è piſcatore ianitorem cæli, è numulario Euangeliſtam, è recalcitratore acerbo defenſorem acerrimum, & vas electionis effeciſti. Dediſti robur, quo pro te omnia paterentur; dediſti ſcientiam, quò te omnes gentes confiterentur.

Tu ergo Spiritus Domini, qui repleſti orbem terrarum, fac vt te quæramus, qui nunquam quæri te pateris, quin inueniaris. Refluat amor noſter ad fontem tuum vnde defluxit: amemus te, à quo tātum ſumus amati. Templum tuum in nobis peccatoribus conſecra, carnē noſtram tua inhabitatione innoua, & effice, vt in omni ſapientia & prudentia vnctione & gratia creſcamus. Excita corda noſtra tua virtute, adiuua noſtram imperfectionem; tua virtute noſtram imbecillitatem ſuffulci; diſtribue te in corda noſtra, & nos tui fac participes, quo dilectio Dei per nos diffundatur. In locum puerorum per te adoptemur, tuo confirmemur teſtimonio, vt obſignatione tua nos filios Dei cognoſcentes aditum ex te ſecurum ad Deum patrem cæleſtem habeamus, per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.

Amen.

Borkenſis in Enchirid.

CAPVT NONVM, CONTINENS VARIAS ORATIONES DE VITA & morte Saluatoris.

PROLOGVS.

In prologo de meditatione vitæ Christi.

INTER *omnia exercitia spiritualia (si* Bonauenturæ *credamus) nullum est vtilius meditatione vitæ & mortis* Saluatoris. *Ea enim meditatio, præterquam quòd cōtemptum rerum omnium visibilium in nobis generat, etiam nos armat aduersus omnem mundi, carnis &* Diaboli *potentiam; familiaritatem cum* Deo *parat, amorem eius conciliat, fiduciam creat, animamq; ad omnium virtutū culmen, supremumq; perfectionis fastigium adducit. Vbi enim perfectiùs virtutem altißimæ paupertatis, profundißimæ humilitatis, perfectißimæ charitatis, obedientiæ, patientiæ, mansuetudinis, ceterarumq; virtutum inuenitur, quàm in vita* Saluatoris? Rectè *ergo* Bernardus: Homo *qui virtutes sibi vult comparare, frustra laborat, si eas alibi quærat, aut ab alio petat, quàm à* Domino *virtutum: cuius doctrina est regula prudentiæ, cuius misericordia est opus iustitiæ, cuius vita exemplum est temperantiæ, cuius mors est*

Serm. 22. in Cant.

vexillum

vexillũ patientiæ. In hoc exercitio idem mellifluus Doctor totam vitam suam consumpsit, ex omnibus anxietatibus & amaritudinibus Christi fasciculum sibi colligans, qui inter vbera eius iugiter commorabatur, vt de se ipse testatur.

Operæ igitur pretium facturus est homo pius, si vel orando, vel meditando, vt minimum semel in septimana, totam vitam Saluatoris percurrat: cùm nulla gratior ei sit oratio ea, in qua vitæ suæ fit commemoratio. Vt autem commodiùs id fieri posset, Granatensis noster vitam, mortem & resurrectionem Christi septem orationibus complexus est, vt totidem septimanæ diebus inseruirent: idq; per modum gratiarum actionis, cùm nullum beneficium sit, pro quo Deo maiores gratiæ debentur. Eas igitur orationes huic nono capiti reseruauimus, & nunc ordine subijciemus.

Constant orationes hæ articulis 53. ex quibus facilè confici potest Rosarium, si post singulos articulos legatur Angelica salutatio, & post vnamquamque decadem oratio Dominica, vnà cum salutatione Angelica. Supererunt quidem articuli tres, qui facilè vel initio, vel in medio, vel in fine cum alio articulo misceri, & ter duo sub vna salutatione Angelica, proferri possunt.

Granatẽs. lib. 5 Memorialis.

ORATIO PRIMA DE VITA IESV.

1 Christus de cælo descendit & concipitur in vtero Virginis.

IMmortales, ô dulcissime Iesu, ago tibi gratias, quòd amore mei de regali tuo palatio, atque ex altissimo Patris sinu, in hanc vallem miseriarum descendisti, & in sanctissimo castissimæ Virginis Matris tuæ vtero carnem humanam assumpsisti. Oro te Domine, vt cor meum tibi præpares habitaculum, eumque in finem id omnigenis virtutum floribur adornes, vt tu solus perpetuò in illo habites. Vtinam, Domine, tuæ placeret bonitati, vt tale esset cor meum, ne vererer te inuitare, sed vt in me venires habitatum, & ego te mererer recipere suauiter, tuque in eodem corde requiescceres sine fine dulciter. O si te amplexari possem brachijs amoris tam potentis, vt nunquam à te aut cogitatione, aut affectione diuellerer.

2 Maria visitat cognatam.

Ago tibi gratias dulcissime Iesu, quia postquam conceptus es in vtero gloriosæ Virginis Mariæ, voluisti eã per montana visitare cognatam suam Elisabeth, vt salutaret eam, eique tempore partus ministraret. Tu non dedignatus es gloriosissimis Matris tuæ visceribus nouem mensibus claudi: ideoque te oro, da mihi veræ humilitatis gratiam, & dignare me illã cordis meĩ penetralibus imprimere, vt illius beneficio semper me paratum inuenias in rebus ad tuum mini-

ſterium pertinentibus. Fac Domine, vt cor meum res humanas ſemper faſtidiat, & te ſuum habere habitatorem & Dominum perpetuò deſideret.

Ago tibi gratias, ſuauiſſime Ieſu mi, qui de ſacratiſſima Virgine ſine dolore, & puritatis virginalis damno natus es; quæque te natum mox in præſepe poſuit, vt pauperem & mortalem, teque humiliter adorauit, vt Deum & omnium Creatorem. Precor diuinam tuam miſericordiam, vt digneris continuè naſci in me, per nouum charitatis ardorem: & vt vnicum ſis meum deſiderium, ſola ſatietas, & firma ſpes cordis mei. Placeat tuæ bonitati, vt te ſolũ ſemper quæram, de te ſemper cogitem, te ſolum amore ardentiſſimo diligam. 3 Chriſtus naſcitur.

Infinitas ago tibi ſemper gratias, ó dulcis Ieſu, quòd in intenſiſſimo natus frigoris horrore, non dedignatus es viliſſimis inuolui pannis, & virgineũ lac de glorioſę Matris pectore ſugere, & quaſi ſimplex atque innocẽs puſio Virginis papillas lambere, cùm verè Deus eſſes omnipotens. Concede mihi, Domine, vt in conſpectu tuo ſemper verus ſim infantulus humilitate, & verè pauper ſpiritu. Da vt amore tuo non recuſem ferre quæcunque aſpera & laborioſa; nihil amem in hoc mundo præter te; nihil in hoc mundo præter te deſiderem poſſidere. 4 Chriſtus pãnis inuoluitur.

Gratias ago tibi benigne Ieſu, quòd 5

Christus à pastoribus adoratur.

ſtatim cùm natus eſſes iucũdiſſimis Angelorũ canticis concelebrari voluiſti, & à paſtoribus maximo cum gaudio & admiratione adorari. Da mihi gratiã, Domine, vt iugiter in tuis laudibus cum gaudio perſeuerem, vtq́ue te in ſocietate paſtorum quæram, & quærendo te inueniam, & inuentum te in æternũ poſſideam.

6 Christus circunciditur, & Ieſus vocatur.

Laudare ſemper, & glorificare, bone Ieſu, quòd octauo die (ſecundum conſuetudinem aliorum infantum) circuncidi voluiſti, & in ætate illa tenerrima ſanguinem amore mei fundere cœpiſti: vtq́ue me ineffabili cõſolatione beares, Ieſus vocatus es. Supplico tibi, Domine, vt digneris me referre in album electorum tuorum, & nomẽ meum in librum beatorum ſcribere: vtq́ue cor meum ab omni ſuperfluitate circuncidas; hoc eſt, otioſa & noxia verba, opera iniqua, cum impuris, inanibusq́; cogitationibus abſcindas. Redemptor mi, tu vocaris Ieſus, hoc eſt, Saluator; tibi enim ſoli conuenit dare ſalutem. Idcirco peto à te Domine, vt ſuauiſſimi huius nominis memoria expellat à me omnem inordinatam puſillanimitatem & torporem, & mihi miſericordiæ tuæ ſpem firmam tribuat, & defendat me ab omnibus inimicorum meorum perſecutionibus.

7 Christus à Magis adoratur.

Gratias ago tibi, dulciſſime Ieſu, qui à Magis, te ex intima deuotione, fideq́ue ſincera quærentibus, inuentus es; idq́ue

ſtella coruſcante ductore; qui ante te pedibus procumbentes obtulerunt aurum, thus, & myrrham. Concede mihi, Domine, vt te in conſortio iſtorum ſanctiſſimorum Regum quæram, non in Bethlehem, ſed in cordis mei præſepio, in eoque inuentum te adorem in ſpiritu & veritate; offeram tibi aurum ſplendentis charitatis, incenſum deuotionis, & myrrham perfectæ mortificationis. Da mihi denique gratiam, vt omnes vires, omnemque animi fortitudinē imitandæ ſanctiſſimæ vitæ tuę promptus & alacris impendam.

Ago tibi gratias, Domine Ieſu Chriſte, qui vt dares nobis exemplum obedientiæ, atque humilitatis, voluiſti legi amore noſtri ſubijci, & ad templū in brachijs ſanctiſſimæ Matris tuæ deferri; & pro te oblationem non diuitis, ſed pauperis offerri. Quare iuſtus & ſenex ille Simeon cum Anna Prophetiſſa, ob tuam præſentiā exultantes, celeberrimum tuæ gloriæ dederunt teſtimonium. Placeat bonę voluntati tuę, Domine, ne vnquam in poſterum cor meum ſubintret vel minima vanitatis cogitatio. Ah quā beatus eſſem, ſi à me omne genus præſumptionis exularet, omniſque appetitus mundani fauoris, cum toto mei ipſius amore inordinato extinctus eſſet. Dignare mihi gratiam tuam largiri, vt mihi ab omni humana laude caueā, omnibuſque me hominibus ſubijciam, ijſque

8 **Ieſus in templo præſentatur.**

non inuitus obediam.

9 Iesus in Ægyptũ fugit. Ago tibi gratias, dulcis Iesu, quia cùm esses adhuc paruulus persecutionem sustinere incepisti, vnà cum charissima tua Matre: nec dedignatus es in Ægyptum fugere. Da mihi gratiam, vt in omnibus persecutionum mearum tempestatibus, in omnibus meis tribulationibus & tentationibus ad te fugiam, te quæram, te solum inuocem; & quotiescunque prædicta mihi de manibus tuis aduenient, fac, Domine, vt ea cum gaudio suscipiam, & tranquillo corde sufferã, tibi continuas agens gratias pro omnibus, quæ tibi de me statuere placebit.

10 Iesus sedet inter doctores. Gratias quoque infinitas ago tibi, Domine Iesu, quia charissima tua Mater cum maximo te dolore quęsiuit, cùm tu in tẽplo remansisti, & post tres dies cum summo gaudio te in medio doctorum sedentem inuenit, quos audiebas & interrogabas cum incredibili sapiẽtia. Ah, Domine, pro tua sola bonitate, da mihi, vt nũquam ego separer à te, nec tu à me. Expelle à me omnem socordiam & torporem; extermina frigiditatem animi, quæ tibi tantopere displicet; & da mihi perfectam deuotionem, & ardentem tuę iustitiæ sitim, quæ ita possideat cor meum, vt nunquam lassus, nunquam seruiendo tibi sim satiatus. Pater noster. Aue Maria.

Granatẽs. ibidem.

SECVNDA ORATIO DE VITA IESV.

AGo tibi gratias, dulcissime Iesu, qui Iordanis fluenta ingressus voluisti manu Præcursoris tui Ioannis baptizari. Dignare me, Domine, per merita tua purificare in hac vita, & ab omnibus vitijs meis me mundare, & inebriare amore tui, & cælestis patriæ desiderio. Fac me antequam anima mea ex huius carnis exeat ergastulo talem, qualem me esse vis, vt discedens ex hac peregrinatione, confestim tecum sim: vt te semper videam, te semper fruar in beata illa æternitate, quæ finem nullum agnoscit. 11 Iesus baptizatur.

Gratias sine fine tibi ago, benigne Iesu, quòd agens in deserto, priusquam Euangeliũ prædicare cœpisti, inter animalia fera vixisti, & perseuerans in ieiunio quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, vigilansque in continuis orationibus & suspirijs, postea voluisti à Sathana tentari: & postquam victor extitisti, venerunt angeli & ministrauerunt tibi. Concede mihi, Domine, vt cum tua gratia possim castigare carnem meam, & omnes vitiosos affectus spiritui submittere, vtque cum dono perseuerantiæ me exerceam ieiunijs, vigilijs, & orationibus, alijsque omnibus exercitijs spiritualibus. Pręcipuè autem, Domine, concede mihi, vt auxilio tuę gratię liber sim à vitio gulæ, & ab omnibus alijs laqueis & impugnationibus Diaboli; nulla tentatio aduersum me præualeat, nulla me à te separet; imò fac, Domine, vt omnia 12 Iesus in deserto tentatur à Diabolo.

hæc mihi maiorem præbeant occasionem arctiùs me tibi adiungendi & vniuendi.

13 Iesus diuersis laboribus & necessitatibus affligitur.

Ago tibi gratias, dulcis Iesu, qui amore mei afflictus es in hoc mundo multis doloribus, & diuersis necessitatibus, æstu, frigore, siti, fame, lassitudine & sudoribus: varijs itineribus, vigilijs, persecutionibus, & tribulationibus cuiuscunque generis. Da mihi, Domine, vt pro amore tuo cum gaudio omnes aduersitates, tanquam à manibus tuis mihi venientes suscipiam, easque magna cum patientia perferam. Da vt in quacunque re prospera vel aduersa, tristi vel læta, turbida vel tranquilla, semper in te perseuerem, nec latum vnguem à te discedam, vt in omni re tua fiat voluntas, non mea.

14 Iesus orat & prædicat.

Ago tibi gratias, suauissime Iesu, quia plurima passus es, dum animę meę quæris conuersionem & salutem, tanquam verus Pastor & Saluator mundi, pernoctando in orationibus, fatigando te in itineribus, cælestem promulgando doctrinam, de prouincia in prouinciam, de castello in castellū discurrendo; in nulla re officium boni pastoris omittendo. Quæso, Domine, hanc impartire mihi gratiam, vt de cætero nunquam tardus aut ignauus in tuo inueniar seruitio; sed vt semper promptus & alacris sim ad omne bonum agendum. Da, vt salutem omnium ardentissimè sitiam, & zelum honoris tui semper habeam, in

eoque me totum occupem.

Gratias ago tibi, benigne Iesu, quòd 15 conuersando cum hominibus benignè illos cõsolari voluisti, & pro magna tua misericordia infirmitates eorum curare. Da mihi, Domine, cor pia quadam affectione in omnes plenum, vt omnibus compatiar, quos in afflictionibus videbo. Fac quoque, Domine, vt aliorum miserias meas esse existimem, vtque sincero corde, & sine aliqua passione aliorum imperfectiones feram, opemque illis pro posse meo feram in omni illorũ necessitate. O Domine, purga perfectè mentem meam ab omnibus vitiosis passionibus, & ab omnibus malis desiderijs, quæ in illa dominantur, vt ab his omnibus malis sanata, omnibusque impedimentis his immunis, liberrimè in cælum euolet, nec priùs quiescat, quàm ex purissimo amore mereatur ad diuinos tuos amplexus peruenire.

Iesus cũ hominibus conuersatur.

Ago tibi gratias, bone Iesu, quòd propter amorem tuum, quo me complexus 16 es, innumeras iniurias, blasphemias, calumnias, & persecutiones ab ijs potissimũ, quos infinitis afficiebas beneficijs, perpessus es. Obsecro, Domine, largire mihi cor verè simplex & innocens, vt inimicos meos diligã, & malum illorũ ex corde mihi doleat; semper eos si qua in re delinquant, excusem; vt reddendo bonũ pro malo, tuæ perfectæ charitatis, tuæque patientiæ sim verus imitator.

Iesus plurima pro nobis patitur.

17 Iesus in Ierusalē venit.

Ago tibi gratias, dilectissime Iesu, quòd venisti in Ierusalem humilis, & mansuetus sedens super asinam; & canentibus ijs, qui obuiam tibi procedebant, iucundissimis hymnis & gloriosis laudibus, tu lachrymas amaritudine plenas effudisti, quas dolor de tam celebris vrbis destructione, & de tot animarum perditione conceptus, exprimebat. Da mihi, Domine, intrinsecam quandā mei ipsius cognitionem, vt apertè meam vilitatem agnoscam, & me profundè humiliem: meipsum adeò contemnam, ne post hac mihi adulationes aut commendationes hominum placeant, sed vt assiduus maneam in plangēdis tam meis, quàm proximi mei peccatis, omne illius malum meum malum reputans. Pater noster. Aue Maria.

TERTIA ORATIO DE VITA IESV.

18 Iesus in cœna pedes suorū lauat.

Ago tibi gratias, Domine Iesu Christe, quia vt legi veteri finem imponeres, Agnum paschalem in Ierusalem cum discipulis tuis manducasti; dansque illis exemplū maximæ humilitatis, & ineffabilis amoris, positis genibus pedes omnium lauisti, extergēs eos linteo, quo præcinctus eras. Oro te, Domine, penetret exemplum hoc cor meum, & eijciat ex eo quamcunque presumptionem & superbiam, quæ in ipso reperitur. Da mihi, Domine, profundissimam humi-

litatem, cuius beneficio gaudeam omnibus subijci, sine alteratione. Adde & perfectam obedientiam, qua cum integrè tuis mandatis satisfaciam, vnà cum pręceptis eorum, qui præsunt in tuo nomine. Excita in me feruentissimam charitatem, qua te purè diligam, & per amorem tuum omnes homines amem.

Ago tibi gratias, dulcis Iesu, quòd ex charitate tua excellentissima instituisti Sacramentum corporis & sanguinis tui, quodque ex admirabili quadam liberalitate te nobis donasti in cibum: nec te piguit corporaliter nobiscum in hoc mundo, vsque in consummationem seculi permanere. Ah, Domine, excita precor in me viuum desiderium, & ardentissimam famem venerabilis huius Sacramenti. Concede mihi gratiam, vt ad hanc vitæ mensam accedam suscepturus te cum amore casto, humilitate profunda, cordis puritate, & mentis sinceritate. Da etiam, vt anima mea sic te sitiat, sic amore tuo vulneretur, vt tandem merear diuinis tuis frui voluptatibus, pro honore & gloria tui nominis. 19 Iesus Eucharistiã instituit.

Ago tibi gratias, melliflue Iesu, quòd volens exire mundo, admonuisti & consolatus es tuos discipulos, idque verbis amore sancto plenis, nec minùs ardenti oratione illos Patri commẽdasti, ostendens quanto amore illos complectebaris, & omnes eos, qui per eorum doctrinam essent in te credituri. O ô, Domine, 20 Christus suos in cœna cõsolatur.

sentiat

ſentiat cor meum dulcedinem in tuis verbis, & vt illa mihi dulciora ſemper ſint ſuper mel & fauum : viuat in pectore meo ſpiritus tuæ affectionibus plenæ exhortationis, vt me totum in tuum amorem transformē. Dirige omnes actiones meas, vt in me, & de me ſemper tua fiat voluntas.

21 Ieſus in horto Patrē orat.

Gratias ago tibi, dilectiſſime Ieſu, quòd procidens in terram extenſis brachijs Patrem precatus es, te totū ad manus illius reſignans, petens vt in omnibus, non tua, ſed Patris tui voluntas fieret. Obſecro, Domine, da mihi gratiam, vt in omni anguſtia & neceſſitate mea per orationem ad te curram; meque totum tuæ concredam prouidentiæ, ſine meæ voluntatis electione, aut alicuius proprij commodi expectatione. Ne fugiam vnquam aduerſitates, neque propter illas à bono cœpto meo reſiliā : ſed quidquid mihi ſuperuenerit, id animo accipiam pacato, tanquam id quod à pijs tuis manibus donatur, ferendo omnia corde humili & quieto.

22 Ieſus capitur.

Ago tibi gratias, ô pie Ieſu, quòd ab armatis militibus capi, & funibus tanquā homo ſceleratus & maleficus vinciri voluſti, indè ad Annam duci, & eius iudicio ſiſti non horruiſti. O ſtupenda mei Redemptoris manſuetudo: dum apprehenderis, dum ligaris, dum illuderis, dum malè tractaris, non lamētaris, non murmuras, non relucta ris : ſed tacendo

sequeris vestigia illorum, qui te ducunt, imò trahunt, & fatigant; obtemperas imperantibus tibi, & summa cum patientia perfers tormenta, quibus cruciaris. O Domine, ne inuideas mihi, vt exemplum tale, & tãtæ virtutis in me resplendeat, pro gloria & honore nominis tui sanctissimi.

Gratias ago tibi, ô Iesu amabilis, Rex cæli & terræ, quia stans ante superbum & inflatum Pontificem, non aliter atque si homo vilis & abiectus fuisses, percussus es, & patientissimè crudelem alapam tulisti, quam vnus ex impijs illis ministris tibi in faciem impegit. Precor te, Domine, mortifica in me omnes efferuescentes impetus iræ, omnem indignationem comprime, omne odium tolle, omnemque scintillam cupiditatis vindictæ extingue; vt cùm iniuria me quis afficiat non perturber, de vindicta non cogitem, sed omnia patienter sufferens pro amore tuo reddam bonum omnibus, qui mihi malefaciũt. Pater noster. Aue Maria.

23 Iesus alapa in faciem percutitur.

QVARTA ORATIO DE VITA IESV.

Granatẽs. ibid.

GRatias tibi ago, dulcis Iesu, qui in nocte passionis tuæ irrisus, & delusus, à tuis inimicis pugnis percussus, & calcibus protritus, diuersisque iniuriarum modis diuexatus es. Tu scis, Domine mi, quàm graue & molestum mihi

24 Iesus nocte qua captus est varijs modis diuexatur.

eſt, vel minimam iniuriā perpeti; tu ſcis me virtutem habere nullam, volũtatem meam eſſe tardam, & omne bonum deſiderium in me frigere. O Domine, pro tua miſericordia meam adiuua infirmitatem. Da mihi gratiā, ne ad quemcunque aduerſitatis impetum animus meus demittatur, & quaſi humi ſerpere videatur. Succurre mihi, ne deficiam ſub onere tribulationum, quæ mihi ſuperuenient, nec iniuriæ ab alijs irrogatæ mihi ſtomachum faciãt: ſed in omnibus gratias agens tibi, omnia ad honorem & gloriam nominis tui referam.

25 Ieſus corā Pilato accuſatur

Ago tibi gratias, Domine Ieſu, quòd ſtans ante Præſidem Pontium Pilatum, ad falſas querelas & accuſationes non reſpondiſti: ſed quaſi agnus manſuetus, qui non aperit os ſuũ, & coram tondentibus obmuteſcit, ſic tanquam aure ſurda omnia præterijſti. Concede mihi, Domine, ne oblocutiones, murmura, & detractiones mihi bilem moueant; ſed vt exemplo tuo edoctus, omnes qui me iniuriantur & diffamant tacendo vincam. Largire mihi perfectæ humilitatis gratiam, vt nec laudari ab hominibus appetam, nec propter te vituperari metuam.

26 Ieſus ad Herodem ducitur.

Ago tibi gratias, clementiſſime Ieſu, quòd in ſummo ſtrepitu & furore populi, iuſſu Pilati ductus es ad Regem Herodem. Tribue mihi fortitudinem, vt perſecutiones me non confundant, nec ini-

mico-

micorum iniuriæ ad iracundiam incitent, nec eorum impudentia me faciat erubeſcere: ſed omnia quęque cum manſuetudine feram, & tacendo vincam, vt in patiētia mea poſſideam animam meam; ſecundum ſanctorum mandatorum tuorum præſcriptum.

27 Iesus coram Herode accuſatur.

Gratias ago tibi, Ieſu pie, quòd ante Herodem ſtans, & de multis criminibus & flagitijs à Pontificibus & Sacerdotibus accuſatus, ad nullum reſpondere voluiſti; ſed ſilendo cauſam tuam iuſtificaſti. Da mihi, Domine, dexteritatē linguam meā refręnandi, ne mihi vnquam inceſſet cupiditas, otioſa, vana, vel turpia loquēdi; nec in rebus ſterilibus & infructuoſis narrandis tempus inutiliter conſumam: ſed concede, vt nihil præterquam quod iuſtum, quod honeſtum, quod vtile eſt, mea lingua ſonet, quodque diuinæ tuæ volūtati eſt conſonum. Fac vt deteſter vitium maledicendi, & de omnibus bona audire & loqui lubeat.

28 Ieſus Barraba ſceleratior iudicatur.

Ago tibi gratias, dulcis Ieſu, quòd comparatus cum infami & ſeditioſo latrone Barraba, illo peior iudicatus es, vitaque indignior: adeò vt homicida libertate donatus, & tu auctor vitæ ad mortem ſis condemnatus. O Rex æternæ gloriæ, qua quæſo potuiſſet affici tua Maieſtas maiori, ignominia? Hîc, Domine, hîc liquet te eſſe lapidem illum viuum, reprobatū ab hominibus, quem ſibi

Deus elegit, & fecit in caput anguli. Placeat tibi, Domine, ne tibi quicquam anteponam, nec te quoquam permutem; sed omnia tibi comparata sint mihi tanquam stercora. Da, ne venenum inuidiæ vnquam animum meum inficiat; sed in te semper quiescam, & in te omnem meam salutem constituam.

29 Iesus flagellatur.

Ago tibi gratias, amantissime Iesu, quòd spoliatus vestimentis tuis sacram illam & virgineam carnem nudam conspici passus es: inde funibus duris ad columnam ligatus, horrēdis flagellis eandem carnem dilaniari voluisti; vt tuis vulneribus nostra vulnera sanares. O Domine, spolia cor meum omnibus immundis cogitationibus; exue me veterem hominem, cum omnibus operibus suis, & indue me nouum, qui creatus est ad imaginem & similitudinem tuam, in iustitia & sanctitate: & da mihi, vt cum omni patientia & humilitate paternæ tuæ visitationis flagella sustineam.

30 Iesus coronatur.

Ago tibi gratias, benigne Iesu, quòd post tot vulnera, tot liuores in immani illa flagellatione accepta, post sanguinem tam copiosum toto corpore effusum, varijs modis illusus & subsannatus es. Ad maiorem verò ignominiam tuam purpurea te chlamyde circundederunt, & plectentes coronam de spinis, imposuerunt eam capiti tuo; arūdinem in manu pro sceptro dederūt, flectētesq; genua, Regem te salutarunt (imò ludificarunt)

carunt) dicentes; *Aue Rex Iudæorum.* Fac Domine, vt memoria istius miserrimæ tragœdiæ cordi meo imprimatur, nec vnquam inde deleatur: transfige illud ardentissimæ charitatis tuæ sagittis, vt te solum amem, de te solo cogitem, in te solo requiescam, nec tribulationes, angustiæ, vel persecutiones vllæ me à te separent; nec ægrè sustineam, si quando propter te contemptui sim, & ab homibut flocci fiam.

Ago tibi gratias, dulcis Iesu, quòd post tot labores, angustias, tribulationes, sannas, & vulnera pro me perpessa, voluisti etiam crucem tuam in fractis tuis humeris vsque in montem Caluariæ supplicij locum portare: idque cum summo labore, & lassitudine, prę nimia ponderis grauitate, exhaustique corporis debilitate. Largire mihi, Domine, vt alacri & deuoto corde crucem tuam amplectar, negando memetipsum, & exemplum virtutum tuarum cum feruenti charitate imitando, vt te humiliter in mortem subsequi merear. 31 Iesus crucem portat.

Ago tibi gratias, ô bone Iesu, qui in hoc laborioso itinere, quando crucifigendus educebaris, lamentantes fœminas benigniter exhortatus es, ne super te, sed super se, & super filios suos plangerent. Da Domine, vt & ego pias compassionis & amoris lachrymas fundam, adeò copiosè, vt durities cordis mei liquefiat, & acceptabile in conspectu Maiesta- 32 Iesus crucem baiulās fœminas alloquitur.

tis tuæ reddatur. Concede mihi Domine, vt sanctissimi tui amoris flammis accensus, parui aut nihili faciam res mundanas; te verò solum diligam, & in te sine fine requiescam. Amen. Pater noster. Aue Maria.

Granatẽs. ibidem.

QVINTA ORATIO DE VITA IESV.

33 Iesu acetum propinatur felle mixtum.

AGo tibi gratias, benigne Iesu, quòd lassus, & viribus exhaustus, nimio Crucis tuę pressus pondere, ad locum sacrificij tandem venisti: vbi inuentus es totus afflictus, siti penè enecatus, quo tẽpore scelerati & barbari illi satellites acetum tibi felle mixtum bibendúm obtulerunt. Placeat tibi, Domine, vt huius poculi memoria in me extinguatur inordinata gulæ concupiscentia, carnisq́ue delectatio: & fac ne vllo vnquam tempore turpibus & illicitis delectationibus consensum præbeam. Sed largire mihi honestissimam, maximeq́ue necessariam temperantiæ virtutem, tam in edendo, quàm in bibendo, alijsq́ue rebus seruandam: vt refręnatis omnibus gulæ appetitionibus te solum esuriam, te solum sitiam, in te solo sit omnis mea voluptas.

34 Iesus vestibus spoliatur.

Ago tibi gratias, benedicte Iesu, qui denuo vestimentis tuis spoliatus, nudus coram omni populo stetisti, vbi omnia vulnera detractis vestibus, quæ concreto sanguine carni adhærebant, recrudue-

runt,

runt, & renouata sunt: ex quibus iterum vberrimus sanguis effluxit, non sine dolorum tuorum redintegratione. Largire mihi, Domine, verum paupertatis amorem, ne vnquam ob rerum mundanarum defectum contrister; sed cum omni patientia perferam inopiam, & huius vitæ necessitates. Spolia, Domine, cor meum omnibus imaginationibus & afflictionibus terrenis, & renoua in me quotidie viua sancti amoris tui desideria.

Ago tibi gratias, Iesu bone, qui crudeliter funibus in diuersa raptus & distractus es, cùm te crucifigere volebant. ita vt omnes sanctissimi tui corporis iuncturæ locis naturalibus emotæ sint: sed & perpessus es, vt sanctæ manus, sanctique pedes tui duris, crassisque clauis foderentur, & cruci hærerent affixi. Da mihi, Domine, vt semper animo fideli & grato memor sim ardentissimæ illius tuæ charitatis, qua motus tam benignè tua brachia extendisti, & manus tuas aperuisti, vt foderentur, pedesque tuos accommodasti, vt duro clauo perterebrarentur. Age, Domine, exurge, & vulnera cor meũ perfecta charitate; eodem amoris tui clauo sensus meos omnes transfige, ne vnquam meæ cogitationes & desideria à te separentur. 35 Iesus crucifigitur.

Gratias tibi ago, ô sancte Iesu, quòd trium horarum spatio pependisti in crucis ligno, multis, intolerabilibusque 36 Iesus in cruce pẽdet.

oppro-

opprobrijs exagitatus, ſanguinem copiosè profundens, in omnibusq́ue membris tuis immenſos dolores ſuſtinens. Affige, Domine, eidem ligno miſeram animam meam, quæ iacet humi, & purga illam ab omni peccatorum & appetituum immunditia, lauans illam fluentibus tui ſanguinis riuulis. O ſanguis, qui vitam tribuis & ſalutem. Ne dedigneris, Domine, illo me lauare ſanguine, ſanctificare, & purificare me liquore illo pretioſiſſimo. Offer illum, Domine, ſummo Patri tuo in perfectam ſatisfactionem, & remedium omnium malorum meorum. Oro te, concede mihi, vt merear corde meo bibere, & lingua animæ meæ lambere pretioſas diuini illius ſanguinis guttulas, vt guſtem ibi, quàm ſuauis tuus eſt ſpiritus, & quàm dulcis ille tuus liquor pretioſiſſimus.

37 Ieſus pēdet inter duos latrones.

Ago tibi gratias, dulcis Ieſu, qui amore mei ſuſpendi in medio duorum latronum voluiſti, & pro tali etiam haberi: vt hac tua incredibili humilitate & patientia ſuperbiam & impatientiā noſtram ſanares, & planè deſtrueres. Oro te, Domine, exalta ſpiritum meum, vt omnia, quæ in hoc mundo cernuntur deſpiciam, & te ſolum aſpiciam, te ſolū amem, nunquam de alio quàm de te cogitem, ad te ſuſpirem, de te loquar, in te me oblectem, & omnis mea actio ſit ſemper in te, & per te, & extra te nihil ſit, quod animum meum queat ſatiare.

Ago tibi gratias, dilecte Iesu, qui fuisti tam bonus in illos qui erant pessimi, qui etiam pro ijs, qui crucifigebant te, Patrem oraueris, dicens; Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt. Da mihi gratiam, Domine, vt habeam veram patientiam, & mansuetudinẽ, quibus armatus (iuxta exemplũ, quod mihi dedisti, & mandatum quod mihi reliquisti) inimicos meos diligam, & benefaciam his, qui mihi malefaciunt, & orem te pro ijs, vt illis omnem iniuriam ex animo ignoscas.

38 Iesus pro crucifigẽtibus se orat.

Ago tibi gratias, benigne Iesu, qui derisus & despectus es ab inimicis tuis, & tot blasphemijs atque iniurijs exceptus es, etiam eo tempore, quo doloribus & angustijs in cruce affligebaris ineffabilibus. Concede mihi gratiam, Domine, vt memor illius humilitatis & patientiæ, qua cum tantos dolores, & tanta sustinuisti opprobria, ego quoque simili patientia quamcunque aduersitatem perferam, tecum in cruce patientiæ vsque ad mortem perseuerans. Nullus tentationis impetus, nulla tribulationis tempestas, nullæ iniuriarum procellæ me ab incepto bono proposito abducant; nec mors, nec vita, nec præsentia, nec futura, nec aliqua creatura me à te separet.

39 Iesus in cruce irridetur.

Gratias ago tibi, optime Iesu, qui etiam blasphemias & sannas vnius latronis perpessus es, & qui alteri confitenti sua peccata, & pia fide tuam innocenti-

40 Iesus latroni paradisum

pollicetur.

am predicanti, gloriam Paradiſi promiſiſti. O beatum me, ſi vnquam tam felix fierem, vt mererer oculis tuæ miſericordiæ reſpici, quibuſcum fortunatum illum latronem aſpexiſti; & auxilio tuæ gratiæ tam innocenter viuerem, vt ſub finem vitæ meæ dignus eſſem audire dulciſſimum illud verbum tuum; Hodie mecum eris in Paradiſo. Pater noſter. Aue Maria.

Granatẽſ. ibidem.

SEXTA ORATIO DE VITA IESV.

41 Ieſus matrẽ diſcipulo cõmendat.

GRatias quas poſſum maximas ago tibi, Domine Ieſu, quòd ex arbore Crucis aſpiciens Matrem tuam plenam doloribus & afflictionibus, lachrymiſque perfuſam, miſertus conditionis illius, eã dilecto tuo diſcipulo Ioanni commendaſti: deinde & illum matri commendaſti, & nos omnes in perſona illius. Da mihi, Domine, vt amem & honorem hanc beatam Virginem amore ardentiſſimo, vt, cùm eam matris loco habeã, merear, vt illa me in filium ſuſcipiat, atq; vt talẽ me tractet. Da mihi illam Aduocatam in omnibus neceſſitatibus meis, maximè aũt in hora mortis meæ.

42 Ieſus à patre ſe derelictũ queritur.

Ago tibi gratias, dulciſſime Ieſu, quòd apertis vulneribus, capite ſpinis coronato, manibus ac pedibus cruci affixis, dixiſti; Deus meus, Deus meus, vt quid me dereliquiſti? Operare Domine in me, vt in omnibus meis aduerſitati-

bus

bus & tentationibus ad te pium Patrem confugiam, & de meipſo diffidens, tibi ſoli confidam, & me totum ad manus tuas reſignem. Peto, Domine, vt vulneres interiora animæ meæ tuorum vulnerum memoria: fac vt ea imprimantur intimis meis præcordijs; & ita me tuo ſanguine inebria, vt de alio non cogitem, nec alium præter te quæram: vt quærens inueniam te, & poſſideam te in æternum.

43 Ieſus in cruce ſitit

Ago tibi gratias, Domine Ieſu Chriſte, qui corpus habens debilitatum, & præ grauiſſimis tormentis, nimiaque ſanguinis effuſione ſiccum, vehementiſſimè ſitijſti, ardensque nimio deſiderio ſalutis noſtræ dixiſti; Sitio. Da mihi, Domine, vt ardentiſſimè tuum ſitiam honorem, & animarum omnium ſalutem; in eo me totum occupem, conformem me ſanctæ tuæ voluntati, faciens quantum mihi ſecũdum ſtatum meum concedetur. Oro te, ne vllus amor rerum tranſitoriarum me corripiat, nulla creatura me in periculoſos laqueos trahat: imò omnia, quæ amari digna ſunt, amore tui diligam, te autem plus omnibus amem, & in te ſolo quietem inueniam.

44 Ieſus in cruce fel bibit.

Ago tibi gratias, ô miſericordiſſime Ieſu, quòd in hora mortis tuæ, vt ſitim reſtingueres, voluiſti ori tuo applicari ſpongiam aceto plenam; vt guſtando amarum illud refrigerium, in afflictiſſi-

mo illo tuo ſtatu, æterno Patri ſatisfaceres, pro omni noſtra intemperantia & voluptate, nobisq́ue mirabile paupertatis exemplum relinqueres. Tribue mihi gratiam, vt amore tui contemnã omnes ſaporũ delicias, & epulas exquiſitiores; & vt contentus ſim id cum modeſtia & temperantia ſolum edere & bibere, quod ſufficit ad huius corpuſculi ſuſtentationem, tibi reddens pro illo infinitas gratias. Purifica & ſana palatũ animę meæ, vt quicquid tibi gratum eſt id mihi dulce ſit; & quicquid tibi diſplicet, id mihi non ſapiat, ſed faſtidium pariat.

45 Ieſus Redemptionis noſtrę operi finẽ imponit.

Ago tibi gratias, Ieſu amator generis humani feruentiſſime, quòd tam abſolutè, & ordine tam concinno noſtræ redemptionis operi finem impoſuiſti, offerens temetipſum ſacrificium viuum in altari Crucis, pro peccatis mũdi. Oro te, Redemptor mi, vt tu ſolus eſſe digneris ſignaculum cordis mei, & ſcopus mearum cogitationum, verborum, & operum: vt in omnibus rebus cum pura & caſta intentione ſolum ſpectẽ, & agam, quod honor tuus poſtulat, nihil autem extra te mihi placeat, aut aliquid præter te deſiderem. Tribue quæſo, ne poſt hac vnquam ignauus aut laſſus fiam in tuo miniſterio: ſed vt renouato quotidie in me feruore ſpiritus, in te laudando, tibiq́ue ſeruiendo magis magisq́ue creſcat diligentia.

46 Ago tibi gratias, dulcis Ieſu, qui cùm

voluisti mortem vocasti, & venerabili tuo capite inclinato spiritum tuum in manus Patris tui commendatum è carne migrare iussisti: qua in re declarasti, te verum illum esse pastorem, qui posuisti animam pro ouibus tuis. Da mihi, Domine, vt omnibus peccatis & vitijs mortuus, tibi soli viuam; vt vitæ huius cursu in charitate peracto, confestim ad te, qui es verus animarum nostrarum Paradisus, ingrediar. Iesus emittit spiritum.

47 Gratias tibi ago, mansuetissime Iesu, qui voluisti diuinum pectus tum à quodam milite lancea aperiri, ex quo sanguis & aqua ad lauandas & viuificandas animas nostras exiuit. Placeat tibi, Domine, sic cor meum sancti amoris tui lancea ferire, vt nihil queam velle, quod non idem & tu vis. Ingrediatur, Domine, anima mea vulnus pectoris tui, & pergat vsque ad sedem tuæ charitatis, & thesaurum tuæ diuinitatis: vt ibi adorem te Deum meũ, pro me crucifixum, & mortuum; & reijciẽs à memoria mea omnium rerum visibilium figuras, ad te solum respiciam, & te solum in omni re præsentem habeam. Iesu latus lancea aperitur.

48 Ago tibi gratias, dilecte Iesu, qui cum magno planctu amicorum tuorum de cruce sublatus es, pretiosissimisque vnguentis delibutus, in syndone munda inuolutus, & in alienum sepulchrum illatus es. O Domine, sepeli tecum omnes sensus meos, vt tibi forti amoris vincu Iesus sepelitur.

lo coniunctus, in his quæ tibi displicent sim quasi mortuus, & in omnibus rebus tibi contrarijs quasi extra me raptus: Econtrariò verò in rebus quæ tibi placent, sim totus viuax, promptus & alacer: in te solo vnico Redemptore meo, & thesauro animæ meæ me oblecter. Pater noster. Aue Maria.

Granatēs. ibid.

ORATIO SEPTIMA DE VITA IESV.

49 Iesus descendit ad inferos.

AGo tibi gratias, dulcis Iesu, qui cum potentia descendisti ad Inferos, ibiq́ue fortitudinem Satanæ debellasti, & cum tua pręsentia sanctos Patres, qui ibidem captiui detinebantur, exhilarasti: & educens illos ex tenebris, ad perpetua Paradisi gaudia adduxisti. Oro te, Domine, vt virtus passionis & sanguinis tui descendat super animas patris, matris, cognatorum, amicorum, & benefactorum meorum, omniumq́ue fidelium defunctorum, vt à pœnis Purgatorij liberatæ in æternam beatitudinem recipiantur.

50 Iesus resurgit à mortuis.

Ago tibi gratias, bone Iesu, qui victoriosus exiens è sepulchro cum nobilissimo triumpho, post victam & interfectam mortem, tertia die resurrexisti, & indutus glorioso corpore, immensoq́ue splendore amictus, amicos tuos visitans, eos incredibili gaudio perfudisti. Concede mihi quoque Domine, vt à morte vitiorum & veteris conuersationis re-

suscitatus in nouitate vitę ambulem, eaque sola quæram, quæ alta sunt & sublimia, non autem vilia & transitoria; vt cùm tu vera Vita secundò appariturus es in terris, ego tecum appaream in tua gloria.

51 Iesus in cælum ascendit.

Gratias tibi ago, ô pie Iesu, qui transactis quadraginta diebus post tuam resurrectionem, aspicientibus discipulis tuis gloriosus & triumphans in cælum ascendisti: vbi sedēs à dexteris Patris viuis & regnas in secula seculorum. Placeat bonitati tuæ, Domine, vt anima mea langueat amore tui, & fastidiat omnia quæ sunt in mundo; semper ad te aspiret, desiderans cælestia, eaque continua & feruenti voluntate appetat. Nihil illam exhilaret, nihil affectet, nisi te solum Dominum meum & Deum meum.

52 Iesus Spiritum S. mittit.

Ago tibi gratias, amantissime Iesu, quòd Spiritum sanctum tuum misisti super electos tuos, qui in oratione perseuerabant, eosque misisti prædicare & docere gentes per vniuersum mundũ. Supplico tibi, Domine, purifica interiora cordis mei, & da mihi veram puritatem & munditiem conscientiæ, vt idem consolator inueniens in ea gratam habitaculum, adornet illud, & vberrimis gratiarum suarum donis illud pulchrum & formosum faciat: ille me solus consoletur, me confirmet, me regat, & sit totus mei possessor.

53 Gratias ago tibi, benigne Iesu, qui

Iesus ad iudicium veniet.

quando veneris in nouissimo die ad iudicandum orbem terrarum, daturus es vnicuique secundum operum suorum merita, vel præmium, vel supplicium. Pie Domine mi, da mihi gratiam, vt anima mea innocenter huius miseræ vitæ curriculum peragens, secũdum sanctam tuam voluntatem, tandem huius corporis ergastulo multis meritis & virtutibus ornata exeat, vt pro tua misericordia in gloriæ tuæ domicilium recipiatur, vbi sine fine te laudet, & in consortio Sanctorum omnium benedicat in secula seculorum. Amen. Pater noster. Aue Maria.

ORATIO DE NOMINE IESV.

Lodouicus Granatẽs. lib. 4 de orat. & Meditat.

O Bone Iesu, ô dulcis Iesu, ô Iesu fili Virginis Mariæ, plene pietatis & misericordiæ: ô dulcis Iesu, miserere mei, secundum infinitam tuam bonitatem. O benigne Iesu, ego indignus peccator oro te per pretiosum illum tuum sanguinem, quem vberrimè effudisti in ara Crucis, pro iniquis & peccatoribus, vt laues me ab omnibus peccatis meis, & non despicias seruum tuum, qui humiliter orat & inuocat sanctissimum hoc nomen Iesu.

Hoc nomen tuum Iesu nomen dulce est, imò quouis nectare & ambrosia dulcis: hoc nomen tuum Iesu nomen salutiferum est. Quid est Iesus, nisi Saluator?

Igitur ô bone Iesu, qui tua bonitate me creasti, & tuo pretioso sanguine me redemisti, ne patiare, vt anima mea propter peccata mea magna & multa nimis ad Inferos rapiatur.

Iniquitates meæ, ô bone Iesu, non condemnent animam meam ab infinita bonitate tua creatam. Agnosce in me bone Iesu quod tuum est; hoc est, animam meam: aufer à me quod alienum est, peccata scilicet atque iniquitates meas vniuersas. O bone Iesu miserere mei, quamdiu sum in hoc mundo, ne cum impijs in tremendo illo iudicij die condemner. O bone Iesu, si peruersus ego peccator meruero pro tua iustitia damnari, propter grauia & enormia peccata mea, appello humiliter à seuera tua iustitia, ad piam tuam misericordiam; confidens omnino, quòd tu, Domine mi Iesu, mihi pius eris, animæque meæ misereberis, tanquam pater pius & Deus misericors.

Quæ vtilitas tibi, ô bone Iesu, in carne mea, si anima mea descendat ad inferos? Certum enim est, quòd in Inferno nemo confitebitur sancto nomini tuo Iesu. O misericordissime Iesu, pius esto in nos. O dulcissime Iesu, libera nos ab omni tribulatione & angustia nostra. O optime Iesu clemens esto nobis peccatoribus. O sacratissime Iesu fac animas nostras Electis tuis in cælo sociari. O Iesu maximè pie, salus omnium eorum

qui ſperant in te, conforta nos. O Ieſu fili ſanctiſſimæ Virginis Mariæ, da nobis tuam miſericordiam, gratiam, ſapientiam, charitatem, caſtitatem, humilitatem, & patientiam in aduerſitate noſtra: vt poſſimus ſemper laudare, benedicere, & glorificare te Ieſum Dominum noſtrũ, qui viuis & regnas Deus per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

CAPVT DECIMVM, DIVERSAS CONTINENS GRATIARVM ACTIONES.

Lib. 1 de benef. c. 1.



PTIME *dictum eſt à Seneca; non expedire omnibus notum fieri, quàm multi ingrati ſint: Pudorē enim rei, inquit, tollit multitudo peccantium, & deſinit eſſe loco opprobrij commune maledictum.* Et ſanè *expediret quidem id notum non eſſe, at vitium illud (prô dolor) hoc noſtro tempore adeò vulgare eſt, vt celari ampliùs non poßit. Si vel ſolum naturæ ductum ſequeremur, amaremus hos, qui nos amant, & benefacta benefactis compenſaremus. Videmus enim animalia bruta, tigrides, leones, ſerpentes & dracones hanc naturæ legem obſeruare, vt agnoſcant benefactores, ijsq; pro ſuis viribus gratitudinem referant. Qua re nos homines, nec homines tantùm, ſed*

& Christianos superant. Ferendum aliquo modo esset, si homo in hominem, cuius beneficia & pauca sunt, & vilia, ingratus esset: cæterùm ingratum esse Deo, cuius beneficia tot & tanta sunt, vt nec in nobis, nec extra nos; nec à natura, nec à gratia quicquam boni habeamus, quod non ab illo in nos deriuatur, minimè ferendum est. Præsertim cùm ex sacris literis didicerimus nihil ipsi gratius esse, quàm vt beneficiorum suorum memoria cum gratitudine apud nos viuat in æternum. Nullum enim beneficium in Israelitas olim contulit, pro quo non statim gratitudinem postulauit, & cuius memoriam non voluit esse sempiternam. Patet hoc in exitu de Ægypto; in manna cælitus demissa; in victoria contra Amalechitas &c. At qualia fuêre hæc beneficia, si cum nostris conferamus? quanta inter animam & corpus, tanta est inter hæc & illa differentia. Exod. 13. 16. & 17.

Si itaque pro communibus sibi collatis beneficijs tam studiosè gratias egerint benefactori suo Iudæi, omnino æquum est, vt & nos pro eximijs beneficijs, qualia sunt Creationis, Cõseruationis, Redẽptionis, Vocationis, à malis Præseruationis, diuinarum Inspirationum, Sacramentorum, promissæ Beatitudinis, aliarumq; gratiarum, Deo gratias agamus, idq; non ore tantùm, vt Pharisæus ille, sed ore simul & mente. Adsit in gratiarum actionibus

nostris veritas & iustitia; hæc, vt excludatur omnis superbia, & beneficiorum abusus; illa, vt absit omnis hypocrisis, & mendacium: ne Deo rerum turpium successum adscribamus. Agnoscamus vbique magnificentiam, benefacientis, & beneficium accipientis vilitatem: confiteamur beneficij dignitatem, & affectum fide & prædicatione bonitatis diuinæ ardentem Deo offeramus. Quæ omnia vt diuinus orator meliùs obseruet, sequentes gratiarum actiones ex diuersis nostri Granatensis opusculis studiosè collegimus.

I GRATIARVM ACTIO, *pro beneficio Creationis.*

Granatẽs. Ex adiuncto Memorialis primo, & lib. 1 Ducis pec.

GRatias ago tibi omnipotens æterne Deus, rerum omnium Creator sapientissime & munificentissime, quòd me, cùm nihil essem, creasti, vt essem: non lapis, non serpens, non auis, nõ quadrupes, sed homo ad imaginem & similitudinem tuam factus: imò potiùs ipsa tui & imago & similitudo, substantia scilicet intellectu & arbitrij voluntate prędita, vt habens tecum similitudinem quandam, existendi, viuendi & operandi, infinitę pulchritudinis tuę imago essem & ectypum.

Ne autem creatura tam nobilis statim iterum in nihilum recideret, & penitus mox periret, immortalem creasti me; vt cùm animalia cętera modicum

appareant, & mox diſparent, ego nunquam ad non eſſe redirem, ſed perpetuò viuerem.

Sed parum id tibi Domine viſum eſt, niſi etiam animam mihi tam pretioſam ac nobilem infunderes, vt vix Angelorum cedat dignitati. Boues & oues herbis ac gramine ſatiantur, porci glandibus ac ſiliquis veſcuntur; nec pretioſiora ſunt, quibus aliæ creaturæ nutriuntur, quæ ſi habeant contentæ ſunt: meus verò cibus cæleſtis eſt, & appetitus meus ſatiari non poteſt, niſi immenſa tua Maieſtate. eius enim naturæ, eiuſque capacitatis animam meam creaſti, vt nec cæli, nec terra queant illam adimplere.

O infelix ego homo, quid mundum diligo? quid honores ambio? quid diuitijs inhio? quid voluptatibus immergor? quid quæro quæ hodie ſunt, & cras non inueniuntur? non ſatiant hæ glandes, non ſapiunt iſtæ glumæ, & legumina hæc non nutriunt. Cognoſce, ô anima mea, quæ ſis, quem in vſum creata, quid quærere, & quibus delicijs debeas ſaturari. Solus Deus ſatiare te poteſt: reliqua omnia occupare te poſſunt, ſatiare non poſſunt. Hunc quære, hic ſponſus tuus, hic deſideriorum tuorũ quies, hic vltimus finis tuus. Agnoſce, ô anima mea, dignitatem tuam; agnoſce qualis creata ſis. Rex cuius pulchritudinem ſol & luna mirantur, cuius Maieſtatem cæli reuerentur, & terrarum orbis adorat;

cuius sapientia Angelorum chori illuminantur, cuius bonitate societas supernorum ciuium pascitur, ille te creauit, vt sis eius habitaculum, sedes & sanctum templum eius : ille in sinum tuum semetipsum infundere vult : ille capacitatis tuæ immensæ angulos omnes potest implere. Exurge, exurge, ô anima mea, occurre hospiti tanto; introduc eũ cum
Eccli 24. gaudio in domum tuam, & dic ; Qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo.

Quam animæ meæ dignitatem cùm intueor, Domine, non miror quòd tanto amore illius inebriatus filius tuus vnigenitus sinum tuum deserens, virginis vterum non horruit; triginta tribus annis eam varijs laboribus & doloribus quæsiuit; animam suam pro ea dedit, & pretiosissimo sanguinis sui lytro captiuam redemit : sed meam potiùs miror ingratitudinem, vecordiã & stuporem, qui eandem animam redemptam, nunc denuo tam vili pretio teterrimis Dæmonibus prostituere, & cum tam immundis bestijs fornicari malo, quàm in bra-
Psal. 44. chijs Redemptoris mei, qui speciosus est
Cant. 1. forma præ filijs hominum, cuius vbera meliora sunt vino, cuius nomen oleum est effusum, requiescere.

Corporis quod dedisti mihi fabricam cùm intueor, tot inuenio beneficia tua, quot membra, quot sensus, quot venæ, quot nerui, quot fibræ in illo reperi-

untur, quæ omnia incomparabilem tuam prędicant ſapientiam & bonitatem: in cuius vnius corporis harmonia ſi ſemper philoſopharer, nunquam mihi laudandi te materia eſſet defutura, nunquam dignas ſatis gratias tibi redderem, nunquam debita mea exoluerem pro tot, tantiſque beneficijs; quæ quanta ſunt norunt ij, qui aliquorum membrorum vſu deſtituuntur, aut alia vitioſi corporis affectione laborant.

Immenſas igitur bonitati tuæ, ô plaſtes hominũ, ago gratias, quòd me non cæcum, non claudum, non mutum, non monſtroſum, non maniacum, non epilepticum, aut quouis alio mentis vel corporis vitio deformem creaſti: ſed animum ſanum in corpore ſano dediſti: da etiam, ne vnquam membris, ſenſibus aut animæ meæ potentijs in nominis tui cõtemptum aut vituperium abutar.

Cęterùm, ô Domine, multa adhuc deſunt mihi: nihil enim ſtatim à non eſſe ad perfectum eſſe deducitur: ſed omnia quibuſdam quaſi gradibus ad ſuam perfectionem tendunt. Ea autem perfectio à quo petenda eſt, niſi ab eo, cuius eſt operis initium? Hinc omnes effectus ad ſuas cauſas conuertuntur, vt ab ijs vltimas ſuas accipiant perfectiones, à quibus principium ſuum acceperunt. Sic video, Domine, plantas laborare, & ſe in omnem partem torquere, vt Solem aſpiciant, & radices in terram mittãt: piſces

aqua non exeunt, & pullus vix ouo exclusus, sub alis gallinæ sese abscondit, eamque sequitur quocunque ierit. Hoc cùm faciant omnes creaturæ, in quibus non est intellectus, solus ego non facio, quem tamen ratione præditum creasti. Multa mihi deesse, multaq; obesse quotidie sentio, & inordinata atque insatiabilis appetituum meorum fames edocet me. Sed ego tanquam columba non habens cor, non ad Creatorem meum, sed ad creaturas recurro: non aquam ex fonte peto, sed cisternas mihi fodio, terræ inhio, & eum qui terram fecit, contemno. Vitam quæro in regione mortis, & requiescere volo in rebus inquietis; à creaturis emendicare volo, quod à Creatore petere debeo.

Oro igitur bonitatem tuam, ô misericors Pater & Conditor mi, tolle hanc ignorantiam à me, conuerte me ad te, & conuertar: imperfectum meum vident oculi tui, tu me fecisti, tu perfice: tu opus hoc cœpisti, tu cœptum absolue. Manus tuæ fecerunt me, da mihi intellectum, vt discam mandata tua: aures dedisti mihi, sed ad audiendum fabulas, quàm ad verbum tuum sunt attentiores: oculos dedisti mihi, sed proniores sunt ad curiosa contemplanda, quàm ad consideranda mirabilia de lege tua: manus dedisti mihi, sed ad opera bona facienda debiles sunt: pedes dedisti, sed veloces ad malum, tardi sunt ad bonum. Quid multis?

Psal. 118.

non est sanitas in carne mea: perfice Domine quod in me cœpisti, opus mannum tuarum ne despicias. Da quod deest mihi, quia Creator meus & Deus meus es: tu vita, tu salus, tu victus, tu copia, tu gloria, tu honor, tu pax, tu omnia bona mea es: sine te omnis copia mihi egestas est, qui viuis & regnas Deus per omnia secula &c. Amen.

II GRATIARVM ACTIO, *pro beneficio Conseruationis corporalis.*

GRatias ago tibi summe, omnipotentissime, iustissime, & misericordissime Domine Deus; non tantùm quia creasti me, & cùm non essem ad esse me produxisti; sed etiam quia me ex nihilo factum, ne in nihilum reciderem, conseruasti, & quotidie conseruas: vtrumque enim opus tuum esse credo & confiteor. si enim manus tuæ clauderentur, & ab officio hoc ad ictum oculi cessarent, in nihilum (vnde me creasti) necessariò mihi esset relabendum. Quotquot igitur momenta & temporis puncta habuit, habet, & in posterum habebit hæc vita mea, tot partes sunt huius beneficij.

Granatẽs. ex libro 1 Ducis peccat. & ex Appendice 1.

Gratias ago tibi, ô pie Pater, quòd à conceptione vsque ad natiuitatem me in vtero matris, strictissimo clausum lectulo, inscrutabili quodam modo cõseruasti: ne in visceribus maternis præfo-

catus, fœtusque aut intempestiuè ortus, aut in natiuitate strangulatus, sine baptismatis gratia in mundum prodierim. Gratias ago tibi, quòd natus sum non inter barbaros, & idololatras, qui ligna colunt, & lapides adorant: non inter hæreticos, qui nomen & sacrosancta tua Sacramenta blasphemant; sed inter Catholicos, qui te vera, sincera & pura fide venerantur atque inuocant.

Gratias ago tibi, quòd natum me, viuentemque in hoc mundo tot laqueis & periculis pleno, ab omni infortunio & improuisa morte cōseruasti. Cùm enim me viuente tot homines in mari suffocati, igne consumpti, in bello occisi, à latronibus iugulati, bestiarum dentibus laniati, hiatibus terræ absorpti, fame necati, siti extincti, calore exusti, frigore perempti, veneno corrupti, laqueo strāgulati, ferro trucidati, aut alia repentina morte abrepti sint: cùm interea tot cæci, claudi, rabidi, arquati, dysenterici, lienosi, maniaci, furiosi, lunatici, & caduci effecti sint, quorum vita morte miserior est; tua me Domine paterna prouidentia ab omnibus his malis defendit: cùm tamen illis nihil acciderit, quod non & mihi, filio Adæ, ex eadem perditionis massa creato, in eodemque originali peccato concepto, & genito, accidere potuisset, nisi tu me conseruasses. Tuę hæc omnia gratiæ debeo, tibi hæc accepta fero. Si rex & dominus meus terre-

nus ex decem captiuis, eidem crimini obnoxijs, nouem in crucem egisset, me autem ex pura gratia liberum dimitteret, quas illi gratiarum actiones referrem? id autem tu Domine fecisti mihi non semel, sed quotidie, & quidem singulis momentis.

Quid igitur pro his omnibus retribuam tibi Domine? quas laudes tibi canã? quas referam gratiarum actiones? Dicam cum Propheta; Misericordiæ Domini, quia non sumus consumpti, quia non defecerunt miserationes eius. Thren.3.

Sed corpus dedisti nobis multarum rerum indigum, quæ nisi adsint, facilè corrumpitur & perit: vt autem adessent, singulari tua prouidentia disposuisti. Vt enim nos propter temetipsum, sic omnia propter nos creasti: quicquid enim in terra, in aquis, in aëre, in igne, in sphæris cælestibus, imò in ipso Empyreo cælo creatum est, id omne in obsequium nostrum creasti: omnes creaturæ ministri nostri sunt. Constituisti namque hominem super opera manuum tuarum, Subiecisti omnia sub pedibus eius &c. Psal.8. Mihi frondes & fructus producunt arbores, mihi floret vinea, mihi pinguescit olea, mihi germinat hortus, & omnis agri plenitudo mea est: mihi terra mittit aurum, argentum, & varia vsibus humanis commoda mineralia. Mihi fluit & refluit mare, mihi pisces varios generat, mihi vela nauesque portat. Mihi scatu-

riunt fontes, mihi labuntur flumina; oues, boues & pecora campi pascuntur, pelles, lanasque, lac & butyrum proferunt. mihi canis venaticus vngulas & dentes, mihi monoceros producit cornua. Mihi canit ficedula, mihi pauo versicolores pennas explicat. Quid multis? nihil in aqua, terra & aëre est, mouetur, aut viuit, quod non aut pascit me, aut recreat me, aut medetur mihi: ita vt totus hic mundus inferior, non sit aliud, quàm penuarium meum, viridarium meum, & pharmacopolium meum.

Si supra elementarem mundum ascendam, quot & quanta sunt illic Domine magnalia, quæ fecisti mihi? Luna, Sol, stellæ cui lucent, nisi mihi? cuius in vsum suas in hæc inferiora mittunt influentias, nisi in meum? cui annorum, mensium & dierum tempora variant & dimetiuntur, nisi mihi? Ascendam altiùs, nobilissimos & purissimos illos Angelicos spiritus, qui tibi ministrant, & tibi assistunt, etiam meos esse ministros voluisti, vt me à visibilium & inuisibilium inimicorum insidijs defendant, suis suggestionibus ad omne bonum inducant, mihi in tribulationibus succurrant, orationes meas tibi offerant, & animam meam ex hac vita emigrantem, in conspectum tuum deferant.

Exurge nunc anima mea, exurge, numera si poteris singula hæc beneficia, quibus te quotidie peccantem prosequi

non cessat Deus. Omnia hæc & singula voces quædam sunt, ad laudandum munificum hunc benefactorem inuitantes: non audis, non cognoscis, quis ille sit, qui se tot argumentis tibi insinuat? tot testimonijs cognitum facit? tot muneribus ad se trahit? tāti te fecit, vt omnia tuum in vsum condiderit? qui gregis tui factus est pastor? familiæ tuæ dispensator? corporis & animæ tuæ medicus? Non amabis hunc? non seruies huic? non ages gratias? non laudabis?

Laudare te Domine, & ex totis præcordijs tibi gratias agere cupio: sed in me vnde id possim non inuenio: non enim est laus pulchra in ore peccatoris. Ceterùm quia omnia creasti in vsum & obsequium meum, omnes creaturas inuocabo, vt mecum communem Dominum collaudent, & dicam: Eccli 15.

Benedicite mecum omnia opera Domini Domino, laudate & superexaltate eum in secula. Benedicite Angeli Domini Domino, benedicite cæli Domino. Benedicite aquæ omnes quæ super cælos sunt Domino, benedicite omnes virtutes Domini Domino. Benedicite sol & luna Domino, benedicite stellæ cæli Domino. Benedicite imber & ros Domino, benedicite omnes spiritus Dei Domino. Benedicite ignis & æstus Domino, benedicite frigus & æstas Domino. Benedicite ros & pruina Domino, benedicite gelu & frigus Domino. Be-

Canticū trium puerorum, Daniel. 3. Integrum est, si post singulas benedictiōes addideris, Laudate & superexaltate eū in secula.

nedi-

nedicite glacies & niues Domino, benedicite noctes & dies Domino, laudate & superexaltate eum in secula. Benedicite lux & tenebræ Domino, benedicite fulgura & nubes Domino. Benedicat terra Dominum, benedicite montes & colles Domino. Benedicite vniuersa germinantia in terra Domino, benedicite fontes Domino. Benedicite maria & flumina Domino, benedicite cete & omnia quæ mouentur in aquis Domino. Benedicite omnes volucres cæli Domino, benedicite omnes bestiæ & pecora Domino. Benedicite filij hominum Domino, benedicat Israel Dominum. Benedicite sacerdotes Domini Domino, benedicite serui Domini Domino. Benedicite spiritus & animæ iustorum Domino, benedicite sancti & humiles corde Domino: laudate & superexaltate eum in secula. Benedicite omnes religiosi Domino Deo Deorum, laudate & confitemini ei, quia in omnia secula misericordia eius. Amen.

III GRATIARVM ACTIO, *pro beneficio Redemptionis.*

Ex primo Adiuncto seu Appēdice Memorialis.

GRatias ago labijs, & corde, & omni qua valeo virtute, infinitæ misericordiæ tuæ, Domine Deus noster, quòd me ad imaginem atque similitudinem tuam creatum, & in primis parentibus lapsum, atque perditum, non in perpetuum, vt superbientem Angelum à facie

tua exulare voluisti; sed pro ineffabili tua bonitate me redemisti. Quia me fecisti Domine, debeo tibi meipsum; quia verò me redemisti, deberem tibi plus quàm memetipsum, si haberem. Nihil enim prodesset nasci; nisi redimi profuisset.

Cùm autem nobis non moriendo succurrere potuisses, moriẽdo tamen idipsum efficere voluisti, vt vim dilectionis tuæ nobis ostenderes; minùs enim amasses, nisi quod à nobis tolleres, ad tempus sustinuisses. Tanto autem dignìùs à nobis honorandus es, quanto in digniora pro nobis suscepisti. Quis enim es tu qui pateris? quæ & qualia pateris? pro quo pateris? & cur pateris? Dic mihi Domine, vt mirabile opus hoc & incomparabile beneficiũ suo pondere queam trutinare.

Quid igitur dicam, ô Deus meus, esse te? Dicã quod tu ipse dixisti olim Moysi, Es qui es. Tu es ens infinitum, quod à nemine, pręterquam à temetipso, procedit: & extra te non est ens, habens esse à semetipso; sed à te solo, qui es principium & fons omnis essentiæ. Tu tua omnipotentia fecisti omnia de nihilo: tu tua bonitate conseruas omnia sine alicuius auxilio. Tu tua voluntate (si placeret) omnia redigeres in nihilum. Tu solus es, qui es, & omne quod esse videtur, nihil est, si tecum conferatur. Luna non splendet & stellæ non sunt mundæ Exod. 3.

in tuo conſpectu. Omnis pulchritudo tibi collata deformitas, omnis potentia infirmitas, omnis ſapientia ignorantia, & omnis bonitas eſt malitia. Tu bonus es ſine defectu; ſapiens ſine errore; liberalis ſine acceptione perſonarum; iuſtus ſine ira; munificus ſine detrimento. Tu omnia operaris, & non diſtraheris; ſemper operaris, & non fatigaris: vbique es, & nihil tibi deeſt.

Quid igitur de Maieſtatis tuæ ma-
Pſal. 103. gnitudine dicam? Tu reſpicis terram, &
facis eam tremere: tu tangis montes, &
Iob 38. fumigant. Tu concluſiſti oſtijs mare,
quando erumpebat quaſi de vulua pro-
Pſal. 146. cedens. Tu numeras multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocas: quem dominationes & Angelicæ poteſtates adorant; coram quo altiſſimi Seraphin contrahunt alas ſuas, & pennis ſe-
Pſal. 144. tegunt ſuis. Confitentur tibi omnia opera tua, & ſancti tui benedicunt tibi.
Iob 38. Te laudant aſtra matutina, & tibi iubi-
Pſal. 18. lant omnes filij Dei. Cæli enarrant gloriam tuam, & ſplendorem tuum enunciat firmamentum. Flores agri teſtantur tuam pulchritudinem, terra prouidentiam tuam, mare & fluctus eius tuam maieſtatem prædicant.

Talis ac tantus es tu Domine. Eia nũc liceat mihi dicere, imò ſentire potiùs, quæ & quàm indigna tu tantæ Maieſtatis Dominus pro me tuliſti: Et dum hęc enumero, chori omnes Angelici proci-

dant ante te, & gratias agant tibi pro his quæ ſuſtinuiſti, vt nos redimeres. Tu tam ſublimis & admirabilis de ſummo faſtigio tuæ gloriæ deſcendiſti in hanc lachrymarum vallem, incarnatus & habitu inuentus vt homo peccatis ſubditus. Tu in hoc mundo pro me famem & ſitim, tu ardores ſolis & frigora, tu perſecutiones & dolores, tu tantam pro me perpeſſus es paupertatem, vt cùm vulpes habeant foueas, & volucres cæli nidos ſuos, tu cæli Dominus non habueris vbi caput reclinares. Natus in ſtabulo inter ipſas beſtias, ab ijs calorē halitus emendicaſti, & laceris panniculis inuolutus es: octauo die teſſeram hominis peccatoris in carne tua ſuſcepiſti. Mox tibi mundus perſecutionem mouit, ad terras exoticas & gentem idolorum cultricem fugiſti, & ad hoc noctis ſilentia quæſiuiſti; non te ætatis innocentia excuſauit, nec tenero corpuſculo data eſt quies, nec otioſa fuit delicata pueritia. Creſcente corpore creuere dolores & labores. Quis enim poterit explicare Domine tuas orationes, vigilias, ieiunia, laſſitudines, famem, ſitim, perſecutiones, & iniurias tibi ab inimicis irrogatas? Aduerſum te loquebantur, qui ſedebant in porta, & in te pſallebant, qui bibebant vinum. Quid multis? tam indignis modis tua vita eſt exagitata, vt meritò dicere potueris per Prophetam; Pauper ſum ego, & in laboribus à iuuentute mea.

Luc. 9.

Pſal. 68.

Pſal. 87.

Et hæc quidem in vita ſuſtinuiſti, maiora verò ſunt, quæ in morte & in cruce perpeſſus es. Ibi capta eſt libertas, percuſſa innocentia, ſputis coinquinata pulchritudo, dãnata iuſtitia, illuſa gloria, mortua & crucifixa vita. Papè, quid mirabilius? quid horribilius? quid magis inauditum? Vita moritur, Deus flagellatur, potentia Dei funibus ligatur, imago Patris conſpuitur, Deus denique nudus in crucem agitur, & inter duos latrones toto inſpectante mundo ſuſpenditur? Vlteriùs anima mea progredi nō poteſt, vires eneruantur, & cor meum deficit in me. O altitudinem charitatis, ô profunditatem immenſę humilitatis, ô magnitudinem miſericordiæ, ô abyſſum incomprehenſibilis bonitatis. Si tanta tibi debeam, ô Domine, quia me redemiſti, ecquid dębebo tibi, quia modo tam admirabili, tibique tam duro & arduo redemiſti? O pijſſime Paſtor, ô fideliſſime cuſtos, qui animam tuam pro ouibus tuis, quas defendendas & cuſtodiendas ſuſceperas, poſuiſti; quibus ego muneribus tantum tuum beneficium remunerabo? quibus lachrymis planctum tuum proſequar? qua vita vitam puram & immaculatam tuam imitabor? Plus ſanè Domine Ieſu debeo iniurijs tuis, quibus redemptus ſum, quàm operibus tuis, quibus creatus ſum.

Quòd ſi hæc, Domine, pro Angelis & Archãgelis, pro Cherubin aut Seraphin

toleraſſes, mirandum minùs eſſet. Nunc autem non pro his, ſed pro homine paſſus es. Et quid eſt homo, quòd memor es eius, & filius hominis, quòd hoc modo viſitas eum? Si corpus conſideres, homo animalium omnium eſt miſerrimus; ſi mores, multò miſerior & peior eſt. Ergo ne tu Deus moreris pro filijs Satanæ, omnis honeſtatis & iuſtitiæ corruptoribus, parricidis, & legis diuinæ præuaricatoribus? pro ingratis tibi tuiſque beneficijs, pro tuę voluntati immorigeris, tuæ maieſtatis contemptoribus, tuę gloriæ blaſphemis? Ergóne tu Deus moreris pro titione inferni, cuius cor beneficijs non capitur, minis non terretur, promiſſionibus non flectitur, & pœnis non mouetur? Pro homine, qui contentus non eſt propria & domeſtica ſua malitia, etiam terram circuit, deteriora quærit, beſtiarum naturam induit, peior illis effectus: crudelior tigride, ferocior leone, voracior lupo, venenoſior regulo, callidior ſerpente? Quæ cùm non ſufficiant ad inferos deſcendit, & à Dæmonibus deteſtabilia quæque mutuatur: blaſphemiam, ſuperbiam, inuidiam, & perpetuam cordis obdurationem? Cumque plura non inuenit, ipſe ſibi nefanda peccatorum monſtra excogitat, ſpecies quaſdam gulæ, luxuriæ, aliarumque turpitudinum, quæ nec inter beſtias, nec inter Dæmones reperiuntur. Tu huiuſcemodi portētum dignum ducis Domi

Pſal. 8.

ne, vt aperias super illud oculos tuos? tu pro sentina hac & cauerna serpentibus, viperis & scorpionibus plena moreris, vt sanctifices illam? Deficit anima mea in considerando salutari tuo Domine, & spiritus non est amplius in me?

Genes.18. Quia semel cœpi, loquar ad te Regem meum, & Deum meum, cùm sim puluis & cinis: quid pium cor tuū commouit, quid vicit & expugnauit illud, vt tanta pro tam abominabili creatura patereris? Venabaris inde vtilitatem? expectabas gloriam aut beatitudinem maiorem, quàm habebas? O mera gratia, ô amor sine mercede, ô pura & sincera bonitas, quæ tibi vtilitas ex vnius formicæ obsequio? quis fructus ex salute hominis tibi erat expectandus? Bonorum no-
Psal.15. strorum non eges. Quis dedit tibi, vt
Iob 41. reddas ei? omnia quæ sub cælo sunt, tua sunt.

Luc.1. Quid tibi ergo cum doloribus & miserijs nostris? Per viscera misericordiæ Dei nostri, visitasti nos Oriens ex alto. O pia viscera, ô dulcia viscera, ô viscera facta nobis pelagus amoris & misericordiæ. His visceribus, & non aut vtilitate, aut necessitate motus, nostris doloribus condoluisti, nostri misertus es: vidisti afflictionem populi tui, & apparuisti in rubo inter spinas & tribulos, de cælo descendens, & nostram naturam assumens.

Ne quæso indigneris, Domine, si lo-

quar.

quar. Si tanta vis amoris fuerit ô fons charitatis, vt te coëgerit ad cōnubia tua Maiestate indigna, vt accipere volueris tibi sponsam ex creaturis tuis, an non erat sponsa in terra tua nobilior, & tibi cùm gratia, tum natura propinquior? cur descendere voluisti in terram Philisthijm, qui incircuncisi sunt, atque ex ijs tibi sponsam petere? Cur non potiùs Angelicam naturam apprehendisti? cur deperibas sponsam de gente incircuncisa, quæ te postea tradet inimicis tuis, & occidet te? Quid respondes Domine mi? quid respondes, nisi; Hanc volui, hæc placuit oculis meis, vt ille quondam respondit, qui te præfigurabat Samson? Iudic. 14.

Quas igitur gratias agam tibi Domine pro beneficio hoc incōparabili? quo amore diligam te, qui mihi tam manifestum specimen incōprehensibilis tuæ bonitatis exhibuisti? Quî fieri potest, vt aliquis in mundo reperiatur, qui non diligat te? qui tanti beneficij esse potest immemor? Priùs obliuiscar mei, ô Domine, quàm memoria tanti beneficij mihi excidat. Claui isti, qui manus tuas innocentissimas transierunt, etiam cor meum transfigant; & admirabilis illa permutatio, qua tu mala mea suscepisti in te, & bona tua liberaliter effudisti in me, nunquam de mente mea recedat. Cumque tu toto vitæ tuæ curriculo desiderio magno desideraueris crucem, in

qua moriturus eras, pro me, da vt & ego quamdiu vixero à cruce non abhorream: sed eam cum patientia feram; donec me transferas ad locum illum, vbi mors vltrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor: vbi tecum regnabimus in secula seculorum. Amen.

Apoc. 21. 22.

IIII GRATIARVM ACTIO *pro beneficio Vocationis & Iustificationis.*

Ex Appēdice prima. 1 Pet. 2. Osee 1.

GRatias ago tibi Domine Deus, adiutor meus, & redemptor meus, qui me de tenebris vocasti in admirabile lumen tuū, vt qui eram nō misericordiam consecutus, nunc misericordiam consecutus sim. Quo enim tempore degebam in terra obliuionis, & in regione vmbræ mortis; cùm via mea esset peruersissima, tibiq́ue contraria, tunc tua pietas vocauit me, non solùm fugientem, sed etiam repugnantem; tunc Spiritum sanctum dedisti mihi, & in filium tuum me adoptasti.

Gratiam, quam in baptismate accepi, nequiter abieci, stolam primam laceraui, & quasi filius prodigus omnem substantiam meam dissipaui: templū sanctum tuum, quod sanctificasti in me tibi, prophanaui, erigens in illo turpissimarum voluptatum idola, & variis peccatis polluens illud. Fuit aliquādo tempus, ô Saluator mi, in quo tam cæcus fui, tam perditè vixi, quàm si legem non habuissem,

buiſſem, & Deum eſſe nullum credidiſſem: non eram memor mortis; iudicij & futuræ vitæ non recordabar: lex, iuxta cuius præſcriptum viuebam, erant appetitus mei: ibam in adinuentionibus meis, & ſecundum deſideria mea ambulabam.

Sic anni vitę meę plurimi tranſierũt, quibus in tam denſis tenebris vixi, vt manibus inſtar Ægyptiacarum palpari potuerint. O quàm ſerò te cognoui ęterna lux; quàm tardè oculos meos aperui, vt aſpicerem antiquam pulchritudinem tuam?

Toto hoc tempore obſeruaſti me, ſuſtinuiſti me, expectaſti me, nolens quòd mors repentina me inuaderet. O altitudo iudiciorum tuorum, & magnitudo miſerationum tuarum. Quot homines interea in medio peccatorum ſuorum curſu ſubita morte abrepti ſunt, qui nũc miſerè torquentur in inferno: & ego, qui vnus ex illis eram, tua miſericordia protectus, & in hanc vſque horam ſeruatus ſum. Atat, quid actum fuiſſet de me, ſi illo tempore & me ad diſtrictum tribunal tuum euocaſſes? quàm ego rationem reddere potuiſſem in ſtatu tam periculoſo? O miſericordia mea, & redemptio mea, non minores pro hoc beneficio tibi ago gratias, quàm ſi me inter illos damnatos conſtitutum inde extraxiſſes, atque à tormentis perpetuis liberaſſes. Benedicta ſit patiẽtia tua, cuius

beneficio viuo, & benedicta sit misericordia tua, quæ me tanto tempore defendit & custodiuit.

Neque solùm, cùm ego peccabam, me custodiuisti, sed non raro etiam me tanquam amicum tuum visitasti, dulcibusque & secretis inspirationibus tuis me ad te vocasti; obijciens mihi meorũ peccatorum magnitudinem, huius vitæ breuitatem, alterius æternitatem; tuæ iustitiæ seueritatem, & misericordię benignitatem. In medio mearum iniquitatum illuxit mihi subinde præsentia tua tam efficaciter, vt perseueranti mihi in delicijs meis, & quærenti porrum, cepe & allia Ægyptiorum, vberrimas lachrymas excusseris. Ego peccabam, tu me à peccato reuocabas: ego fugiebam à te, tanquam parum esset mihi perdidisse te; & tu quærebas me, quasi plurimum tua interesset, inuenisse me. Sic multis annis luctando & reluctando viximus, tu benefaciendo, ego malefaciendo & beneficia tua contemnendo. His vocibus vocabas me, his funiculis frustra me trahebas.

Tandem cùm placuit tibi segregare me, & vocare per gratiam tuam, clamorem magnum in aures animæ meæ immisisti, quo veluti leonis rugitu à somno excitasti me, & à morte ad vitam reuocasti. Hæc est illa vox, quam tantopere prædicat amicus tuus Dauid, in virtute confringens cedros, intercidens

Psal. 28.

flam-

flammam ignis, & concutiens commouensque desertum Cades: nō enim minor est potentia, quàm misericordia, qua vti in hoc opere consueuisti. maxima namque misericordia est peccata remittere, & potentia maxima peccatores iustos facere.

O quot & quanta sunt beneficia, quæ pariter cum hoc vno in nos effundūtur? Hîc datur peccatorū venia, datur gratia, datur charitas cum cęteris virtutibus assеclis: dantur denique sancti Spiritus dona atque charismata. Hîc peccator tibi reconciliatur, ex inimico amicus, ex mancipio Diaboli filius tuus, & hæres fit regni tui. Hîc filius prodigus in domum patris recipitur; stola prima, annulus, calceamenta, cęteraque filij ornamenta hîc redduntur. Luc. 15.

Etsi certus esse nequeam Domine, odióne an amore dignus sim, spero tamē id, & omnino de bonitate tua cōfido: sed & conscientia mea mihi testatur, quòd iustificationis gratiæ particeps sum: quare me tibi debitorem, & quidem maximum agnosco. Benedictus itaque sis Domine liberalissime, dator omnis boni, imò tuijpsius: quia viuenti mihi perditissimè dedisti Spiritum sanctum tuum, nutricium, magistrum, tutorem, gubernatorem, consolatorem, & omne bonum meum: ille mihi est diploma adoptionis, arrha matrimonij, & pignus vitæ sempiternæ. Benedictus sit dies il- Eccles. 9.

le, in quo talis hospes animam meam ingressus est, & benedicta hora, in qua ad recipiendum illũ portæ voluntatis meæ apertæ sunt. Ille dies mihi solennis fuit, illo die ex Ægypto profectus sum. Ille dies mihi natalis fuit, in quo filius Dei regeneratus sum. Ille Paschalis, in quo à morte ad vitam resuscitatus, Ille Pentecostalis, in quo Spiritum sanctum accepi.

Iob 3. Maledicat Iob diei natiuitatis suæ, ego huic benedicam. Hic est ille dies, in

Luc. 15. quo lætati sunt Angeli de conuersione peccatoris, in quo exultauit mulier ob inuentum drachma, in quo vicinos conuocauit gaudens pastor ob ouem inuentam; in quo vlulant Dæmones ob prædam amissam. Hic est ille dies, in quo tu Pater me filium agnouisti, Filius verò tuus me fratrem suum; & Spiritus sanctus tuus me sibi templum consecrauit, & Angelorum chori me socium & conciuem suum salutârunt. Si hoc die exultauerint Angeli, & tibi Domine cantauerint, quî poterunt tacere labia mea? quomodo obmutescet lingua mea? quomodo os meum tua laude non replebitur? Quidquid Psalmi & Prophetæ cecinerunt de aduentu Redemptoris mei, id omne tibi cantabo Domine.

Magnum fuit beneficium tuum Domine, quòd me creasti, in eo enim me à nõ esse ad esse produxisti: sed multo maius est, quòd me iustificasti, in hoc enim

me eripis ab esse culpæ, & adducis ad esse gratiæ. in illo factus sum filius hominis, in hoc filius Dei sum constitutus. Magnum est beneficium, quod expecto gloriæ: sed non minus est in suo genere hoc iustificationis. siquidem non minus est ex peccatore facere iustum, quàm ex iusto beatum, cùm inter peccatum & gratiam maior, quàm inter gratiam & gloriam sit distantia. Magnũ quoque, imò maximum est beneficium redemptionis: sed quid profuisset mihi redemptio, si non subsecuta fuisset vocatio & iustificatio? Agnosco igitur, ô Domine, beneficium iustificationis cardinẽ & clauem esse omnium aliorum, sine quo alia non modò non prosunt, sed maioris præbent damnationis materiam.

Sed, ô Domine, quid feceram tibi, vt hęc mihi retribueres? quid obsequij præstiti tibi, vt hanc mercedem mihi redderes? quid in me inuenisti tanto dignum honore & præmio? Nihil in me erat à peccato immune: non te cognoscebam, non te amabam, non tibi seruiebam, nec tui memineram: factus eram abyssus tenebrarum & iniquitatum. Non possum, Domine, non horrore concuti, quoties hæc recolo, nec aliã huius beneficij causam inuenio, quàm tuam bonitatem. Quot fuere sodales mei eiusdem ætatis, naturæ, & impietatis, quorum ego eram peruersissimus, me tamen assumpsisti, & illos repudiasti. in eadem captiuitate

Ægyptiaca detinebamur, & me ad regalem mensam tuam admisisti, illos autem damnasti, & inferni vulturibus carnes eorum vorandas obiecisti.

Hæc cùm recordor, Domine, spiritus ampliùs in me non est, & nescio quomodo laudabo te, aut quas tibi referam gratiarum actiones, pro bono tam incomparabili. Tota vitæ meæ tēpore dicam, Domine, quid vidisti in me? Domine quid vidisti in me? Domine quid vidisti in me amplius, quàm in aliis, quos reprobasti? Vt quid me sic vocasti? sic me liberasti? sic me aspexisti? sic me suscepisti (si modò susceperis) relinquēs tot in peccatis, qui minùs erant mali, quàm ego? Nescio quid dicam, nescio quid faciam, nescio quid retribuam tibi Domine pro omnibus quæ retribuisti mihi? Benedicam, cum Propheta, Domino in omni tempore: semper laus eius in ore meo. dicam cum eodem Propheta; Dirupisti Domine vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis, & nomen Domini inuocabo. Sedenti in throno, & Agno benedictio, & honor, & gloria, & potestas in secula seculorum. Amen.

Psal. 33.

Apoc. 5.

V GRATIARVM ACTIO, *pro beneficio Sacramentorum.*

Ex lib. 7 Memorialis.

ÆTerne Pater dilecti filij tui Domini nostri Iesu Christi, qui es conditor & Rex vniuersæ creaturæ tuæ, tibi gratias ago toto pectore, & omni qua

valeo virtute, quòd ſine vllo meo merito pręcedente, ſola motus tua miſericordia dignatus es lauare me aqua illa, quæ de ſanctiſſimo filij tui latere profluxit, eluens in baptiſmo omnes ſordes animę meæ, meque ab omnium inimicorum meorum, peccati, inferni, Dæmonis, & mortis tyrannide liberans: faciens me templum viuum & S. Trinitatis habitaculum; donans mihi ſpiritum adoptionis, per quem in numerum filiorum tuorum aſſumptus ſum: dans inſuper omnia ornamenta, quæ ad hanc dignitatem requiruntur, vt ſunt gratiæ, virtutes infuſæ, & dona Spiritus ſancti, quibus anima mea vt ſponſa exornata pulchra in conſpectu tuo appareret, munitaque fortitudinem nouam acciperet, qua deuicto generis humani antiquo hoſte triumpharet, & finem ad quem creata eſt, cęleſtis ſcilicet regni beatitudinem, conſequeretur.

Quid tibi, Domine, pro hoc beneficio retribuam? Quid dabo tibi pro eo, quòd in tanta multitudine Barbarorum, Infidelium, Turcarũ, Maurorum & Ethnicorum, qui lapides, ligna & ſerpentes adorant, me Chriſtianum eſſe voluiſti? quodque me recepiſti in gremium Eccleſiæ, in hæreditatem domus tuæ, & in arcam veri Noë, ne cum cæteris in diluuio infidelitatis perirem. Quot animas creaſti Domine eo ipſo die & momento, quo mea creata eſt, quarum quædam in Tur-

ciam, quædam in Indiam, nonnullæ in Barbariam, & aliæ in alias Infidelium terras missæ sunt? eadem profectò sors etiam animæ meæ obtingere potuisset: sed gratia tibi, & gloria, & laus, ô misericordissime Domine, qui non alibi voluisti funiculum meum cadere, quàm in Paradiso, in gremio Ecclesiæ, quæ est domus filiorum tuorum. Da mihi clementissime Pater, dignè in hac domo conuersari, ne tantum beneficium malè in me collocatum inueniatur, & in futuro seculo sors mea infidelium sorte fiat deterior.

Pater sancte, benedico ineffabile nomen tuum in æternum, & glorifico te labijs & toto corde meo, quòd non semel tantùm me in sanguine dilecti filij tui abluisti; sed quòd lateris illius sanctissimi fontē mihi semper offers apertum & scaturientem, vt immergar in illo, & animam meam, quotiescunque peccauero, in eo lotam emaculem. Quid enim aliud est Sacramentum Confessionis, nisi fons limpidissimus, ad eluendas nostras maculas indesinenter fluens? medicina præsentissima, ad sanandas nostras infirmitates instituta? mediumque efficacissimum, per quod tibi ęterno Patri sanguine filij tui intercedente reconciliamur? Ego peccaueram, & damnatio mihi erat proxima: filius verò tuus misertus mei peccata mea in se recepit, flagellaque & sententiam, quæ me ma-

nebat, sustinuit, & in virtute illius satisfactionis Sacerdoti mandauit, vt me ab ęterna pœna absoluat. Quo igitur corde, quo amore, quibus oculis Vnigenitum filium tuum intuebor, qui tanta fecit, tanta & talia passus est pro me? & quid non æquum est vt sustineam vicissim pro illo? Si quotidie oporteret me tormenta perferre, si ipsam gehennam longo tempore tolerare, nil dignum tanto beneficio rependerem.

Non minores tibi gratias ago dulcissime Domine Iesu Christe, amator hominum ardentissime, pro Communionis Sacramenti institutione: est enim hoc Sacramentum Sacramētorum, mysterium mysteriorum, beneficium beneficiorum, & mirabilium tuorum memoria. Hoc est Sacramentum gratiæ, charitatis, amoris, vnionis, deuotionis, remissionis, & omnium bonorum. hîc homo visitatur à Deo; hîc honoratur diuina præsentia; hîc templum viuum corporis Christi efficitur; hîc gratia datur in maxima abundantia; hîc suauitas diuina in proprio fonte gustatur; hîc diuini amoris ardor accēditur; hîc anima verum & legitimum Sponsum suum amplectitur, ex quo mirabili delectatione perfunditur. O quod gaudium, quæ voluptas, quæ dulcedo, quæ vitæ suauitas in anima iusti reperitur in illa hora, qua tremendum hoc & adorandum Corporis tui, ô mellisflue Iesu, Sa-

cramentum ſumitur? Nihil auditur in ea tunc aliud, quàm dulce melos hominis interioris, piorum deſideriorum ſuſpiria, ſuauiſſima gratiarum actionum cantica, & amantiſſimi ſponſi epicedia, amatoriaque carmina.

Hoc Sacramentum reliquiſti nobis Domine, vt ſit viaticum, quo cum ad cælum eſt proficiſcendum: vt panis ſit, qui confortet cor eorum, qui laborant in vinea Domini: vt ſit tuæ charitatis teſtimonium, miſeriarum noſtrarum refocillatio, gratiæ diuinæ canalis, pignus æternæ ſalutis, & theſaurus omnium Chriſtianorum incomparabilis. Hîc renouantur bona propoſita; hîc reuireſcunt bona deſideria; hîc creſcit deuotio; hîc lachrymarum fontes aperiuntur; hîc anima mea te, Chriſte, paſcitur, qui proprium meum es alimētum, ſummumque bonum, quo frui poſſum in hoc ſeculo.

Talia ſunt Domine dona tua, talia ſunt chariſmata & beneficia tua, quæ in his tribus Sacramentis nobis conferre ſoles: pro quibus, vti & pro alijs quatuor, ſi tibi gratias dignas acturus eſſem, tota eſſet in eo vno vita hæc conſumenda, vt nulla de alia reconueniret me cogitare. Da igitur Domine non tam agere gratias tibi, quàm habere; hoc eſt, benignitatis ac munificentiæ tuæ erga me continenter recordari, vt cùm me non experiaris ingratum, pergas dona tua in

me augere, quousque per hæc veniam ad te fontem bonorum omniũ perennem, & totius beatitudinis. Amen.

VI GRATIARVM ACTIO, *pro beneficio Conseruationis spiritualis in vita gratiæ.*

TE adoro, te laudo, te glorifico, tibi gratias ago, clementissime Pater, æterne Deus, ex toto corde meo, pro vniuersis beneficijs tuis. Imprimis verò quòd me, quem nullis præcedẽtibus meritis meis vulneratum curasti, & inimicum tibi reconciliasti, de captiuitate redemisti, de morte ad vitam reuocasti, pro paterna tua cura in hoc felicissimo statu hactenus conseruasti, & adhuc tua gratia conseruas.

Tu solus es Domine, qui creasti me, & ex nihilo fecisti; & tu solus es, qui, quod creasti, conseruas: tu essentiam naturæ quam dedisti, ne pereat, benignè protegis. Tu, solus qui me per spiritum tuum in vitam gratię regenerasti; & tu solus, qui conseruas gratiam, quam contulisti. Per te è peccatis emergimus, per te cõseruamur, ne in peccata recidamus. Si aliquando surrexerim, tu manũ porrigebas; si nunc stetero, tu me tenes, ne cadam. Quotquot bona proposita concepi, quotquot pias inspirationes sensi, omnia sunt ex tuo beneficio. Quoties inimicum vici, quoties malas inclinationes & peruersos meos appetitus refrę-

naui, tuum fuit beneficium. Si enim nemo possit dicere, Domine Iesu, nisi in Spiritu sancto, nec aliquod opus bonum facere, sine te, vti nec palmes fructum facere potest à vite resectus; certum est, si quis fructus ab hoc palmite productus sit, id beneficium esse vitis cui inhæret.

1 Cor. 12.

Si quando ieiunauerim, id à te est: si quid aduersi patienter tolerauerim, tu mihi opem tulisti: si quando propriam voluntatem abnegauerim, tibi id acceptum fero. Si pias subinde lachrymas fuderim, si orationem tibi acceptam fecerim, fateor Domine tuo feci adiutus subsidio. Fateor te omnia opera bona in me operatum esse. Pro omnibus his gratias ago: omnia hæc beneficia ad eum, à quo prodierunt, cum gratiarum actione refero, vt postea fluant vberiùs: tot beneficiorum debitorē me agnosco, quot tibi, Domine, obsequia præstiti in hac vita, si quæ tamen præstiterim.

Quid dicam de occasionibus & opportunitatibus à te mihi ad bene viuendum oblatis? quot concionatores misisti, qui me docerent? quot bonos confessarios mihi dedisti, qui me lapsum erigerent, à peccatis absoluerent, pijs monitis ad meliorem vitæ frugem adducerēt? Quot bonos amicos, quot pios socios, quot bona exempla, quot deuotos libros mihi comparasti, quorum omnium ope ad bonum excitarer, & stimulus ad iustiorem vitam adderetur? Magna hæc

tua

tua ſunt beneficia, ſed maiora tibi debet, qui etiam ſine his profecit: beatus ille, quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum: tanto enim plus ille profecit, quanto tu melior es doctor, & magiſter alijs ſapientior. Pſal.93.

Sed quis poterit enumerare pericula & mala à quibus me liberaſti, ô benigniſſime cuſtos hominum, in quæ ſine te incidere potuiſſem? non eſt peccatum tam grande, quod vnquam fecit homo, quod non poſſit facere alter homo; ſi Creator deſit, à quo factus eſt. Quapropter omnium hominum peccata non immeritò mea appellabo beneficia, in omnia namque illa impingere potuiſſem, niſi infinita miſericordia tua me conſeruaſſet. Quot itaque peccandi occaſiones me ad lapſum impellere potuiſſent (impellere namque Dauidem potuerunt) niſi tu Domine abſtuliſſes eas, meam non ignorans infirmitatem? Non omnes hæc beneficia tua agnoſcunt, ego verò per tuam gratiam agnoſco atque exoſculor. Quoties, ô pie pater, hac mecum vſus es miſericordia? Quoties inimici manus ligaſti, ne me tentare poſſet: aut ſi tentaret, tamen non ſuperaret? Quoties antiquum illum ſerpentem incantaſti, vt licet inter viperas & baſiliſcos ambularem, mihi tamen nocere non poſſent? Quoties mecum per aquam & ignem tranſijſti, ne aut flamma me combureret, aut aqua ſuffocaret? Quoties in me-

dio feruorum mundi huius flammam fornacis Babylonicæ Spiritus sancti rore temperasti, & refrigerasti, ne me consumeret? Quoties æquissima cum ratione dicere potui illud Propheticum; Impulsus sum, euersus sum, vt caderem, & Dominus suscepit me? Si quando steterim, per te steti: si ceciderim, per me cecidi, & tu manum tuam supponebas, ne colliderer: sed & semper in luto iacuissem, nisi tu me erexisses: semper cæcus fuissem, nisi tu me illuminasses. Secundum igitur multitudinem dolorū meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam.

Psal. 117.

Psal. 93.

Quoties ô Domine peccata mea meruerunt iram tuam? quoties meritò potuisses à me manum tuam auferre, sicut ab alijs minùs me ingratis abstulisti, misertus tamen es mei, & non secundum iniquitates meas fecisti mihi? Superbus fui, inani gloria tumidus, mihi gloriam quæ tibi debebatur tribui, ideoq; dignus qui gratia tua exciderem. Ingratus fui, tua beneficia non agnoui, naturæ tribui, quod naturæ debebatur auctori, nec debitas tibi gratiarum actiones retuli. Negligens & ignauus fui in his, quæ ad salutem meam pertinent: ideoque merui, vt talentum meum à me iamdudum ablatum fuisset. In amandis periculis fui temerarius, dignus igitur qui in illa incidissem. Dignus, inquā, Domine sum, qui ob hæc & similia multa iamdudum

à te

à te desertus & repudiatus essem, vt culpa posterioris peccati pœna fuisset prioris: sed tua patientia tanta fuit, vt dissolutæ vitæ meæ turpitudinem dissimulaueris, & ad meas infirmitates oculos tuos occluseris. Vsque huc tãta me cum pietate sustinuisti, & noluisti, vt tuum mihi vsquam deesset auxilium. Oro te Domine, quod incepisti in me perfice; dignare in me non solùm custodire, sed etiam augere munera & beneficia tua, quæ ipse mihi dare dignatus es: perge Domine in hac vita spirituali me innocentem custodire, & ne deseras me, sicut nec hactenus deseruisti.

Dolores conscientiæ meæ, Domine, quibus exagitarer, si me repudiasses, nũc lætus mente, lætus & spiritu in gratiarum actiones & laudum voces conuerto, dicens cum amico tuo; Conuertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi. Quia eripuit animam meam de morte, oculos meos à lachrymis, pedes meos à lapsu. Pro his omnibus beneficijs tuis gratias agimus tibi Domine Deus noster omnipotens, qui es, & qui eras, & qui venturus es, quia magna & mirabilia sunt opera tua, iustæ & veræ sunt viæ tuæ, Domine Rex seculorum. Amen.

Psal. 114.

Apoc. 11. & 15.

VII GENERALIS GRATIarum *actio, ad Iesum filium Mariæ.*

Granatēs. lib.5 Memorialis.

AGO tibi gratias, dulcissime Iesu, quia me creasti ad tuam imaginem & similitudinem, quia mihi corpus hoc dedisti cum omnibus suis sensibus, & quia hanc illi animam infudisti, cum omnibus suis potentijs, vt cum ijs, & per eas te cognoscam & diligam. Da mihi gratiam Domine, ita tibi Creatori & patri meo cælesti seruiendi, vt mortificatis omnibus passionibus & affectionibus meis vitiosis, reformetur in me imago tua, quam tu creasti, & ego tibi in vitæ meæ innocentia similis efficiar.

Ago tibi gratias benignissime Iesu, pro beneficio conseruationis: quia idem ipse tu, qui me creasti, in ista essentia, quam dedisti, me conseruas: sed & gratias insuper ago, quia ad eandem conseruationem creasti omnia, quæ in mundo reperiuntur; cælum, terram, mare, Solem, Lunam, stellas, animalia, pisces, aues, arbores; denique & omnes alias creaturas, quarum quasdam creasti ad me conseruandum, quasdam ad me sanandum, aliquas ad me recreandū, nonnullas ad me docendum, reliquas ad me castigandum. Oro te Domine, da mihi gratiam, vt sic omnibus vtar creaturis in hoc mundo, quemadmodum oportet, & in eum finem, in quem tu eas condisti; hoc est, vt per illas veniam in cognitionem veri mei Dei ac Domini, vt ex ijs admiratio quædam in corde meo

excitetur, & amor ſancti nominis tui accendatur.

Ago tibi gratias Domine Ieſu, pro beneficio redemptionis; hoc eſt, pro incomprehenſibili illa bonitate, & pro ſumma illa miſericordia, qua in me perditum vſus es: pro ardentiſſima quoque illa charitate, qua me redemiſti, deſcendens in terram, vt ego aſcenderem in cęlum: factus homo, vt me faceres Deum: paſſus mortem acerbiſſimam, vt ego vitam haberē beatiſſimam. Ago tibi gratias, pro incarnationis tuæ humilitate, pro natiuitatis tuæ paupertate, pro ſanguine circuncifionis, pro fuga in Ægyptum, pro ieiunio in deſerto, pro vigilijs in orationibus, pro ſapientia in doctrina, pro integritate in exemplis, pro egeſtate denique & humilitate totius vitæ tuæ ſanctiſſimæ. Ago tibi gratias pro oratione in horto, pro ſudore ſanguineo, pro tua captiuitate, pro alapis, pro ſputis, pro blaſphemijs, pro flagellis, pro corona ſpinea, pro veſte purpurea, pro conuitijs, pro felle, pro aceto, pro clauis, pro lancea, pro cruce, & pro morte, quam, vt me redimeres & ſaluum faceres, ſuſtinuiſti.

Ago tibi gratias, ô clementiſſime Ieſu, quòd iam inde ab incunabulis in gremium Eccleſiæ tuæ me recepiſti, in fide Catholica me educaſti, Chriſtianū me feciſti, animam & corpus meum pretioſiſſimo corporis & ſanguinis tui cibo &

potu ſuſtentaſti, atque conſeruaſti. Oro pietatem tuam, concede mihi, vt tu ſolus ſis ſuauiſſimus cordis mei cibus, & anima mea ſemper te ſitiat fontem aquæ viuæ, vt peracto huius peregrinationis curſu, in tua beatitudine liceat mihi gaudere, & guſtare de exundanti flumine deliciarum tuarum, quod procedit de te, qui fons es vitæ & bonorum omnium.

Ago tibi gratias amantiſſime Ieſu, qui vſque in præſentem diem ſine mea prudentia me liberaſti à multis & maximis periculis, tam animæ, quàm corporis, cùm interim dignus eſſem à te negligi, & omnino reprobari.

Ago tibi gratias, quòd cùm ſopitus, ſepultusque in peccatorũ meorum ſtercoribus iacebam, me tanta cum patientia expectaſti ad pœnitentiam, non obſtante, quòd toties te offendi, & ſanctis tuis inſpirationibus reſtiti. Largire mihi Domine, vt in poſterum te ſequar humili cum affectione, cumq; omni promptitudine & obedientia diuinas tuas inſpirationes obſeruem, iiſque morem geram, & omnium viſibilium amorem ex corde meo expellam, vt totus tuæ ſeruituti emancipatus in poſterum nunquam à te diuellar.

Ago tibi gratias, ô bone Ieſu, quòd præter omnia beneficia hæc pro ſalute mea, & in remedium omnium vulnerum meorum tot & tam admiranda inſtitu-

ſtituiſti Sacramenta, & tot ſanctis inſpirationibus me viſitaſti. Denique gratias ago tibi pro beatitudine gloriæ, quam mihi præparaſti, & qua tuo beneficio fruar in ęternum, ſi me meis criminibus indignum illa non fecero.

Hæc ſunt Domine beneficia communia, quorum ego hactenus memini, plurima ſunt alia, quorum memoriam non habeo, & quæ mihi incognita ſunt & occulta; pro quibus non minores tibi debeo gratias, quàm pro nunc commemoratis. Imò tāto maiores, quanto manifeſtiùs in ijs tuæ cognoſcitur bonitatis magnitudo: quia quo tempore ego dormiebam, tu vigilabas ad defendendum me à mille periculis, & infinitis me gratijs onerādum. Quemadmodum igitur æquum, imò neceſſarium eſt, vt à te petam remiſſionem non tantùm peccatorum eorum, quæ mihi nota ſunt; ſed & eorum quæ ſunt incognita: ſic etiam æquum & neceſſarium eſt, vt tibi gratias agam, quas poſſum maximas, nō tantùm pro beneficijs manifeſtis & cognitis; ſed & pro ijs, quæ mihi occulta ſunt & ignota: ideoq́ue te, ô beneficentiſſime Ieſu, adoro, te laudo, tibi pro omnibus, & in omnibus benedico. Da mihi Redemptor mi, vt ſic omnibus his beneficijs impoſterum vti & frui aſſueſcam, ne ſint mihi occaſiones vel ſuperbiæ, vel ignauiæ; ſed maioris humilitatis & gratitudinis: vtq́ue maius in me cultus tui

desiderium accendant, qui viuis & regnas cum Deo Patre in vnitate Spiritus sancti Deus per omnia secula seculorum. Amen.

CAPVT VNDECIMVM, CONTINENS PRECATIONES CATHOLICAS ET Christianas, ad sanctissimam Deiparam & Virginem Mariam, aliósque cælestis patriæ ciues.

ROSARIVM B. MARIAE VIRGINIS.

PRAEFATIO IN SEquens Rosarium.

LVDOVICVS Granatēsis, candide Lector, postquam in quinto suo Memorialis vitæ Christianæ libro modum orandi tradidisset, diuersorum argumentorū orationes subiūxit: inter alias quoque septem deuotißimas ad B. Mariam Virginem, quæ cùm propemodū Rosarij formam referebant, & homines plerique B. Mariæ deuotiores eam sæpe Rosario salutare consueuerint, nos eas orationes resoluimus, & paucis interiectis, absolutum ex ÿs Rosarium confecimus.

SAlue sanctissima Virgo Maria, quæ à Deo in matrē electa es ante omnia secula. Tu es illa beata mulier, de qua Rex cæli & terræ, vt genus humanum redimeret, carnem assumere voluit. Tu es illa pia Mediatrix inter Deum & hominem, cuius intercessione cælum terræ iungitur; quæque alta sunt & sublimia, humilibus conglutinantur. Tu es dux vitæ nostræ, tu porta diuinæ gratiæ, tu maris mundi huius procellosi portus es securissimus. Obsecro te mea Domina, vt peccatorum meorū remissionem, gratiamque impetres, vt ex toto corde meo diligam in posterum, & honorem filium tuum, Dominum nostrum, vnà cum te misericordiarum genitrice. Aue Maria.

Salue Maria, quæ cum intimo cordis desiderio tot seculis ab antiquis illis patribus es expectata; diuersis typis & figuris adumbrata, necnon & manifestis prophetijs, oraculis, & reuelationibus promissa. Recipe me gloriosa Virgo in famulum tuum: da vt & ego sim in numero eorum, quos tu amas, & in tuo castissimo pectore adscriptos habes, quos tu doces, dirigis & defendis in omni eorum necessitate. Aue Maria.

Salue Maria, quæ in vtero matris tuæ ad stuporē vsque speciosa facta es à summo illo Deo, qui te omni perfectionum & gratiarum genere adornauit. O Virgo generosa, Virgo candida, electa ex milli-

bus, ne me repellas Domina, nè reprobus inueniar; sed potiùs audi me miserum ad te clamantem, & pauperem te quęrentem adiuua, qui spem meam in te collocaui. Aue Maria.

Salue Maria, cuius natiuitas tantopere desiderata, & tam diu ab omnibus gẽtibus expectata, noua luce, nouoque gaudio mundum vniuersum exhilarauit. O innocentissima Virgo, fac me innocentem, & tolle à me quidquid purissimis oculis tuis in me displicet. Esto mihi misericors, quia ab ipsis incunabulis creuit tecum misericordia. Aue Maria.

Salue Maria, in quam Deus omnem pulchritudinem corporalem, omnemque gratiam spiritualem copiosè infudit, qua cum te gratam fecit omni populo Christiano. O Virgo gratiosissima pariter & formosissima, oro te, vt intercessione tua anima mea donis spiritualibus ornetur: insere in cor meum viuum castitatis & puritatis affectum, vt in omni re tibi placeam, tuusque sim famulus, atque viarum tuarum imitator. Aue Maria.

Salue Maria, quæ à sanctissimis parẽtibus tuis in templum deducta, Domino es præsentata, eiusque cultui atque ministerio consecrata; vbi vitam vixisti angelicam, in omnibus pia, beneplacẽs, grata & accepta Domino. Da mihi, vt sentiam in me sanctissimæ conuersationis tuæ odorẽ, vt ita per omnia viuam,

ne (quantum fieri poteſt) aliquo modo diſpliceam, aut moleſtus ſim alicui hominum: nullum offendam, nulli ſim ſcandalo; ſed omnes in me conſolationem inueniãt, & ad amorem Dei, mundique contemptum per me prouocentur. Aue Maria.

Salue Maria Virgo, & omnium virginum anteſignana, quæ te totam Deo conſecrans inuſitato exemplo, hilari animo, & deliberata voluntate virginitatem vouiſti. Tu vera imago es caſtitatis & puritatis, cuius caſtiſſima & ſanctiſſima conuerſatio cæleſti quodam lumine videntium te corda penetrabat, in iiſque viuum amorem puritatis & caſtitatis generabat. Oro te, vt à filio tuo mihi impetres veram animæ & corporis puritatem, vt me nulla turpitudo libidinis inquinet; nullum me vitium poſſideat; nulli delectationi ſenſuali aſſenſum prębeam: ſed ſpretis omnibus blanditijs & cupiditatibus carnis, omnis mea voluptas in vnico tuo filio ſemper benedicto conquieſcat. Aue Maria.

Salue Maria, quæ in ſacris tuis ſtudijs & contemplationum exercitijs à Deo ſic inflammari meruiſti, vt frequentiſſimas conſolationes Angelorum miniſterio perceperis, gaudioque admirabili conſcientiæ puritatis perfuſa ſis. Intercede pro me, vt detur mihi amor ſilentij & quietis, cum iugi deſiderio incumbendi meditationibus, orationibus, lectioni-

bus, alijsque exercitijs spiritualibus; idque cum animæ meæ sinceritate & tranquillitate. hæc mea cura, hoc meum sit studiũ, quamdiu habitabo miser in hoc carnis ergastulo. Aue Maria.

Salue Maria, quæ cùm esses virgo, consilio & dispensatione diuina virgini sponso Iosepho desponsata es; ne patiare quæso beatissima Virgo & mater, vt vnquam à te discedam: sed oculis tuis benignissimis me semper obserua. Quẽadmodum enim quem tu iratis oculis intueris, non potest semper viuere: sic ille quem tu benigno vultu aspicis, non potest perpetuò perire. Accipe quęso animam tui amantem, & serua in te sperantem. Esto mihi semper pia, vt te mediatrice gratiam inueniam apud eundem Dominum, qui te matrem elegit. Aue Maria.

Salue Maria, quæ in medio profundissimarum tuarum contemplationum b Angelo Gabriele humiliter es salutata, dum in cubiculo sedes diuinis meditationibus intenta, vbi ab eodem edocta diuinorum mysteriorum facta es particeps. Vtinam omne gaudium meum in te sæpę salutando, tibique continuum obsequium deferendo consisteret. Vtinam tribuat mihi Dominus, ne quid inueniatur in me, quod oculos tuos offendat, oculos, inquam, tuos Angelorum oculis puriores. Pater noster. Aue Maria.

SAlue Maria, quę in castiſſimis tuis viſceribus filium Dei concepiſti; ô beata & felix ſuper omnes fœminas; dic mihi, quod gaudium, quam conſolationem in cordis tui penetralibus ſenſiſti, quanta dulcedine liquefacta eſt anima tua in illa hora, qua viuētis aquę vena, & principium omnis dulcedinis in ſanctiſſimum thalamum tuum intrauit, & puriſſimam carnem tuam induit? Laudo te, & glorifico te Virgo glorioſa; colo & veneror humillimè intemerata illa & intacta tua viſcera, atque obſecro, vt donum puritatis in anima mea creſcat & augeatur. Aue Maria.

Salue Maria, quæ Regem gloriæ tuo clauſum gerens vtero abijſti in montana Iudææ cum feſtinatione, & cognatam tuam Elizabetham viſitaſti. Veni quæſo & viſita quoque animam meam: concede propitia, vt cunctis diebus vitæ meæ fideliter tibi ſeruiam, teque ex toto corde diligam. Aue Maria.

Salue Maria, puriſſima & delicatiſſima Domina, quæ grauida cum Ioſeph ſponſo tuo à Galilęæ ciuitate Nazareth, in Iudæam ciuitatem Dauid profecta cenſum ſoluiſti, quem omnes pendere iubebantur. Da mihi gratiam, vt patienter ferā miſerias huius exilij, ſemperque cogitationes meas ad cęleſte illud domicilium Bethleemiticū habeam eleuatas; vbi verus ille panis vitæ Ieſus Chriſtus, noſtra ſalus, inuenitur. Aue Maria.

Salue Maria, quæ ex itinere fatigata, cùm pariendi tempus venisset, locum in diuersorio, vbi quiesceres, non inuenisti: sed pro puerperij molli lectulo ad stabulum, omnibus ventis, aërisque procellis peruium diuertisti, in eoque Regem cæli, terræque Dominum peperisti. Oro te, vt in memoriam illius gaudij, quo in illa hora viscera tua exultarunt, animæ meæ inordinatos affectus moderêris, nihil vt vitiosè diligam, nullũ peccatum mihi dominetur; imò fac, vt tanquam hospes & peregrinus semper ad æternam illam ciuitatem anhelem, & in solo Deo requiem quæram atque inueniam. Aue Maria.

Salue Maria, quæ sine dolore, aut sine virginitatis tuæ læsione Saluatorē mundi, & gaudium cæli peperisti. Tu simul es Virgo & Mater, tu templum veri Salomonis, tu es arca & sanctuarium Dei; tu porta clausa, quam vidit Ezechiel: tu es hortus conclusus, & cælestis sponsi fons signatus. Impleantur Domina cor meũ, omnesque sensus mei diuina gratia, vt ope illius renouatus, in posterum vitam viuam & tibi, & filio tuo gratissimam. Aue Maria.

Salue Maria, quæ filiolum tuum, pusionem dulcissimum, & fructum ventris tui delicatissimum, laceris fascijs & vilibus panniculis inuoluisti, atque in præsepio reclinasti. Da mihi Domina mea, vt amor tui cor meũ sic occupet, & pul-

chritudo tua ſic animam meam exornet, ne qua in me labes inueniatur: ſed tanquam infans modò genitus efficiar, atque in quacunque tribulatione à te iuuari, tuiſque beneficijs refici merear. ô Domina cum infantulo tuo ad me diuerte, eique in corde meo pręſepe ad quietem ſterne. Aue Maria.

Salue Maria, quæ puriſſimum virginei tui pectoris lac infantulo Ieſu Chriſto propinaſti, eumque niueis tuis brachijs amplexa dulciter oſculatum adoraſti. Concede mihi Domina, vt tribulationibus & miſerijs huius vitæ oppreſſus, ad maternæ pietatis tuæ ſinũ recurram, & ſpiritualis conſolationis lacte tuo beneficio reſocillatus, omnes vani & fallacis mundi huius conſolationes deſpiciam. Aue Maria.

Salue Maria, quæ poſt quadraginta dies Ieſum in templo præſentaſti, vbi ſanctus ille ſenex Simeon eum in brachijs excepit, & dulce illud canticum lachrymis permixtum cecinit, exponens tibi dolores, tribulationes, & perſecutiones filio tuo præparatas, tibique prædicens, quòd gladius doloris tuã pertranſiret animam. Obſecro te mater ſanctiſſima, vt intercedas pro me apud filium tuum, vt me faciat diuturnæ crucis & patientiæ ſuę imitatorem, vt omnes tribulationes, quas mihi immittit, feram patienter, & hoc argumento magnã quam mihi dabit gratiã agnoſcã. Aue Maria.

Salue Maria, quæ ab Angelo admonita, quomodo Rex Herodes instar canis rabidi circumibat, quærens filiolum tuum Iesum, vt occideret eum, patriam deserere & in Ægyptum fugere iussa es. Vt autem isti furori locum dares, media nocte surrexisti, patriam & domum tuam cum paupercula, quam habebas, supellectili reliquisti, & in Ægyptum fugisti: vbi toto septennio inter Barbaros & infideles peregrina & paupercula cum incredibili patientia vixisti. Tribue mihi gratiam, ô Regina cæli, vt in itinere pio tibi indiuiduus sim socius, tuam patientiam, humilitatem & paupertatem imitando, atque in hoc mũdo non secus atque peregrinus viuendo. Aue Maria.

Salue Maria, quæ cum Iesu annos nato duodecim ad templum ascendisti, eumque sine tua culpa perdidisti, & cum maximo dolore atque diligentia quæsiuisti: tandem verò in templo inter medios Doctores sedentem, disputantemque cum summo gaudio inuenisti. Cõcede mihi Virgo benedicta, vt quotiescunque gratiam deuotionis mea culpa perdidero, eadem qua tu diligentia quæram, quærens inueniam, inuentamque maiori cum cura & solicitudine custodiam, vt eiusdem deuotionis ope adiutus ad obsequiũ mei Creatoris sim alacrior. Pater noster. Aue Maria.

SAlue Maria, quæ summa cum diligentia nutriuisti & educasti Seruatorem.

rem nostrum in infantia, teneraque sua ætate: adolescentem verò, & in ætate virili eundem deuotè secuta es, cùm Regnum Dei populo vbique annunciaret. Da mihi gratiam, vt spretis omnibus rebus transitorijs, te diligam, te sequar, & semper ad tuam præsentiam aspirem. Aue Maria.

Salue Maria, quæ ex ærumnis & persecutionibus filij tui incredibiles dolores concepisti, maximamque de ignominiosa illius morte compassionem habuisti. Tribue vt eundem Dominum pro omnibus, quæ amore mei fecit & sustinuit, semper laudem & glorificem, amoreque illius accensus omnibus afflictis & dolentibus condoleam. Aue Maria.

Salue Maria, cuius animam doloris gladius pertransiuit, quando iuxta crucē stabas lachrymis tota perfusa, & pijs, mœstisque oculis tuis crudelissima vulnera, copiosissimumque sanguinem filij tui toto corpore profluentem conspiciebas. Patere, ô Domina mea, vt iuxta crucem tecum semper maneam, deuotaque mente passionem filij tui, Redemptoris nostri colam & adorem. Aue Maria.

Salue Maria dulcissima, quæ eodem tempore stans sub cruce tristissimum illud verbum; Mulier ecce filius tuus, audiuisti; quo dicto filius tuus te dilecto suo discipulo Ioanni commendabat, tibi filium, illi matrem constituens. Audisti & in eodem loco, quòd sitiebat, nec

tibi datum fuit, vt ei modicũ aquæ posses, ne in ipso mortis articulo propinare; imò aceto & felle amarissimo illum vidisti potari. Vidisti insuper & summo cum dolore filium tuum suo Patri spiritum reddere ; filium dico tuum, quem tu tanto amore complectebaris. Denique & sanctissimum eius latus lancea aperiri conspexisti; quod vulnus nõ ille quidem sentiebat, qui mortuus erat; sed purissimum, maternumque pectus & cor tuum excipiebat. quod licet mortuum erat in rebus huius seculi, in dolore tamen & pœnis filij tui charissimi plus quàm viuebat. Per omnes illos acerbissimos dolores oro te, ô Virgo sacratissima, vt vulneres cor meum compassione atque memoria omnium dolorum, quos Redemptor meus pro me sustinuit, meque participem ille faciat omnium fructuum ex illis promanantium, ne vnquam amittam remedium mea culpa, quod ille mihi comparauit sua gratia. Aue Maria.

Salue Maria, quæ depositum à cruce filij tui corpus in gremium tuum mœsta nimis excepisti, summoque dolore singula eius vulnera cõspexisti, liuores, vibices, tunsiones, pũcturas notasti: sordes, sputa, & sanguinis grumas admirata es : præcipuè verò illud vulnus lateris, quo interiora viscera patebant, & ipsum cor apertum videbatur, inspexisti; filij mortem, & tuam deplorans orbita-

tem.

tem. Oro te, ô clementiſſima Domina, ſit mihi vulnus illud lateris vnigeniti filij tui ſemper apertum, vt per illud in arcam admitti, & in corde Domini mei quieſcere mihi liceat. Da vt nihil aliud velim, nihil ſapiam, nihil cogitem, nihil deſiderem, niſi Ieſum, & hunc crucifixum. Aue Maria.

Salue Maria, quæ corpus filij tui aromatibus conditum, & in ſindone munda inuolutum, ad ſepulchrum multis lachrymis & ſuſpirijs comitata es. Ibi theſaurus tuus depoſitus eſt, ibi ſepulchrum lapide tectum, ibi facies tua obſcuriſſima triſtitiæ nube cooperta eſt; ibi filio tuo valedixiſti, occidente iam ſole, domum tuam repetens, noctes, dieſque inſomnes apud ſepulchrum libenter traductura, niſi religio prohiberet. tunc orbitatem experiri, tunc ſolitudinem ſentire cœpiſti. Oro te, ô mater gratioſa, da mihi vt filio tuo conſepeliar, alienus à mundo ſoli Chriſto viuam, meaque peccata defleam, quibus & mortem filio, & matri lachrymas procreaui. Aue Maria.

Salue Maria, quæ incredibili gaudio & conſolatione perfuſa, nouaque mentis dulcedine in triumphali illa filij tui reſurrectione refocillata es: cùm ſummo diluculo inſigne lumen in conclaui tuo reſplenduit, cùm filius tuus incredibili gloria tibi aſtitit, teque & illuſtri ſua præſentia, & dulciſſimis verbis con-

ſolatus eſt. Eia pijſſima Virgo, tuis precibus mihi tribuat omnipotens, vt quomodo Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & ego per vitæ ſanctitatem reſurgam, & in nouitate vitæ ambulem: partem inueniam in reſurrectione prima, ne ſecunda mors habeat in me poteſtatem. Aue Maria.

Rom. 6.

Apoc. 20.

Salue Maria, quæ quadrageſimo poſt filij reſurrectionem die, cum cęteris fidelibus ad montem Oliueti conueniſti, ibique filium tuum, poſtquam eleuatis manibus tibi benedixiſſet, omniaque bona precatus eſſet, in cælum euntem vidiſti, eumque multis lachrymis proſecuta es; & ſi fas credere ſit, ſpiritualibus oculis etiam ſanctos Patres & iuſtos cum filio in triumpho procedentes, Angelorumque choros de cælis ei occurrētes, & cum gloria in cælos deducentes conſpexiſti. O mater gratiæ, per immēſum illud gaudium te precor, concede mihi, vt ſpiritus meus filium tuum in cælos ſequatur, vt poſthac quæ ſurſum ſunt quæram, vbi Chriſtus eſt in dextera Patris, non quæ ſuper terram, & vbi theſaurus meus eſt, ibi cor etiam meum conquieſcat. Aue Maria.

Salue Maria, quæ in die Pentecoſtes Spiritum ſanctum viſibiliter accepiſti, qui ad ſingulas animæ tuę potentias ſua dona diffudit, tam copioſè, vt nihil præter hunc Spiritum mente & cogitatione à te perciperetur: tantum enim tu ſola

ex

ex his charismatibus accepisti, quantum simul omnes. hoc namque filius tuus matri debebat, hoc capacitas tua 33 annis præparata merebatur. O Maria, per illud gaudium, quo perfusa es, visis Apostolis, alijsque fidelibus, qui Spiritûs sancti participes erant, in alios planè viros mutatis (vt qui iam non ancillę vocem, imò ne carceres & mortem metuebant; sed se totos in Dei gloriam & proximorum salutem effundebant) tribue mihi, vt tuis precibus & fauore Spiritus sancti repletus, in Dei, proximique amorem inardescam, & pace atque lætitia interna perfruar. Aue Maria.

Salue Maria, quæ post ascensionem filij quindecim adhuc annis in hoc mūdo vixisti, Christianis solatio, auxilio & exemplo fuisti, nec nō & aliquem Ecclesiæ progressum vidisti: tandem sexaginta tres annos nata moriens in cęlum super omnes Angelorum choros es exaltata, & in regali solio tanquam Regina & Domina omnium creaturarū nunc sedes: te nos Aduocatam & matrem nostram humiliter deprecamur, vt fidelem nostrî curam habeas, atque ante filij tui tribunal sic causam nostram agas, vt, cùm ille venerit viuos & mortuos iudicare, per tuam intercessionem à morte sempiterna liberemur, & à dextris inter eos, qui perpetuò regnabunt, connumeremur. Pater noster. Aue Maria.

SAlue Domina excellentissima, post Deum inter omnes Sanctos sanctissima Maria, quæ cum virginitate matris, & maternitate virginis, admirabili quodam modo Iesum Christum mundi Seruatorem peperisti. Tu es templum Dei gratiosissimum, tu sacrarium sancti Spiritus, tu secretum sanctissimę Trinitatis cubile. Tui filij palma, ô beata Virgo, terræ ambitus continetur: per te viui recreantur, & dulcissimi tui nominis memoria defunctorum animæ refocillantur. Inclina, ô pia Mater, aures tuæ misericordiæ ad orationem vilissimi tui famuli, & sanctitatis tuæ radijs omnem vitiorum meorum obscuritatem discute, vt sic reformatus tibi gratus sim, tuisque oculis benignissimis placeam. Aue Maria.

Salue Maria, reparatrix gratię: quis te non amaret? quis te nō honoraret? quis se tibi non commendaret? Tu es lux nostra in rebus dubijs, tu in mœstis consolatio, in angustijs recreatio, in periculis & tentationibus fidele auxiliū. Tu post vnigenitum filium tuum certa salus es & spes nostra. Beati qui te amant, & per sanctitatem vitæ tibi familiares efficiuntur, & deuoti famuli. Commendo animam & corpus meum tuæ pietati; rege, doce, dirige & defende me, secundum tuam voluntatem, ô vitæ meæ refugium. Aue Maria.

Salue magnificum atrium & nobile

Imperatoris æterni palatium, tu es illa mulier amabilis, pia, prudens, elegans, generoſa, & digna ſuper omnes creaturas honorari. Tu es illa Regina cæli, rutilãs vt aurora, pulchra vt luna, electa vt ſol, terribilis Dæmonibus vt caſtrorum acies ordinata. Da mihi quæſo gratiam, vt in omnibus huius vitæ fortunis ad te ſemper reſpiciam, omnia viſibilia contemnam, pulcherrimasque delicias, & delicatas pulchritudines cæleſtis illius curiæ ſine intermiſſione contempler. Aue Maria.

Salue ſplendidiſſima ſtella, & clariſſima lux Maria, de qua natus eſt Sol iuſtitiæ Chriſtus Seruator noſter. Tu es Virgo ſuper omnem formam formoſa; tu mater ſuper omnem honeſtatem gratioſa; quæ benigniſſimis oculis tuis Eccleſiam filij tui toto orbe diffuſam intueris. Dulce tuum nomen reficit laborantes; ſerena lux tua illuminat cęcos; ſuauis odor virtutum tuarum exhilarat iuſtos, & benedictus fructus ventris tui ſatiat beatos. Tu poſt Deum prima laudem omnem cùm hominũ, tum Angelorum mereris. Ora pro me Domina, vt tuis precibus adiuta Deum Deorũ, & te Dominam Dominarum in Sion videre merear. Aue Maria.

Salue beata Mater, plena ſuperna clementia & conſolatione, qua mediante venit in mundum cæleſtis illa benedictio, æternæque felicitatis gratia in te, &

de te carnem assumpsit; deque tuo ventre, tanquam de thalamo, progressus est Iesus dulcis ille pusio, vnicus ille nostræ salutis auctor suauissimus, pulcherrimus, nobilissimus inter omnes filios hominum. Tu religiosa memoria consolaris afflictos, tu casta contemplatione lætificas sanctos: tu perfecta innocentia adiuuas peccatores. Impetra mihi perfectam cordis puritatem, vt me etiam in album referas eorum, qui digni sunt à te adamari, & ab vnigenito filio tuo diligi. Aue Maria.

Salue Maria Virgo formosissima, salue melle dulcior, balsamo suauior, rosa pulchrior, lilio candidior, & viola suaueolentior: tu es fons Paradisi, puteus aquæ viuæ, thronus veri Salomonis, vas purissimum omni amaritudine carens, & omni dulcedine atque consolatione plenum. Dominus te creauit Virginem sine macula, te elegit ancillam humilem: Dominus te amauit sponsam nobilissimam. Tu es generis humani gloria, tu pulchritudo & ornamentum totius Vniuersi. Ne auertas faciem tuam à me peccatore, imò te precor, ex sordido fac me mundum; ex peccatore iustum, ex ignauo diligentem, ex tepido feruentem, ex arido deuotum. Aue Maria.

Salue sanctissima sponsa almi Paracleti, salue rosa sine spinis, de qua nasci, & cuius lacte pasci, Rex cęlorum voluit.

Salue mater Dei ſpecioſa, fauo mellis dulcior, martyr ex cõpaſſione, lilio candidior. Tu es laus Confeſſorum, tu lux iuſtorum, tu gloria Virginum, & decus Sanctorum omniũ; quæ cęteris omnibus es vita purior, gradu dignior, aſpectu pulchrior, & Deo vicinior. Hanc vnam, ô ſancta Virgo, mihi gratiam impetra, vt te præ cunctis celebrem, cælici fulgoris lampadem, ſanctorum principẽ, prece efficaciſſimam, munere largiſſimam, & almæ Trinitati proximam, in ſempiternis gaudijs videre, teque frui ſine fine merear. Aue Maria.

Salue ſecura ſpes de ſeipſis diffidentium, omnium derelictorum adiutrix potentiſſima, quam tuus filius tanto proſequitur honore, vt nihil eorum quæ petis deneget: ſed omnia præſtet, quæ poſtulas. Tu clauem habes theſauri cæleſtis: tu Cherubin honoratior, tu Seraphin ſublimior. Tu honor & generis humani gloria. Omnes generationes beatam te dicũt, omnes creaturæ tui nominis gloriam prædicant. Tu ſuper omnes Angelorum choros es exaltata. Aue Maria.

Salue Maria lætitia cæli, & exultatio terræ: tu es illa ſereniſſimi luminis mater, quæ amabiliter animas omnium amantium te illuminas. Tu es illa dulciſſima pietatis mater, quæ fideles tuos famulos ad glorioſum cæli feliciter deducis habitaculum: tu es illa columba formoſa, quæ iuxta aquarum fluenta ſedes,

cuius veſtimenta incredibilem ſpirant odoris ſuauitatem. Ad te faciem meam leuo cæli Reginam: ad te oculi cordis mei ſuſpiciũt, in te confidit anima mea; miſerere mei, quia poſt vnigenitum filium tuum, in te omnis mea ſalus eſt repoſita. Aue Maria.

Salue certiſſimum præſidium omnium te inuocantiũ: tu es arx fortiſſima, in cuius meditullio ſecuri ſunt omnes ad te confugientes: tu es fideliſſima propugnatrix omnium te laudantium: tu es lucida nubes appetituum noſtrorum ardores temperans: tu es ros delectabilis noſtræ cupiditatis æſtus refrigerans. Tu es clauis ex gemmis & margaritis conflata, quæ portas paradiſi reſerat. Tu es flos inter ſpinas; tu lilium conuallium; tu lætitia oculorum ad te reſpiciẽtium: tu tota es amabilis, tota delectabilis, tota candida, & tota benigna. Succurre mihi dulciſſima Aduocata mea, & poſt fluctus huius ſeculi perduc me ad portum beatitudinis æternæ. Pater noſter. Aue Maria.

SAlue laus Prophetarum, honor Apoſtolorum, fortitudo Martyrũ, Confeſſorum, & Virginum: tu es palma iuſtitiæ pulcherrima, lilium caſtitatis iucundiſſimum: tu hortus cæleſtium deliciarum amœniſſimus: tu es arca teſtamenti, in qua manna latet abſcõditum: tu es terra benedicta, quæ produxiſti fructum arboris vitę: tu es petra, de qua flu-

xerunt aquæ viuæ riuuli. O Virgo beata, purifica cor meum, & munda illud ab omnibus peccatorum sordibus. Expelle à me quidquid tibi displicet in me, animam meã ab omnibus terrenis affectibus munda, rerumque cælestium amore inflamma, ad gloriam tuam, & vnigeniti filij tui honorem perpetuum. Aue Maria.

Salue gemma pretiosissima, humani generis margarita singularis: tota pulchra es Virgo sanctissima, & macula non est in te: tu es vas electionis, tu gratiarum omnium armarium. Tu fidem Patriarcharum superas, tu scientiam Prophetarum: tu zelum Apostolorum vincis, tu in patientia Martyribus sublimior, tu in temperãtia Confessoribus præstantior, tu in humilitate & innocentia Virginibus excellentior: te totam pretiosissimis gemmis exornatam admiratur & suspicit cælestis curia. Tu es sol clarissimus, qui defectum nullum patitur: in terra viuens illuminasti cælum, & nunc in cælo sedens illuminas terram, mundique tenebras & nubila dissipas. Noli me spernere, ô spes mea; auxiliare, & fer opem huic misero peccatori in sua tribulatione. Aue Maria.

Salue Virgo sacratissima, & inter cũctas mulieres omnis benedictionis genere benedicta: tu es pratum iucundissimum æternis vernans floribus: tu es rosa nitidissima suauitatis odorẽ reddens

inæstimabilem : tu es rutilans stella Iacob, quæ cælum & terram illustras : tu es virga Iesse, quæ mundum lætificas : omnes Angeli tuam mirantur pulchritudinem, omnes faciem tuam videre gestiunt. Aspice Domina lachrymas meas, meaque suspiria exaudi: visita & consolare seruum tuum inutilem, veniamque illi suorum peccatorum exora. Aue Maria.

Salue singulare cæli ornamentũ, salue terrarum optata reparatio. Salue Regis æterni mater, millies felix & beata, tibi omnes ætates, tibi omnes generationes caput inclinant: tuis pedibus se terrarum substernit ambitus; post ineffabilem enim & summam Trinitatem, nil dignius te, nil pulchrius habet cæleste palatium. Dæmones cùm nomen tuum audiunt contremiscunt, & vlulantes tenebrarum quærunt latibula : quia tu caput antiqui serpentis contriuisti. O Maria, insidiatur ille mihi quotidie, & quasi leo rugiens circumit, quærens me, vt deuoret. eia tu me ab illo protege, tu hostem liga, tu enerua, ne vnquam illius obsit mihi ira, lędátve me eius potentia. Aue Maria.

Salue secretum Spiritus sancti cõclaue, diuini Verbi sacrũ tabernaculum : salue mater sanctissima, quæ Angelorũ gaudium, salutemque hominum Iesum Christum peperisti, & in brachijs tuis lacte pectoris tui purissimo nutriuisti,

osculisque, amplexibus & maternis blanditijs fouisti. Oro te Virgo gloriosa, per misericordem illum tuum animum, & per solicitam curam, qua filiolum tuum vnigenitum educasti, vt causam meam coram illo perores, atque impetres mihi, vt omnia peccata mea deleantur, & nomen meũ in libro vitæ scribatur. Adiuua me quamdiu in hoc procelloso mari fluctuo, & ad finem vitæ meæ ad tranquillum cælestis Hierusalem portũ me fac peruenire. Aue Maria.

Salue serenissima ac suauissima Virgo Maria, Tu es illa turtur castissima, cuius pium murmur & gemitus mirum in modũ sancto placuit Spiritui. O Virgo gratiosa, Virgo admirabilis, Virgo speciosa, illumina tenebras interiores animæ meæ lucis tuæ radio, vt vitiorum meorum obscuritate sublata, magnitudinem pulchritudinis tuæ dignus sim contemplari. Aue Maria.

Salue porta Orientis semper clausa, per quam intrauit ad nos omnium filiorum hominum speciosissimus; tu es clauis Dauid, quæ cælum aperis, tu es lex iustorum, & norma credentium. Conuerte ad me beneuolos virginei tui vultus oculos, affectus meos amore pietatis accende, memoriam meam illustra, cor meum purifica, & voluntatem meam in viam diuinorum mandatorum dirige, vt in tremendo Dei iudicio mihi etiam cum cęteris Sanctis aliqua sit portio.

tio. Aue Maria.

Salue ſolitudinis amatrix, & quietis interioris cuſtos. Salue Virgo honeſtate admirabili decora, & ineffabili ſapiẽtia celebris. ô Virgo electa, Virgo inter omnes filias Hieruſalem formoſa. Tu es ſacratiſſimũ diuinitatis tabernaculum: tu es deliciarum hortus, ex quo prodijt flos ille pulcherrimus, Ieſus Chriſtus, animarum noſtrarum Redemptor & Seruator vnicus. Animam meam aduentûs tui claritate illuſtra, vt fallacias huius mundi agnoſcere diſcat, & fugere; ſpiritum meum in pura ſanctitatis tuæ contemplatione ſuſpende, vt æternæ felicitatis dulcedinẽ aliquam percipiat. Aue Maria.

Salue ô generoſa mater ſummi Creatoris, Virgo delicata & ſuauis, da vt vnguentorum & aromatum tuorũ iucundiſſimus odor in nares meas aſcendat: ſpiritus meus te nocte ſentiat, & viſcera mea tecum lætentur interdiu. Da vt cor meum erga te dulciter afficiatur, anima mea te amore diligat intimo, & lingua mea in laudibus tuis occupetur ſine vllo faſtidio. Aue Maria.

Bernard. in Ser. de B. Maria

Salue nobiliſſimum ſanctæ Trinitatis triclinium, filia Dei Patris, genitrix Filij, & nympha Spiritus ſancti: ô Regina cęli, porta Paradiſi, Domina mundi: ô refugium peccatorum, aduocata pauperum, laus iuſtorum. Tu facta es omnibus omnia; ſapientibus & inſipientibus copi-

copiosissima charitate debitricem te facis: omnibus misericordiæ sinū aperis, vt de plenitudine tua accipiāt vniuersi: captiuus redemptionē, æger curationē, tristis cōsolationem, peccator veniam, iustus gratiam, Angelus lætitiā; deniq; tota Trinitas gloriā, filijq; persona carnis humanæ substantiam: nec est qui se abscōdat à calore tuo. Accipe quæso, ô clemens, ô pia, hanc tepidā meam doxologiam, has laudes tuas misericorditer admitte, nec repelle, quas ore, licet impolluto, coram te effudimus preces: sed nos clientes in seruos tuos suscipe: clementia tua nos protege, pietate nos guberna, dulcedine nos solare; largire nobis beneficia, confer remedia, medere contritis corde, pone fortitudinem lugentibus Sion, da coronam pro cinere, oleum pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris. Sonet vox nostra in auribus tuis, ostende nobis hîc faciem miserationum tuarum, & ora pro nobis vnigenitum filium tuum, vt post hanc vitam te stola immortalitatis indutā videamus, regnantem cum Patre, Filio, & Spiritu sancto per omnia secula seculorum. Amen. Pater noster. Aue Maria.

cuius initiū Signū magnum.

ORATIO AD DEIPAram Virginem.

O Gloriosa semperq; benedicta Virgo, qua fronte oratio mea in tuum veniet conspectum, qui gratiā omnem,

quam ſacratiſſima filij tui paſſio mihi comparauerat, mea negligentia, mea ſocordia, mea ingratitudine tam turpiter amiſi. Quia tamen æqua eſt mea petitio, audebo, licet peccator maximus, te vt me audias interpellare.

Quid enim peto à te, ô Regina cæli, quàm vt filium tuum preceris, vt pro infinita ſua miſericordia cuncta crimina mea mihi ignoſcat? Scio quidem hac me indignum gratia, ſed tuis id mihi precibus indulgeat, ne mea culpa pereat, quod ille ad ſuam imaginē creauit. Tu es lux in tenebris, tu ſpeculum Sanctorum, tu ſpes peccatorum. Omnes generationes benedicunt tibi, omnes deſolati inuocant te, omnes iuſti oculos ſuos ad te leuauerunt, omnes creaturæ in te exultāt, Angeli in cælo tua præſentia gaudent, animæ defunctorum in Purgatorio tua interceſſione refocillantur, & homines in terris adhuc exulantes ſpe de te concepta corroborantur.

Omnes ad te clamant, omnibus reſpondes, pro omnibus intercedis. At ego infelix quid agam, vt in tuam me gratiam inſinuem? Peccatum meum me arguit, meritum meū aut nullum aut exiguum timidum me reddit, malitia mea os mihi obſtruit. Nilominus oro te, ô Virgo nobiliſſima, per immenſum illū & lethalem dolorem, quo tuus affligebatur animus, cùm dilectiſſimum filium tuum maledicta Crucis trabe oneratum,

tum, ad locum supplicij prorepere videres, vt omnes inordinatos appetitus, tentationesq; carnis in me occidas: ne ego iniquitate mea perdam, quod ille mihi suo sanguine acquisiuit. Pię istæ lachrymæ, quas vberrimè cruentata legens filij vestigia profudisti, semper in animo versentur meo: vt eas meditanti lachrymarum fluenta oculis meis erumpant, tam copiosa, vt ad eluendas omniū meorum peccatorum maculas abundè sufficiant. Quis enim peccator sine tuo patrocinio audebit coram æterno iudice comparere? qui etsi placabilis sit & patiens in sustinendo & expectando, iustus tamen etiam est, & seuerus in puniendo. Quis iustus adeò, vt in districto illo iudicio tuo non egeat auxilio? Quid igitur fiet de me Virgo sacratissima, si tua intercessione non recuperauero, quod meo peccato perdidi? Magnum quid peto, si mea intuearis crimina; sed exiguum est, si tuam inspexeris potentiā. Nihil est quod ego peto, si conferatur cum illo, quod tu potes dare vel impetrare.

Emenda vitam meam, ô Regina Angelorum, omnia opera mea sic dirige, vt licet indignus, merear à te exaudiri. In me tuam ostende misericordiam, vt omnes boni te laudent, omnes mali in te sperent. Dolores & cruciatus illi, quos tu in amarissima filij tui Redemptoris nostri passione sustinuisti, semper in conspectu meo sint, mecum vigilēt, mecum

dormiant, mei cordis sint solatia. Auxilium tuũ non auferatur à me, pietas tua non deserat me, memoria tui nunquam in me moriatur. Si tu me Domina derelinquas, quis me suscipiet? si tu oblita fueris mei, quis recordabitur? si tu, quæ stella maris es, & peccatorũ ductrix, me non illumines, quò tãdem vadam? quid de me fiet?

Ne ab inimico tentari me patiare: si tentatus fuero, ne cadam: si cecidero, porrige manũ, & me rursum eleua. Quis vnquam te inuocauit, & exauditus non est? quis vnquam rem æquam à te petijt, & non impetrauit? Quis vnquam seruiuit tibi, cui mercedem amplissimã non reddidisti? Da mihi, ô benedicta Virgo, vt cor meum sentiat horrorem illũ, qui te inuasit, quando pretiosissimum filij tui corpus de cruce sublatũ tuis brachijs excipiebas, intuens sanctissimam illam faciem, quam adorãt Angeli, liuoribus, puncturis, tunsionibus, sputis, sordibus & sanguinis eius grumis tam miserè cõmaculatam, vidensque barbaram illam crudelitatem, quam passa erat iusti innocentia, vt satisfaceret pro peccatoris in-
Luc. 2. obedientia. Verè tunc gladius doloris animam tuam pertransiuit.

O Regina cæli, videor mihi videre te sub cruce expansis brachijs, oculis prę lachrymarum multitudine caligantibus, capite in terram demisso, vultu pallido, & tanto animi dolore obrutam, quan-

tum

tum nemo vnquam hominum sensit, aut sentiet in posterum. Hæreant semper in mēte mea verba illa mœstissima, quæ forsitan ad eos dixisti, qui te intuebantur. O vos omnes qui transitis, attendite & videte, si est dolor, sicut dolor meus: vt virtute verborum illorū, merear à te exaudiri. Transfige animā meam illo doloris gladio, qui tuam ipsius animam pertransiuit, quando lacerum & dilaniatum corpus filij tui in sepulchrum intulisti, vt semper & vbique memor sim, me terram esse, & in terram reuersurum: ne me decipiat perituri huius mundi gloria. Da vt semper meminerim, quoties in monumentum, in quo pretiosissimus ille thesaurus erat reconditus, inspexisti, vt ad meas etiam preces respicere non dedigneris. Thren. 1.

Memoria tuæ solitudinis, ô beata Virgo, mea sit indiuidua comes: illam solitudinem dico, in qua mœrens illo tempore sedebas, quo filius in sepulchro quieuit: quo nihil apud te, aut in te viuebat, præter dolores, cruciatus, afflictionesque ineffabiles: quando aquas amarissimarum tuarum lachrymarum bibebas, & cibum tristissimarum rerum recordationis māducabas: vt & ego plangendo peccata mea per tuas istas angustias, quas in his terris sustinuisti, merear aliquando tuā illam videre gloriam, qua nunc in cælesti frueris consortio, & in secula secula seculorū frueris. Amen.

ORATIO AD QVEMuis *Apostolum.*

Collector

SAlue sancte N. magnæ Dei Ecclesiæ Princeps maxime: Salue belli triumphalis dux: Salue cęlestis aulæ heros inclyte, quem Christus Seruator noster de hoc mundo elegit, vt per te mundi infimum & infirmum, ea quæ erant potentissima deijceret. Tu es asini mandibula, in qua verus Samson Christus Iesus Philistęorum fudit agmina: tu vomer, quo Sangarus viros fortissimos interfecit: tu baculus & funda, quibus mysticus noster Dauid gigantem deiecit. per te rudem, indoctum, & simplicem Deus nomen suum per cunctas nationes fama celebrauit, & asperrimam Diaboli tyrannidem euertit. Cùm enim sonus tuus in omnē terram exiret, & verba tua in fines orbis terræ, mundus fuit ædificatus in sinceritate fidei, in bonitate operum fœcundatus, à negligentijs excitatus, ad cælestium cōtemplationem incitatus, & à Dæmonum potestate liberatus.

Iudic. 15.

Iudic. 3.

Tu viuens itaque in carne Ecclesiam Dei tua prædicatione plantasti, & tuo sanguine irrigasti: ideoque coronam triumphalem meritus es; cælum verbo claudis, & seras eius soluis: singularique prærogatiua tibi datum est, quòd in consummatione seculi sedebis cum viuorum ac mortuorū iudice, super sedem tuā, iudicaturus duodecim tribus Israël.

O igi-

O igitur maxime ac fidelissime Dei nuncie, qui non tibi soli vixisti, non tibi soli mortuus es: sed ei, qui pro te mortuus est, & maximè nobis miseris peccatoribus propter illum: Pro nobis enim facit tua doctrina, tua vita, tua mors: Tu enim nobis in conuersatione continentiam, in prędicatione sapientiam, in passione tua patientiam contulisti, & quartum vsque hodie conferre nō cessas, misericordia plenus: quod est sanctarum fructus orationum. Scio enim quòd qui potens fuisti in terra, potentior es in cælis, ante faciem Domini tui. Qui enim, dum hîc adhuc viueres, misertus es peccatoribus, & orasti pro illis, nunc cùm multo veriùs agnoscas miserias nostras, pro nobis non orabis? Beata illa patria tuam charitatem non mutauit, sed augmentauit, imò tibi viscera misericordiæ mouit, qui iugiter ante fontem misericordiæ versaris.

Bernard. Ser. 3. de SS. Petro & Paulo.

Cur igitur non sperabo? cur in tuo patrocinio non confidam? cur precibus preces tuas, & cur deuotis suspirijs tuā intercessionem non implorabo? Eia igitur sancte Dei Apostole N. legationem pro me ad thronū misericordię suscipe; impetra mihi veram fidem, quæ in persecutionibus non frangitur; solidā spem, quæ in tribulationibus non deijcitur; ardentem charitatem, quæ in multifarijs huius seculi negotijs non extinguitur; & perseuerantiam in bonis operi-

bus, ne ad ſiniſtram vel ad dexteram declinem, ſed viam regiam ambulem, donec perueniam ad eum, qui eſt via, veritas, & vita, Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

AD QVEMVIS MARtyrem.

Collector. O Glorioſe Martyr Dei, ô fortiſſime Athleta, ô miles inuictiſſime ſancte N. qui conſtanti & intrepido animo nomen veri Dei confeſſus, ex atrociſſimis pugnis per patientiam & tolerantiã victor euaſiſti: fractum quidem & dilaceratum eſt corpus tuum, & concidit: animus autem triumphans ad originem ſuam lætus euolauit. Quãtus in te tuimetipſius neglectus, imò aſpernatio? minas iudicum non timuiſti, tortorum carnificinam non horruiſti, rimante ferro latera ſacrum è carne tua ebullire ſanguinem lætus aſpexiſti, non aliter corpus, quàm lapidem aut lignũ reſpiciens. Teſtis veritatis factus es, non aſſeueratione ſola, vel iureiurando: ſed ſanguine, vita & aſperitate cruciatuum intolerabili. O beata lingua, quæ ſacram illã vocem emiſit, quam aër excipiens ſacer factus eſt: Angeli audientes plauſerunt: Diabolus cum ſuis dæmonibus magnam accepit plagam, Dominus in cælo deſcripſit.

Quid fiet de nobis miſerrimis peccatoribus, qui vitam in omni mollicie du-

cimus, in delicijs & voluptatibus desides ac securi? qui intolerabile censemus, si quid duriusculum acciderit, aut contra animi sentẽtiam, corpora & animos gestamus delicatissima: nec est tam leue quid, à quo non impatientissimè percellimur. Qua tandem freti fiducia Christi nomen audebimus ferre? illum appellare patrem, & tribunalis illius expectare censuram? Si non coronetur nisi qui legitimè certarit, ecquam nos coronam vel petimus, vel speramus, qui nunquam certamus? qui omne certamen non aliter, quàm rem omnium longè miserrimam exhorremus? 2 Tim.2.

Te nobis, ô sanctissime Christi martyr, Deus proposuit exemplum, vt in te semper, tanquam oculus iaculantis in album animo & cogitatione essemus intenti: teque imitaremur laborantem & pugnantem in mundo, quem sequi cupimus triumphantem in cælo. Quod cùm viribus nostris pręstare nequeamus, eia intercede pro nobis apud Deum pro gratia, vt discamus ex te fidem quærendo acquirere, viuendo excolere, moriendo seruare: discamus plus peccatum timere, quàm gladium: discamus propter vitam magis iustitiam amare, quàm vitam: fidemque & timorem Dei plus, quàm mundi gloriam. Quem tu in media belli tribulatione seruasti, ne nos in securitate pacis perdamus. Anchorã spei & religionis, quam tu custodisti in flu-

ctu, ne nos amittamus in portu:

Nunc veritatē, quam vita & sanguine testificatus es, perspicis, exutus tenebris lucem intrasti sempiternam, tantæque victoriæ præmio perfrueris: vtinam nobis etiam aliquantulum constantiæ & patientiæ, pauxillumque promptę voluntatis à charissimo tibi Christo impetres, vt tum crucem istam tuam magnam atque excellentem cuperemus tecum portare, tum minutas has, quæ in hac vitæ nostræ quietudine ac securitate incidunt, auidè complectamur, libenter & sine detrectatione gestemus. vt quatenus nobis conceditur, laborum atque ærumnarum Christi temporarium quoddam sumamus experimentum, vt regni illius, quod ipse per crucem suam assecutus est, consortes simus in æternitate. Amen.

AD QVEMVIS CONFESSOREM *Oratio.*

SAlue cęlestis curię triumphale decus, ô sanctissime Dei Confessor beate N. singularis amice Dei, & lumen Ecclesię: viuum templum Spiritus sancti, currus Israël & auriga eius: serua populū tuum in sanctitate & iustitia misertus nostri, qui inter tot & tantas miserias memoriam abundantiæ tuæ eructamus. Magna est super te diuinæ dispensatio pietatis, quæ te paruum fecit in oculis tuis, magnum in suis. Festiuitas tua, quæ meritò

Bernard. in vita Malachiæ.

tuis virtutibus votiua impenditur, tuis nobis efficiatur meritis & precibus salutaris. Gloria sanctitatis tuæ, quæ à nobis frequentatur, continuatur ab Angelis, sic erit nobis dignè iucunda, si fuerit & fructuosa. Liceat nobis aliquas te migrante retinere reliquias de fructibus spiritus, quibus onustus ascendisti, qui in tuo hodie tam delicioso conuiuio congregamur.

Vita tua lex vitæ & disciplinæ; mors tua mortis portus, & porta vitæ: memoria tua dulcedo suauitatis, & gratiæ: præsentia tua corona gloriæ in manu Domini Dei tui. O oliua fructifera in domo Dei, ô oleum lætitiæ vngens & lucens, fouens beneficijs, coruscans miraculis; fac nos eius, qua frueris, lucis, suauitatisque participes.

O odoriferum lilium in æternũ ante Dominum germinans, florens & spargens vbique viuificum suauitatis odorem: cuius apud nos memoria in benedictione est, apud superos præsentia in honore: da salutantibus te & inuocantibus tuam intercessionem, tantæ plenitudinis participio non fraudari. O luminare magnum, & lux in tenebris lucens, signorum radijs & meritorum, illuminans carcerem, & lætificans ciuitatem, fuga de cordibus nostris virtutum splendoribus tenebras vitiorum. O stella matutina, eò cęteris clarior, quò diei vicinior, similior soli: dignare præire

nobis, vt & nos in lumine ambulemus, quasi filij lucis, & non filij tenebrarum.

Ex Lodouico Viue.

O aurora diescēs super terram, quàm multos exemplo vitę, quàm multos verbis & oratione, quàm multos precibus adduxisti ad meliorem frugem, & lucrifecisti Christo? Quantum erat solatium hominibus in rebus suis aduersis, vel ex sola tua (cùm viueres in terris) præsentia? quum se innixos tibi populi existimarent, quasi columnæ firmissimæ, & habere se quodammodo Christum ante oculos corporis præsentem? Nunc solutus hoc carcere miserrimo, lætus, securusque reuolasti in patriam: non iam malis vrgeris ampliùs vitæ huius, nec infestaris à Satana, nec solicitaris varijs artibus, vt desciscas à Christo: nos hîc iactamur tot casibus, fluctuamus inter vndas præsentissimi periculi; ora Patrē cælestem, cui nunc inseparabiliter coniunctissimus es, vt nos istuc quoque vocet: imò siue vltro, siue renitentes pertrahat. vt vnum & tecum simus, & cum illo, præstante Domino nostro Iesu Christo, cui laus in secula seculorum. Amen.

AD QVAMVIS VIRGINEM *Martyrem*.

Collector.

GAude, ô Christi martyr inuictissima, & virgo sanctissima N. duplici nobis veneranda titulo, quæ non côtenta vir-

ta virginitatis puritate, huic addere voluisti martyrij constantiam. Quare te mater Ecclesia meritò vniuersum per orbem terrarum veneratur, festum diem tibi cum canticis agens, & corollas purpureis ex rosis, candidisque lilijs contextas offerens. In te licet vasculo fragiliori potentiam suam Deus ostendit: per te Reges & Principes cum omni inferorum atque huius seculi tyrannide conterens. Tu tenerrima Virgo iudicem non timuisti, sententiam eius spreuisti, minas & verbera irrisisti.

Simul vt tuba tyranni insonuit, ad prælium, agonemque te quàm ocyssimè præparasti: verbera tibi amœnissimæ rosæ fuerunt, tormenta coronæ, carcer obscurus ridētibus plenus floribus ager. Torpebant cruciādo lictores, manus eorum vt cera defluebāt; tu verò adamante durior, robustior leone, & immota rupe constantior permanebas. Luxata cuncta membra & contrita erant, sanguis toto corpore copiosus erumpebat, corpore quidem stabas exanguis, sed animus stabilis omnino perseuerabat, & inuictus. Non enim posuisti oculos tuos in tormētis, sed in paratas tibi à sponso tuo coronas defixisti. Totius mundi tempestas, & omnium tormentorū genera fidem Christo semel datam labefactare non potuerunt. Fortis enim vt mors erat tua dilectio, imò morte fortior; quæ mortem, omniaque mortis ar-

ma atque instrumenta fortiter prostrauit, & inuicta deuicit.

Ideo meruisti in summi Regis aulam manibus Angelorum deportari, vbi nūc fulges coronata, vbi ludis inter virgines & puellas, quæ annos suos sanctis moribus transscenderunt, palmamque martyrij per fidei constantiam rapuerunt: vbi dispar est gloria singulorū, sed communis est lætitia omnium.

Nos miseri, qui adhuc in hoc procelloso mundi pelago fluctuamus, adeò debiles sumus, adeò infirmi & molles, vt vel leuis aura, vel exigua commoditas, turpis cupiditas, aut breuis voluptas à Christi sponsi tui charitate abstrahat; propter res penè pueriles & ludicras pietatem & iustitiam prodimus. Quare, ô Virgo sanctissima N. per inuictum illud robur tuum, per ipsum te rogo, qui te elegit, qui te talem fecit, de cuius pulchritudine iam satiaris, de cuius immortalitate iā immortalis facta es, esto memor nostri, & deprecare pro nobis communem Dominum nostrum Iesum Christum, vt immotam nobis tribuat fidei constantiam, & charitatem, à qua nec bonorum temporalium iactura, nec popularis auræ metus, nec voluptatis titillatio, nec cupiditas aut animi vlla perturbatio separet: sed quæ inter omnes terrores & minas huius seculi, inter omnes tentationes Diaboli, inter omnes illecebras carnis maneat illæsa & inte-

gra; donec perueniamus ad illam patriam, quæ tranquilla est, quæ nec hostem timet, nec vllo metu mortis afficitur: sed de perpetuæ gloriæ incorruptione lætatur, vbi tu cum Christo viuis & regnas per omnia secula seculorum. Amen.

ORATIO AD QVAMVIS *Virginem non Martyrem.*

SAlue castissima Virgo, beatissima N. quæ ab ipsis incunabulis corpus tuum Christo consecrasti, & in hoc mundo inter homines non humanam, sed Angelicam vitam duxisti; in carne viuens, sed nullum carnis habens consortium: Ideo sibi sponsam elegit Dominus. Nobilitatem huius seculi, pulchritudinemque humanam contempsisti; sed genere & dignitate nobilior quouis homine Christus te annulo fidei suæ subarrauit. Diuitias & pompā huius seculi aspernata es, sed gemmis & auro ornauit te altissimus. Dexteram tuam & collum tuum cinxit lapidibus pretiosis, tradidit auribus tuis inæstimabiles margaritas, vernantibus & coruscantibus gemmis circundedit te.

Ipsi soli fidem seruasti, ipsi te tota deuotione tradidisti. Audisti & vidisti, & inclinasti aurem tuam: oblita es populum tuum, & domum patris tui, quia nec alium amatorem aspicere, nec eum derelinquere voluisti, cui te æterna charitatis copula deuinxeras. Ideo concupiuit Psal. 44.

Rex ſpeciem tuam: præparauit tibi Dominus coronam in æternũ, & thronum ſuum in te collocauit: cum lampade & oleo Sponſo occurriſti, & cum Angelis in Paradiſum ad nuptias Agni admiſſa, ſequeris illum quocunque ierit, & canticum cantabis, quod nemo cantare poterit, niſi quę ſe ab omni carnis pollutione mundam ſeruauerit.

Matt.25. Apoc.14.

Magna fuit, ô ſanctiſſima Virgo N. fides tua, magna dilectio: ſed maior merces, quam cum mundo decertando tandem conſecuta es. Eia Virgo impetra nobis gratiam ab eo, cui ſeruiuiſti, quem ſuper omnia dilexiſti, in cuius amplexibus nunc molliter quieſcis, vt templum Spiritûs ſancti, quod nos ſumus, omni diligentia cuſtodiamus, ne immundis actibus, obſcœnis cogitationibus, aut impuris verbis polluamus. Ne in nobis caro dominetur, aut corde luxuriemur, ſi opere, quod volumus, implere non liceat. Impetra mihi gratiam, vt purũ me ſeruem atque immunem ab omni opere carnali, vt ſi ſupremũ virginitatis gradum attingere nequeam, ſaltem vt proximum conſequar, & in impuritate mea me purum contineam, nec vnquam cò perueniam, vt vita mea beſtijs, quàm homini ſit ſimilior. Ora pro me Chriſtum Sponſum tuum, vt fortitudinem mihi conferat, qua carnem ſpiritui ſubijciam, eius deſideria in me occidã, & iam non ſecundum carnem, ſed ſecundum ſpiri-

tum ambulem: tollat à me omnes peccandi occasiones, & det, ne cùm voluntas prompta sit, caro per infirmitatem labatur.

Scio quidem ardua esse quæ peto, & supra hominem posita: nihilominus cùm considero diuitias, nobilitatē, pulchritudinem, ætatis florem, cęterasque, quas habuisti, peccandi occasiones; & cùm considero summam in te animi, corporisque puritatem, Virginitatisque immobilem constantiam, non diffido, imò potiùs cōfido, quòd tu, quæ eiusdem mecū naturæ, id tibi à summo Deo impetrare potuisti, etiam mihi impetrabis nunc ad orationum tuarum præsidium recurrenti; quatenus mihi detur in hoc seculo puritas mentis & carnis, post hanc verò vitam æterna illa beatitudo, qua tu nūc frueris cum Sponso tuo, Domino nostro Iesu Christo, per omnia secula seculorum. Amen.

ORATIO AD QVAMVIS S. *Viduam aut Coniugatam.*

PVlchra facie, sed pulchrior fide es, ô beata N. quæ in sexu fragili manum ad fortia quæque mittēs, sic in hoc mundo vixisti, vt cælestis patriæ desiderium nunquam amiseris: sic carnis voluptates tēperasti, vt virtutis asperitates nunquam subterfugeris: sic virum habuisti, quasi non habueris, sciens quia præterit figura mundi huius. Tu licet viro subdita ser- *Collector.* *Prou. vlt.* *1 Cor. 7.*

ta ſeruiebas, non carnaliter, ſed ſpiritualiter alium amatorẽ habebas, cui Eccleſia ipſa (cuius tu membrum eras) coniunx eſt, quæ fidei, ſpei & charitatis integritate non in ſolis virginibus ſanctis, ſed & in coniugatis & viduis tota virgo eſt. Nulla tibi maior cura, nulla ſolicitudo familiarior, quàm vt huic Sponſo placeres, corporeque & ſpiritu ſancta eſſes.

Tu gloria Eccleſiæ, tu lætitia Angelorum, tu magnificentia cælorum, quia feciſti viriliter, & confortatum eſt cor tuum. Manum tuam aperuiſti inopi, & palmas tuas extẽdiſti ad pauperem: oculus fuiſti cæco, & pes claudo: mater orphanorum, & conſolatrix viduarũ. confidebat in te cor viri tui, & filij tui te prędicabant: os aperiebas ſapientiæ, & lex clementiæ ſemper erat in lingua tua. Semitas domus tuæ cõſiderabas, & panem otioſa non comediſti. Ideo auris audiens beatificabat te, & oculus videns teſtimonium reddebat tibi. Dedit tibi Dominus de fructu manuum tuarũ, & laudant te in cælis opera tua: Dominus confortauit te, & eris benedicta in ſecula.

Obſecro te per tuam charitatem, quæ ſecura es de te, eſto ſolicita de me: ſecura es de tua immarceſcibili gloria, eſto ſolicita de mea multiplici miſeria. Ora pro me Deum & tuum & meum, vt reſecet in me temeritatem iniquam, infrunitos

carnis motus, omnemque voluptatis cupiditatem: auferat desidiam & pigritiam, mentis hebetudinem, cordis obstinati cæcitatem, inobedientiam bonis consilijs repugnantem. Det mihi misericordiæ opera, pietatis studia, vt compatiar afflictis, neminem despiciam, bonos sequar, à malis recedam; largiatur mihi in aduersis patientiam, in prosperis continētiam. Det denique vt magno animo terrena hæc contemnam, & toto pectore cælestia quæram, ad eaque tuis precibus tandem perueniam, per Christum Dominum nostrum. Amen.

CAPVT XII.

PRECATIONES DEPRECATORIÆ, QVIBVS PRO euitandis malis spiritualibus & internis diuinam opem imploramus.

Quot tentationibus exposita sit vita nostra & quàm necessarium nobis sit diuinum auxilium. 1



Otum fac mihi Domine finem meum, & numerum dierum meorum indica mihi: Nunquid non paruitas dierum meorum finietur breui? tædet enim animam meam vitæ meæ.

Collector. Ex meditat. B. Bernardi. Psal. 38. Iob 10.

Quæ

Quæ namque hæc vita est, vbi non desunt continuæ tribulationes? vbi plena laqueis & hostibus sunt omnia? Vix vna tentatio recedit, & alia mox succedit: sed adhuc priore durante conflictu, alij plures superueniũt & insperati. Adiuua me igitur Domine Deus meus, quoniã inimici mei circundederunt animam meam: hinc corpus, illinc Diabolus, istinc mundus instant, & vim faciunt, quęrentes animam meã. A corpore fugere non possum, nec ipsum fugare: circumferre illud necesse est; quoniam alligatum est mihi: perimere non licet; sustentare cogor; & cùm illud impinguo, hostem meum aduersum me nutrio. Mundus circumcingit & obsidet me vndique, & per quinque corporis fenestras, visum, auditum, gustum, odoratũ & tactum, sagittis suis me vulnerat, & mors intrat per fenestras meas in animã meã. Diabolum videre non possum, & ideo minùs mihi ab eo cauere: tetendit arcum suum, & in eo parauit sagittas suas, vt vulneret me repentè: narrauit vt absconderet laqueos suos, & dixit; Quis videbit eos? Quocunque me verto, nulla securitas est. Caro suggerit mihi mollia, mundus vana, Diabolus amara. De somno, de potu, de cibo, cęterisque ad carnis curam pertinentibus loquitur mihi caro: De ambitione sęculi, de iactantia, de arrogantia, de superbia mundus mihi fabulatur: ad iram verò, malitiam & amaritudinem

animi Diabolus me prouocat.

Ecce infideles & subuersores mecum sunt Domine, & cum scorpionibus habito. Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est, habitaui cum habitantibus Cedar: multùm incola fuit anima mea. Et in hoc tam sæuo discrimine nihil in me, quò confugiam, inuenio. Cor enim meum vanum est, vagum & instabile: omni mobili mobilius, per infinita distrahitur, hac atque illac per innumera discurrit; & dum per diuersa currit, requiem non inuenit. Sicut enim molendinum velociter currit, & nihil respuit, sed quicquid imponitur molit; si autem nihil apponitur, seipsum consumit: sic cor meum semper est in motu, & nunquam requiescit. cogitatio amara turbat, immunda maculat, vana inquietat & fatigat illud. Dum futurum non curat gaudium, nec tuum quærit auxilium, ab amore cælestium elongatur, & amore terrestrium occupatur. Cumque elabitur ab illis, & inuoluitur istis, vanitas illud recipit, curiositas deducit, cupiditas allicit, voluptas seducit, luxuria polluit, torquet inuidia, turbat iracundia, cruciat tristitia: sicq; miseris casibus submergitur omnibus vitijs, & vilis quandoque res est, vnde grauis tentatio prouenit. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? In his omnibus succumbo Domine, nisi tu me adiuues.

Ezech. 2. Psal. 119. Rom. 7.

Miserere igitur, miserere mei Domimine, & eripe me de luto, vt non infigar. ne permaneā deiectus vsquequaque. Eripe me de inimicis meis Deus meus, & ab his qui oderunt me, quoniam confortati sunt super me. Sed tu Domine libera nos de laqueo venantium, & à verbo aspero, vt confiteamur tibi dicentes; Benedictus Deus qui non dedit nos in captionem dentibus eorum. Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium. Laqueus contritus est, & nos liberati sumus.

Psal. 58.

Psal. 123.

2 Ex Belgico manu scripto.

Contra quamlibet tentationem.

VIdes, ô benignissime Pater, summum in quo versor periculum: vides insidias quas mihi struunt inimici mei, & violentiam quam exercent in me, vt me, ô pie Pater, è numero tuorum rapiant filiorum, & me ouiculam tuam ferocissimorum tradant dentibus luporum. Supplex igitur te oro, pro paterna tua charitate, adiuua me, & corrobora me, quoties videris me periclitari: vt videant inimici mei, quia Deus meus es, & quòd frustra persequūtur me, fortiorem se: quodque nil aliud proficiunt his suis machinationibus, quàm vt me tibi reddant chariorem, suasque insidias mihi faciant manifestiores, consiliaque magis execranda.

Infirmitas quidem mea pacē & tranquillitatē optaret, (quomodo enim ho-

mo imbecillis & fragilis hoſtes tam potentes, mundum ſcilicet, Diabolum, & omnium periculoſiſſimum corpus meum non metuã?) tamen, cùm non ignorem, Pater, tentationes nobis adeò vtiles eſſe, & ſalutares, vt in ijs exultare debeamus: nil aliud te peto, quàm vt ante omnia multitudinem peccatorum meorum auferas, quæ immenſo pondere ſuo non tantùm nauiculam meam deprimerent, ſed opem etiam & auxilium tuum à me auerterent. Audiam in meis tentationibus, quod olim audiuit Paulus tentatione circumuentus; Sufficit tibi gratia mea. O Domine, ſi iſtud non denegaueris mihi, dicam cum Propheta: Dominus illuminatio mea & ſalus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? Si conſiſtant aduerſum me caſtra, non timebit cor meum. Si exurgat aduerſum me prælium, in hoc ego ſperabo.

2 Cor. 12. Pſal. 26.

Ecce Pater mi, quàm imperterritos faciat nos tui fiducia, & quàm timidos reddat nos peccatum: ſcriptum eſt enim; quòd fugit impius nemine perſequente: videnſque orientem Luciferum, mortis eſſe vmbram arbitratur. Tolle igitur à me peccata, quæ timidum & pauidũ me efficiunt; & largire mihi gratiã tuam, ſi omnino non expediat mihi vita, quæ ab omni tentatione immunis eſt; vt impugnationibus quibuſcunqne fortiter reſiſtam, maiorique cum deſiderio ad cæle-

Prou. 28.

ſtem

ſtem illam patriã anhelem; vbi nec tentatio ſolicitat, nec dolor cruciat, nec tribulatio affligit: vbi tu cæleſtis Pater cum Filio & Spiritu ſancto viuis & regnas Deus per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

3 *Contra tentationes Diaboli.*

Ex cap.16 Soliloq. D. Auguſtini.

DOmine Deus, creator & conſeruator generis humani, en iterum inſtat funeſtus ille Draco, ſerpẽs antiquus, qui ortus eſt in Paradiſo voluptatis, qui cauda ſua trahit tertiam partem ſtellarum cæli, & eas mittit in terram: qui veneno ſuo corrumpit aquas terræ, vt bibentes homines moriantur. Et quis defendet me à morſibus eius? quis eruet me ab ore eius, niſi tu Domine, qui confregiſti capita Draconis magni? Adiuua me, prætende Domine ſuper me alas tuas, vt fugiamus ſub eis à facie Draconis huius, qui me perſequitur, & ſcuto tuo libera me à cornibus eius. Hoc enim eſt continuum ſtudium eius, hoc vnicum deſiderium eius, vt animas quas creaſti deuoret. Et ideo Deus meus clamo ad te, libera me ab aduerſario meo, quotidiano: qui ſiue dormiam, ſiue vigilem, ſiue comedam, ſiue bibam, ſiue quid aliud agam, omnibus modis inſtat die ac nocte fraudibus & artibus, nunc palàm, nunc occultè ſagittas venenatas contra me dirigens, vt animam meam interficiat.

Apoc.12.

Sed

Sed tu Leo inuictissime de tribu Iuda, adde militi tuo robur aduersus Leonem rugientē, qui oberrat semper, quærens quem deuoret. Tu Serpens ille salutifer, in sublimi fixus stipite, adde paruulo astutiam, aduersus callidissimi Serpentis insidias. Tu Agnus ille niueus, Satanicę tyrannidis expugnator, da ouiculæ tuæ vires spiritûs tui, vt in se fragilis, in te fortis, superet omnes Diaboli assultus, ne de me glorietur hostis meus: sed per te victor gratias agam tuæ misericordiæ, quæ tibi fidentes nunquam destituit. Amen.

Contra tentationes mundi.

VIm patior Domine Iesu Christe, vim patior: veni, vindica me ab aduersario meo, & libera me. Nonne tu dixisti; Confidite, ego vici mundum? Vnde igitur mundo vires hæ, vt in Electos tuos sic sæuiat? ferro & flamma persequatur omnes, qui non relicto te, venerantur & adorant ipsum? Vt quid tam latè dominatur inter eos, quos tu de mūdo elegisti, vt essent tui? præsertim in hac delira senescentis ætate, in qua potentiam ipsius decrescere, non crescere oportebat? Vbique regnat diuini verbi contemptus, ingratitudo, luxus, crapula, illicitę voluptates, & omnium rerum abusus maximus: & qui hæc sectari noluerit, in derisum habetur, & similitudinem improperij: vita eius æstimatur, 4 *Collector.* *Ioan.16.* *Sap.5.*

insania, & finis eius sine honore. Grauis est mundo ad videndum, quia dissimilis est alijs vita illius.

Hæc sæpe pulsant animos nostros Domine, & penè mouent pedes nostros, vt relictis vijs tuis duris, in partes mundi transeamus, qui nobis omnia felicia, iucunda, dulcia & amœna pollicetur: placido nobis arridens vultu, & huius seculi diuitias, honores & voluptates plenis manibus offerens. Sed tu Domine segrega me de caligine, dolis & turpitudine mundi huius. Illumina oculos meos, vt videam & intelligam, quàm breuis, quàm incerta, quàm fallax, quàm cæca, quàm periculosa sit huius domini felicitas. Conserua me in agnitione nominis tui, ne in hac auara & ebria mundi ætate inuoluar curis secularibus, quæ animos ab exercitijs pietatis abducunt, & motus à Spiritu sancto excitatos suffocant.

Da mihi Domine, vt mundus mihi sit crucifixus, & ego mundo: nequaquam illi placere studeā, ne dum amicus mundi factus fuero, meipsum inimicum tuum constituam: eius odia & conuicia nihili faciam, eius iudicium peruersissimum facilè contemnam, sciens quia in nullo gloriari oportet, quàm in cruce tua Domine, qui viuis & regnas cum Patre & Spiritu sancto in secula seculorum. Amen.

5 *Contra tentationes carnis.*

VBi es, ô bone Iesu, vbi es? iterum sęuit Iezabel, iterum furit caro, domestica, sed tamē inimica infensissima. Adesto Iesu, adesto; veni, fer opem periclitanti: quoniam intrauerunt aquę vsque ad animam meam, & desideria carnis opprimunt me. Collector

Caro mea de luto facta, nil nisi lutosas & sordidas profert cogitationes, à mūdo vanas, & curiosas; à Diabolo malas & amaras accipit, quibus concupiscit aduersus spiritū: nata de peccato, nutrita in peccato, vitijs corrupta ab ipsa orine, sed multo ampliùs vitiata praua consuetudine. Quis aduersus hostē tam potentē stabit Dn̄e? vim illius quis sustinebit? Illicitos motus excitat, venenatas cogitationes inflāmat, mouet bella, nutrit odia, incitat gulā, mouet libidinem, peccati occasiones parat, & mille nocēdi artibus pulsare spiritū nō cessat. Grauis lucta est, & graue periculū aduers⁹ domesticū hostē pugnare: maximè cùm nos aduenęsimus, & ille ciuis: Ille suā inhabitat regionē, nos exules sumus & peregrini.

Non ignoras infirmitatem meam, ô dulcissime Iesu, scis quàm imbecilla arx & caduca hæc est: scis quòd necessariò ruere debet tot impetita machinis, nisi tuo Christe robore muniatur. Ad te igitur clamo ex toto corde meo, da mihi gratiam tuam, ne sequar concupiscentias carnis meæ, & ne prouocē sensus meos effręni licentia, sed fortiter illis resi-

ſtam. Adiuua me, vt domem corpus meum & in ſeruitutem redigã, ne caro mea luxurians præuaricetur, & iuſtas metas tranſiliat, ne cor & corpus meum vitijs carnalibus, luxu, crapula & illicitis voluptatibus contaminetur. Sanctifica me, & rege me, vt cuſtodiantur oculi mei, claudantur aures, nil tangam illicitum, fugiam quod noxium eſt. etſi aculeum ſentiam, conſenſum tamen non adhibeam, carnem ſic nutriam, ne recalcitret, & ſic reprimam ne inſoleſcat. Largire mihi, vt in omnibus, & per omnia ſic carnem ſpiritui ſubijciam, vt tãdem vltrò ei obtemperet, eiq́ue non iam ampliùs imperet, vt Domina; ſed ſeruiat vt Ancilla: vt inter vtrumque ſit ſummus conſenſus, optata pax, perpetua concordia. Amen.

6

Deuicta tentatione.

Ioan. Ferus.

GRatia tibi Domine Deus, cuius benignitate factum eſt, vt ſedata tempeſtate hac, optata appareat ſerenitas. Tibi triumphus ille decantatur: à te, non per me ſuperbus proſtratus eſt Goliath; tibi aſſignandum eſt, quidquid boni effectum eſt. Quantum enim in me fuit, cadere neceſſe fuiſſet: nunc verò victor perſto, quòd in te auxiliatorem fortem certam poſuerim victoriæ ſpem: ſemper ante oculos veluti appenſum quid habẽs;

Rom 8. Si Deus pro nobis, quis cõtra nos? &, O-

Philip. 4. mnia poſſum in eo qui me corroborat.

Licet autē de parta hac victoria trophæa tibi canam Domine, quia tamen edocti ſumus, cùm omnia quæ fortem athletam decent peregerimus, non ad luxus & voluptates redire, ſed in Spiritu ſancto fortes ſtare in acie contra aſſiduas Diaboli velitationes: ideo ad te omnium in te ſperantium conſeruatorē confugio. adauge meam in te fiduciam, vt indies magis magiſque fide creſcens, hoſtium noſtrorum deficiat virtus: quouſque extra cuſtodiā poſueris eò, vbi nullius pugnæ, nullius periculi, nullius formido anguſtiæ, ſed ſempiterna per te parta ſecuritas eſt; quando regnum Patri tuo trades, cum quo viuis & regnas Deus in æuum. Amen.

Contra conflictum vitiorum. 7 Ioannes Lanſpergius in Pharetra, &c.

PIiſſime Domine Ieſu Chriſte, en miſerum & mendicum & viliſſimum me peccatórem, ad miſericordiæ tuæ pedes prouolutum; en vulnera, plagas, liuores & vitia animæ meæ, quæ ipſe mihi (heu) peccando intuli, & nunc oculis miſericordiæ tuę ſananda exhibeo. Clementiſſime Ieſu, miſerere infirmitatis, captiuitatis & infelicitatis meæ, quibus miſera anima mea ad terrena deprimitur, & in varia deſideria diſtrahitur. Amantiſſime Ieſu, per charitatē illam, quæ te in manus peccatorum ligandum tradidit, & crucifigendum; quæque te tribus horis in cruce magis, quam claui

illi manibus ac pedibus tuis infixi, continuit, obſecro te; ſolue iugum captiuitatis meæ, & à cunctis vitijs, concupiſcentijs & prauis inclinationibus libera me. Ab omnibus verò inſidijs hoſtium, & in omni tribulatione protege me.

Extingue & occide in me radicitus omnem priuatum amorem, omnes inordinatos motus, paſſiones & affectus: omnem fomitem, omnemque pronitatem & inclinationem ad ſuperbiã, iram, inuidiam, vanam gloriam &c. Ab his enim ſolus tu me potes liberare.

Dulcis Ieſu, replè me gratia tua, & perfectiſſima charitate tua; conſerua me in omni bono, vt omnes peccandi occaſiones fugiam; tẽtationes fortiter vincam, carnem ſpiritui ſubdam, vitia perſequar & exterminẽ; inſpirationibus tuis obediã, Diaboli inſidias & fraudes euadam, nulli peccato vnquam conſentiam, nihil quod tibi diſplicet foueam: ſed honorem, laudem & gloriam tuam ardentiſſimè ſitiam, fideliſſimè promoueam, & me totum in beneplacitum tuum expendam. Amen.

8 Thomas Campẽſ. lib. 2 de Imitat. Chriſti.

Contra malas cogitationes.

DOmine Deus meus, ne elongeris à me; Deus meus in auxilium meum reſpice: quoniam inſurrexerunt in me variæ cogitationes, & timores magni affligẽtes animam meam. Quomodo pertranſibo illæſus? quomodo perfringam

eas?

eas? Ego, inquis, ante te ibo, & gloriosos terræ humiliabo. Fac Domine vt loqueris, & fugiant à facie tua omnes iniquæ cogitationes. Hæc spes & vnica consolatio mea, ad te in omni tribulatione confugere, tibi confidere, te ex intimo corde inuocare, & patienter consolationem tuam expectare. Amen. Esa. 45.

Contra varia peccatorum genera. 9

DEus Pater Domini & Dei ac Seruatoris nostri Iesu Christi, magni nominis Dominus, natura beata, bonitas effusa, Deus omnium ac Dominus, qui es benedictus in secula, qui à Seraphin glorificaris, cui assistunt mille millia, & decies millies decies millena millia sanctorum Angelorum & Archangelorum militiæ: gratia Christi tui, & aduentu sanctissimi Spiritus tui sanctifica quęsumus animas nostras, corpora & spiritus nostros; nostras quoque mentes tange, explora consciẽtias, omnemque malam cogitationem à nobis aufer: omnẽ impudicam ratiocinationem, omnem turpem cupiditatem, indecentem omnem cogitationem, omnem inuidiam, superbiam & hypocrisin: omne mendacium, omnem dolum, omnem huius vitę distractionem, omnem auaritiam, omnem vanam gloriam, desidiam omnẽ, omne vitium, omnem iram, omnem iracundiam, omnem iniuriarum recordationem, omnem blasphemiã, commotio-

S. Iacob. frater Dñi in Liturgia.

nem omnem carnis & ſpiritus alienam à ſanctitatis tuæ voluntate. Amen.

10 Ludouic. Viues.

Contra auaritiam.

QVotidiana corporis neceſſitas animum ad ſe trahit ac detrudit. Mitte nobis, Pater, cui ſcimus de nobis eſſe curam, panem illum quotidianum, quem nos abs te iuſſit & petere & ſperare vnicus tuus Chriſtus. Da neceſſarijs contentos viuere, ſuperuacanea aſpernari; vt nos neq; ineuitabilis neceſſitas vincat, neque obruat affluētia. Atque ea ipſa neceſſaria ita mitte, ne per offenſam tui paremus. Ita omni alia cura explicati & ſoluti, id ſolum curabimus, vt amicitiam tuam, quantum erit virium noſtrarum, conſeruemus, eamque curam tu iuuabis: qui ſi deſis, nihil poterit conſiſtere. Transfer cor meum à ſeruitute Idolorum ad ſeruitutem tui, cui ſeruire regnare eſt. Immitte pro cupidine harum diuitiarum, quæ & tempori, & iniuriæ hominum, & caſibus ſunt obnoxiæ, cupiditatem tuarum, quæ ſempiternæ & inuiolabiles, ſemel acceptæ, poſſidentur. Amen.

11 Idem.

Contra ſuperbiam.

O Pater ſapientiſſime atque optime, qui ſemper excogitas quemadmodum nobis proſis, cùm nos ſemper cogitemus, quemadmodum te offendamus: indediſti humano generi ſuperbiſſimo, in-

domi-

domito, rebelli cæleste filij tui exemplũ moderationis, atque obedientiæ. Conuerte mentes nostras ad te, atque illud tuum exemplũ, vt nos tam demissè nos geramus, mali atque imbecilles, quàm ille optimus & potentissimus. Amen.

Contra ebrietatem. 12

OMnipotens misericors Deus, ita nos inspicere dignare, vt tam lugẽdum atque etiã erubescendum ebrietatis malum ita nobis in horrorẽ veniat, vt nunquam illud fieri permittamus: sed quod in ebrietate periturum erat, in pauperum refectionem proficiat. Per Christũ Dominum nostrum. B. Augustinus.

Contra iniuriarum recordationem. 13

O Domine, ex beneplacito tuo imple corda nostra pace tua, & munda nos ab omni mala cogitatione, & immunditia; & ab omni memoria iniuriarum, & ab omni inuidia, & recordatione malorum, quæ mortem inferunt. O Domine, fac nos omnes dignos, vt salutemur ad inuicem salutatione sancta, & immaculata: & recipiamus sine iudicio, & sine morte donum tuum cæleste, hoc est, gratiam tuã cum Spiritu sancto. Amen. Ex Missa Æthiopũ.

Contra iram. 14

CÆca hæc nostri indulgentia quantum in animos nostros errorũ importat, vt iniuria existimemus fieri, quod Ludouic. Viues.

fit iustissimè: vt in eo alijs denegemus veniam, in quo nos singulis momentis labimur & venia indigemus: vt nobis vltionem sumamus pueri, dementes, furiosi, iniusti: & præripiamus illi, qui solus sapiens est, & iustus: quem & propter sapientiam nulla res fallit, & propter æquitatem nihil abducit à recto.

O Christe mitissime, exemplar moderationis, fons mansuetudinis, aliquid in nos asperge de lenitate ista tua, quò nos imitatione tui conuicijs impetiti, iniurijs affecti, calumnijs & contumelijs oppressi atque afflicti, beneficiũ tamen pro malo rependamus. Amen.

15 Idem. *Contra inuidiam.*

TV Domine repertor & conditor es omnium, tu munerum tuorum distributor, quæ pro immensa tua liberalitate elargiris; nemini non tribuẽs plus, quàm meretur; nemini non, quantum sufficit. Quæ ergo inuidendi causa nobis relinquitur, quando tu omnibus das de tuo, & immerentibus das, & vnicuique quod est ad beatitudinem suam satis?

Adde Pater hoc quoque ad cetera, beneficiorum tuorum iudicio & distributioni acquiescere, vt pro ijs quæ accepimus agamus gratias. Pro ijs quæ in alios contulisti, ne tacitè apud nosmetipsos & sacram tuam voluntatẽ damnemus, & consilium non inuestigabile. Sed ame-

mus potiùs & in bonis aliorum tuã munificentiam, qui tam es in omnes benignus, nullius rei egens, à nullo nec accipiens quicquam, nec ſperans. Amen.

Contra mentis euaginationem in precibus & deuotione. 16

OMnipotens æterne Deus, cordium cognitor & ſcrutator renũ, cui manifeſtum, quàm inſtabiles ſint in hac vita mentes hominum, quamque facilè à contemplatione ſummi boni, & inuocatione ſanctiſſimi tui nominis, per varias diſtractiones, & intempeſtiuas curas abduci, & guſtu dulcedinis tuę tanquam fructu deuotionis nos priuari, & veluti procelloſis fluctibus huc illucque diſijci patiamur: nouiſti Domine in his imperfectum meum, imò ſummam meam negligentiam, quæ ſanè mihi in conſpectu tuo diſplicet ex toto corde. Sed quis cordis mei imperium meliùs regat teipſo, Deus cordis mei?

Petrus Michaelis in Sertis ſuis.

Exurge igitur & impera ventis multiplicis diſtractionis mentis meę, vt quieſcant, & cor meum ſinant ad te ardenti deuotione erigi, tibique abſque impedimento (quoad in hac vita poſſibile eſt) perfectè vniri. Effice in me Domine Deus, quod deuotæ tibi animæ ſpopondiſti, meque duc in ſolitudinem in te ſolũ collecti cordis, vt ibi loquaris ad me, Oſee 2. & ego exaudiam: hîc ſedeam ſolitarius in te vnum intentus, & leuem me ſupra Thren. 3.

Genes.32. me, teque intimè complectar, teneã, nec dimittam donec benedixeris mihi.

O quàm bonus es Domine illis qui recto sunt corde, qui te toto corde suo quęrunt, & coram te effundunt animas suas, purasque ad te leuant cum cordibus manus; atque omnem adhibent diligentiam, ne in oratione sint, sicuti homo
Esa.29. tentans Deum, cuius labia illum honorent, dum cor procùl est ab eo.

Largire mihi amãtissime Deus, quod
Ierem.33. populo tuo per Ieremiam promisisti, atque spiritum tuum nouum renoua in visceribus meis : Aufer à me cor lapideum, & da mihi cor carneum, vt sensu tui amoris fretus, in mandatis tuis ambulem; iudicia & iustificationes tuas ita custodiam, vt de populo tuo censear, tuque sis & permaneas Deus meus; qui sicut me doces rectè à te petere, ita per Iesum Christum filium tuum, Dominum nostrum, quod postulo, concedere mihi & omnibus fidelibus hodie digneris. Amen.

17 *Contra Sectas & schismata Religionis.*

Idem ibidem. O Pax vera, atque fidelis Pastor ouilis Ecclesię tuę, Domine Iesu Christe, in cuius cõspectu omnes tanquã vnus panis esse oportet, qui de vno pane participamus : id est, inter nos tanquã membra tecum, ceu cum capite, verę fidei, spei & charitatis vinculo colligatos semper

existere: Exaudi preces nostras, & miserere ærumnarum & vastationis populi tui. Et cùm non ignoremus peccatis nostris meritò acceptum referri, quòd tot Hæreses atque perditionis Sectas in nos, tanquam efferatas belluas grassari permiseris: oramus te per acerbissimā passionem & mortem tuam, vt populo tuo cor contritū & humiliatum, quod nunquam despicere soles, largiaris.

Obliga & sana, obsecro, omnia vulnera nostra. Redeat, pulsis altercationibus, & corruptelis verbi tui, alma veritas; & pax quę exuperat omnem sensūm, custodiat corda & intelligētias nostras, sub legitimis pastoribus nostris in te sūpremo omnium Capite nostro, à quo omnis influxus lucis & gratiæ, in tibi coniuncta sacræ pacis nexu membra, deriuatur. Amen.

CAPVT XIII.

PRECATIONES QVIBVS DOMINO SVPPLICAMVS, vt nos à diuersis malis corporalibus & externis liberet.

In quacunque tribulatione. 1 *Collector.*



Miserere mei Domine, miserere mei, quia peccaui, iniquitatem feci, & te ad iracundiam prouocaui: ideoque me-

ritò castigor, & dignus sum, qui has pœnas sustineam. Si peccata mea cum tuis flagellis conferam, multò maiora sunt, quæ merui, quàm quæ patior: misericordia est, non ira; blanditiæ sunt, non supplicia, oscula non flagella, quibus me excipis. Si enim intraueris cum seruo in iudicium, sulphur, & pix, & omnia tormenta inferni minora sunt, quàm vt pro merito meam punire queant iniquitatem. Vt vt Domine me tractaueris, iustus es, & iusta sunt iudicia tua: ego verò iniustus, & qui grauiora promerui.

At tu Domine, qui es solatium afflictorum, gaudium mœrentium, & refugium nostrũ in tempore tribulationis, noli potentiam tuam ostendere contra
Iob 13. folium quod vento rapitur, & stipulam siccam noli persequi. Noli scribere contra me amaritudines, & peccatis adolescentiæ meę ne consumas me. Ne secundum peccata mea facias mihi, quibus indignationem tuam commerui; sed secundum misericordiã tuam, quę omnia, non tantùm mea, sed & totius mundi peccata superat.

Tibi Domine nota est carnis meę imbecillitas, quòd pauidus sum & formidolosus, qui in cruce & variis periculorum casibus subsistere ex viribus meis non possum: ideo de profundis tribulationum ad te clamo, ô Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis; Conserua me sub cruce & calamitatibus

soli-

ſolidum in fide, firmum in ſpe, conſtantem in patientia: vt tribulationes, & res quaſque aduerſas ęquo ac magno animo perferam: ne fractus dolore aliquid contra mandatum tuum faciam, quo ira tua magis in me exardeſcat; ſed da vt hunc calicem, velut abs te porrectum, patienter & obedienter ebibam.

Domine ne in furore tuo arguas me; neque in ira tua corripias me: miſerere mei, quia infirmus ſum. Adiuua me ſecundum beneplacitũ tuum: potes enim, ſi velis, hunc calicẽ à me tollere. Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma. Si tamen viſum eſt adde doloribus; fiat voluntas tua, non mea: ſed adde obſecro & patientię dono, veliſque has corporis afflictiones mihi cedere in remiſſionem peccatorum meorum. Pſal. 6. Mar. 14.

Quòd ſi paterna tua pietas hac miti caſtigatione contenta ſit, tempeſtatem hanc excipiat ſerenitas: vt tibi vtroque nomine gratias agam, & quòd inutilem famulũ clementer emendaueris, & quòd afflictionis amaritudinem conſolationis dulcedine ſuſtuleris: Illic rationem habens neceſſitatis, hîc non immemor infirmitatis. Tibi laus & gratiarũ actio in omne æuum. Amen.

In anguſtijs & extremis periculis. 13

Ioannes Fabri.

DOmine Deus, qui Suſannam matronam honeſtam calumnioſè circunuentam à falſo iudicio liberam feciſti; Daniel. 13.

Dan. 1. 4. & 3. qui Danielem vatem tuum in ſpelunca leonum, & tres pueros in ardente camino ignis conſeruaſti incolumes; qui Petrum, quem iam marini fluctus obruere, Matth. 14. & ſubmergere cœperant, dextera tua ad auxilium porrecta, ſubleuaſti, te oro, ô Deus clementiſſime, vt me indignum, & ſimul vniuerſum populũ Chriſtianum, ex his miſerijs & anguſtijs, quibus circumſepti ſumus, extrahas & liberes.

Parce quæſo genti tuæ, quam pretioſo ſanguine tuo mercatus es. Hanc gentem, hunc populum tanto pretio per te redemptum, in pace & mutua concordia atque coniunctione, ad laudem tui nominis perpetuam, conſerua. Amen.

3 *Tempore belli inter Chriſtianos.*

Petrus Michaelis in Sertis ſuis.

DOmine Pater miſericordiarum, pacis & dilectionis Deus, quãdiu quæſo iraſceris ſuper populum tuum Chriſtianum, non auferens execranda bella, & euerſiones eius atrociſſimas? Reſpice in afflictionem & exitium extremũ populorum atque nationum, Exaudi gemitus pauperum, commoueat te ad miſerandum effuſus Chriſtianus ſanguis.

Heu Domine, ſunt quidẽ hæc omnia peccatorum noſtrorum iuſtiſſima ſupplicia: peccauimus, iniquitatẽ fecimus, te fontem vitæ & felicitatem noſtram dereliquimus, contempſimus, irriſimus, contra te, tuaque mãdata perfricta fronte peccatis noſtris bellũ geſſimus. Mandata

data tua nulla seruauimus, de quibus dixisti; Si seruaueritis, seruabunt vos: si nolueritis, gladius deuorabit vos. At tu Domine, cùm irasceris iustè, misericordiæ tuæ recordare, & vt illius capaces reddamur, da populo tuo quæso cognitionem & confessionem impiæ vitæ suæ. Mitte in eum spiritū gratiæ & precum, vt vbique corde contrito & humiliato, quod non despicis, ad te clament, dicentes: Domine miserere, Domine miserere populi tui, quem pretioso sanguine redemisti: peccauimus, iniquitatem fecimus. Iusta sunt in nos iudicia tua, supplices ruentes, gratiam & misericordiam tuam implorabimus, vt desinat vindex manus tua.

Esa. I.

Conuerte, ô Domine, cruentum & voracem gladium tuum in vaginam suam. Impera malis bestijs, id est, omnibus qui ad bellum causam præbent, vt reuertantur ad locum suum, atque salutiferam pacem, diu desideratam, inter nos Christianos tutò regnare permittāt; ad laudem & gloriam sanctissimi nominis tui; qui percutis & sanas, occidis & viuificas. Amen.

Tempore belli Turcici.

4

Borkēsis in Enchiridio.

CÆlestis Pater, commeruimus peccatis nostris pœnas, verùm tuipse castiga secundum misericordiam tuam, & non in furore tuo. Melius & tolerabilius nobis est, tradere nos castigandos ma-

nibus tuis, quàm in hominum, aut hostis manus incidere: ficut & Dauid precabatur. Magna eſt enim miſericordia tua. Tibi ſoli peccauimus, & mandata tua tranſgreſſi ſumus.

Sed omnipotens Deus Pater, probè tu quidem noſti, nihil nos contra Diabolum, mundum & Turcā deliquiſſe, nec ipſi aliquid iuris, aut poteſtatis plectendi nos habent. Verùm tu opera eorum, tanquam ſæua virga, contra nos vti potes. Atqui bone Deus, cæleſtis Pater, nihil aduerſus ipſos deliquimus, vt meritò ac iure plectere nos videātur. Quin mallent ipſi nos vnà ſecum contra te horribiliter peccare.

Non enim curant hoc, vt tibi obedientes ſimus: ſed omni genere idololatriæ (quemadmodum ipſi faciunt) contaminemur, falſam doctrinam, falſam fidem, & mendacia amplectamur: coinquinemur adulterijs, libidinibus, cædibus, latrocinijs, veneficijs, & omne genus flagitiorum contra te perpetremus. Verùm hoc eſt aduerſus eos peccatum noſtrum, quòd te Deum Patrem verum, ac vnicum Deum, & dilectum filium tuum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, & Spiritum ſanctum vnicum Deum prædicamus, credimus, & confitemur: hoc eſt peccatum noſtrum aduerſus eos.

Cæterùm ſi abnegaremus te, pacem & trāquillitatem nobis Diabolus, mundus,

dus, & Turca concessuri essent: sicut inquit dilectus filius tuus; Si de mundo essetis, mundus quod suũ est diligeret. Hîc iam respice misericors Pater super nos, & seuere iudex super inimicos nostros. Non enim magis sunt nostri, quàm tui hostes. Quare cùm persequuntur & affligunt nos, persequuntur & affligunt te. Nam verbũ hoc quod prædicamus, credimus, & confitemur, non nostrum, sed tuum verbum est: & quicquid est in nobis, est Spiritûs sancti tui opus. Id Diabolus ferre non potest, sed tuo loco vult nobis esse Deus: Mundus vult pro verbo tuo nobis obtrudere sua mendacia; & Turca vult Mahometum suũ in locum dilecti filij tui Iesu Christi collocare: quem quidem blasphemat ille, negans eum verum esse Deum, & affirmans Mahometem suum longè illo esse superiorem. Ioan. 15.

Si hoc peccatum sit, quòd te æternum Patrem, & dilectum filium tuum, & Spiritum sanctum vt verum & vnicum Deum colimus, confitemur & celebramus, ipse tu peccator ille es, qui ista in nobis operaris, præcipis, ac requiris. Quapropter illi quidem teipsum oderunt, affligunt, & plectunt; si ob eam causam nos oderint; affligant, & plectant. Quare expergiscere, Domine Deus, & sanctifica nomen tuũ, quod illi blasphemant horribiliter. Stabilito regnum tuum, quod illi in nobis conturbant, & perfice vo-

luntatem tuam, quam impedire illi in nobis conantur : nec patiaris te propter peccata nostra ita conculcari ab ijs, qui non peccata nostra in nobis plectunt, sed sanctum nomen tuum. Nomen & opus tuum in nobis opprimere, & delere conãtur, ne tu pro Deo colaris, nec aliquem habeas, qui te prædicet, in te credat, & te profiteatur.

Has preces clementer ac benignè recipere & exaudire, & quemadmodum credimus ac speramus, ex omnibus his malis nos liberare digneris, propter dilectũ filium tuum Dominum nostrum Iesum Christum, qui tecum & cum Spiritu sancto viuit & regnat in sempiterna secula. Amen.

5 Ioan. Ferus.

Tempore pestis.

NOn sunt nobis remotæ causæ, Domine Deus, Pater iustissime, tantam esse rebellionem omnium ferè creaturarum in vnum hominem, cui (si omnia creationis modo constarent) obedire, & subesse debebant : nũc terræmotus, nunc tonitru, nunc eluuies, nunc coniunctiones syderum nocentissimæ, nunc infectio aëris, quotidie noua atque alia audiuntur mala. Sed hæc pœna, quòd munificentiæ tuæ donis abutimur, mandata tua transgredimur, quòd minis non deterremur, promissis non allicimur.

Agnoscimus his te castigationibus à terrenis hisce nos abducere, ad cęlestium

desíde-

desideria attrahere; & in hoc creaturas tuas tibi obsequi. Memor esto in magna hac ira tua misericordiarum tuarum, & contagij malum, quod tua ira in nos effusum est, tolle propitius. Nullum enim malũ pestilens aër importabit, si omnigenis peccatis bellũ indixerimus. Oñia tamen abs te Patre pijssimo sunt, & quòd corpore à contagio hoc securi, & quòd anima à peccati malo tuti sumus.

Etsi autem alij huius vitæ amore detenti in mortalitatis eiuscemodi periculis huc illucque opem implorantes discurrunt; tamen à nemine rectiùs, tutiusque petitur auxiliũ, quàm abs te vno: cuius potentiam nemo potest effugere, qui nos in gratiam recipies, cùm neminem non suscipis in tua bonitate sperantem. Ad te igitur clamamus Domine, exaudi preces & orationes nostras, vt liberes nos ab hac plaga pestifera & funesta. Præcipe Angelo tuo percutienti nos, vt recondat gladium suum in vaginam, ne nos feriat vsque ad consummationem: ne facias progressionẽ iræ tuæ, parce animabus nostris, & ne concludas nos peste. **Additio.**

Reuertere, reuertere Domine, & deprecabilis esto super seruos tuos: aufer à nobis hanc inclementiam cæli, & insalubritatem loci, ne aër infectus noxam, qua afficitur, in nostram perniciem effundat. O Domine, vertatur quæso manus tua, sufficit iam, cesset nunc manus **2 Reg. 24.**

tua, vt ſciat omnis terra, quia tu es Domine Deus noſter, & quia nomen tuum inuocatum eſt ſuper nos. Amen.

6 *Tempore famis & annonæ caritatis.*

Petrus Michael in Sertis ſuis.

IVſtiſſime Domine Deus, qui pro meritis populi tui benedictionem tuam impartiris, & retrahis; reſpice in egeſtatem noſtram, qui agnoſcimus præſentem annonæ caritatem & famem, qua tabeſcimus, tãquam virgã in manu, qua caſtigas & punis multiplicem abuſum bonorum tuorum apud nos in crapula & ebrietate creberrima, alijsque deſiderijs carnis, & diſſipatione donorum tuorum; quæ largitus es, non vt contra te impinguati & dilatati recalcitremus, ſed potiùs vt datori muneris ex animo ſeruiamus. Quid de profanatione nominis tui per iuramenta & imprecationes horrendas, de violatione Feſtorum & cultus tui, non conqueramur?

Sed quidnam miſeri, & in iniquitatibus noſtris à te iuſtiſſimè flagellati, aliud faciamus, quàm vt in conſpectu & vultu tuo irato procidentes, accuſemus atq; deploremus peccata noſtra, tum gratiam & miſericordiã imploremus, vt reſpicere de cælo digneris, quò citiùs terra noſtra largiatur fructũ ſuum benedictione tua, atque adeò neceſſarijs alimentis refecti, te pro accepta benedictione tua laudemus, & ad ſeruiendum tibi nos magis deuinctos profiteamur. Amen.

Con

Contra tempestates aeris & tonitrua.

7 Albertus Castalio Venetus in SacerdotaliRõ part.3.

REx æterni imperij omnipotens Deus, qui das escam omni carni, qui operis cælum nubibus, & paras terræ pluuiam: qui transfers Austrum de cælo, & inducis in virtute tua Africum: qui rigas mõtes de superioribus suis, & de fructu operum tuorum satiabitur terra: qui Angelo præcepisti, vt terræ, mari, arboribus non noceret: parce metuentibus, propitiare supplicantibus. Apoc 9.

Te enim Domine supplices exoramus, vt procùl abscedat incursio turbinum, calamitas tempestatũ, fragor grandinum, percussus fulminum, & quælibet insidiæ inimici temperentur. Infesta tonitrua, noxiæ pluuiæ, ventorum flamina fiant moderatè suspensa: omnis quoque spiritus procellarum, & aëreæ tempestates dextera tuæ virtutis prosternantur.

Domine qui intonas de cælo, & das vocem tuam: qui mittis sagittas tuas, & fulgura tua multiplicas, auerte quæsumus sæuissimam hanc tempestatem, ne nobis adferat exitium. Cohibe fulmina, & sagittas tuas, ne nos lædant. Custodi nos & nidulos nostros, ne contactu fulgurationum & ictibus fulminum pereamus. Protege ædes nostras, ne adustionibus cælitus succensę conflagrent & consumantur. Additio. Psal.17.

Misericordissime Domine, ne quæso

pluas grandinem super faciem terræ, neque percutias quæ sunt in agris nostris, herbam & arborem regionis nostræ ne confringas: segetem nostrā ne perimas, neque tradas iumenta nostrá grandini, vt intereant: sed iram furoris tui in misericordia tua contine, vt qui pro peccatis nostris iustè affligimur, misericordia tua præueniente gratiam & indulgentiam tuam sentiamus. Amen.

Psal. 77.

8 Collector. 3 Reg. 17. & 18.

Tempore nimiæ pluuiæ.

POtentissime & sapientissime Deus, qui ad vocem vnius Heliæ Prophetæ tui cælum & clausisti, & aperuisti, ita vt toto triennio nec ros nec pluuia terrę superficiē humectauerit, iterumque vt nubes copiosos imbres dederint, hoc in beneficium, illud in vltionē populi tui: te credimus, & confitemur eum, qui omnia quæcunque vis facis in cælo, in terra, in mari, & in omnibus abyssis: producens & leuans nubes ab extremo terræ; qui cælum nubibus operis, & terrę paras pluuiam, ad educendū in montibus fœnum, & herbam seruituti hominum.

Nos quidem recessimus à te, & non audiuimus vocem tuam, vt ambularemus in præceptis tuis: verbum tuū hactenus cū nausea & fastidio magno aspernati sumus, dies festos in otio & luxu transegimus, cultum tuum neglex imus, & carnis nostræ cupiditatibus fręna la-

xauimus. Ideo ſtillauit ſuper nos maledictio & deteſtatio, quam in lege tua minatus es nobis inferre, vt maledicti eſſemus in ciuitate, & in agro: maledictum eſſet horreum noſtrum, & maledictus fructus terræ noſtræ, armenta boum noſtrorum, & greges ouium noſtrarum. Deut. 12.

Oſtendiſti nobis Domine anni huius initia læta, proſpera, & ſpe plena: fruges in agris noſtris copioſam nobis meſſem pollicebãtur; herba in paſcuis luxurians gratum præbebat iumentis & pecoribus pabulum.

At tu Domine vt viſitares iniquitates noſtras ſuper nos, rupiſti fontes abyſſi magnæ, cataractas cæli aperuiſti, & facta eſt pluuia ſuper terram multa nimis. Inundarunt aquæ, & niſi tu Domine clemens & propitius noſtri miſereạris, auferent labores manuum noſtrarum: & ſpes noſtra erit tanquam lanugo, quæ à vento tollitur; tanquam ſpuma gracilis, quæ à procella diſpergitur. Sap. 5.

Supplices igitur, & ad genua tuæ Maieſtatis prouoluti te deprecamur, ne in infinitum procedat ira tua: dic cælis; Sufficit; & nubibus cæli, vt moderatius pluant ſuper terram. Cuſtodi nos ab imbribus immodicis, qui frugibus ſunt pernicioſi, & accerſunt æruginem: aut qui nimia illuuione omnia ſata conuertunt, & perdunt. Obicem pone fluminibus, ne cooperiant terram, & mari dic; Vſque huc venies, & non procedes am- Iob 38.

plius: & hîc confringes tumentes fluctus tuos. Da moderatas pluuias ad fœcundandam terram, & benedictionem tuam effunde super nos, vt habentes vitæ necessaria tibi gratias agamus, & te in pauperibus tuis honorificemus, cui laus, honor & gloria est in secula seculorum. Amen.

CAPVT XIIII.

PRECATIONES PETITORIÆ, QVIBVS PRO EXPEtendis bonis spiritualibus Deum obsecramus.

Pro diuina gratia impetranda.

Thomas Campēs. de imitat. Christi lib. 2. cap. 52.

Domine Deus meus, qui me creasti ad imaginem & similitudinem tuā, concede mihi gratiam tuā, quam ostendisti mihi tam magnam & necessariam ad salutem, vt vincam pessimam naturam meam, trahentē me ad peccata & perditionem. Sentio enim in carne mea legem peccati, contradicentem legi mentis meæ, & captiuum me ducentem, ad obediendum sensualitati in multis: nec possum resistere passionibus eius, nisi assistat sanctissima gratia tua, cordi meo ardenter infusa.

Opus est gratia tua, & magna gratia, vt vincatur natura ad malum semper

pro-

prona, etiam ab adoleſcentia ſua. Nam per primum hominem lapſa, & vitiata per peccatum, in omnes homines pœna huius maculæ deſcendit, vt ipſa natura quæ bona & recta condita fuit, pro vitio nunc & infirmitate corruptæ naturæ ponatur: eò quòd motus eius ſibi relictus ad malum & inferiora trahat. Nam modica vis quæ remanſit, eſt quaſi ſcintilla quædam latens in cinere. Hæc eſt ipſa ratio naturalis, circumfuſa magna caligine, adhuc iudicium habens boni & mali, veri falſique diſtantiam: licet impotens ſit implere omne quod approbat, nec pleno iam lumine veritatis, nec ſuauitate affectionum ſuarum potiatur.

Hinc eſt Deus meus quòd cōdelector legi tuæ, ſecundum interiorem hominem, ſciens mandatum tuū fore bonum, iuſtum, & ſanctum: arguens etiā omne malum, & peccatum fugiendum: carne autē ſeruio legi peccati, dum magis ſenſualitati obedio, quàm rationi. Hinc eſt quòd velle bonum mihi adiacet, perficere autem non inuenio. Hinc ſæpe multa bona propono, ſed quia gratia deeſt, ad adiuuandam infirmitatem meam, ex leui reſiſtentia reſilio, & deficio.

O quàm maximè eſt mihi neceſſaria gratia tua Domine, ad inchoandum bonum, ad perſeuerandum, & ad perficiendum? Nam ſine ea nihil poſſum facere: omnia autem poſſum in te, confortante me gratia. O verè cęleſtis gratia, ſine qua

nulla sunt propria merita, nulla quoque naturæ dona ponderanda. Nihil artes, nihil diuitiæ, nihil pulchritudo, vel fortitudo; nihil ingenium, vel eloquentia valent apud te Domine, sine gratia. Nam dona naturæ bonis & malis sunt communia, electorum autem proprium donum est gratia: qua insigniti digni habentur vita æterna. Tantũ eminet hæc gratia, vt nec donum prophetiæ, nec signorum operatio, nec quantalibet alta speculatio aliquid æstimetur, sine illa: Sed neque fides, neque spes, neque aliæ virtutes tibi acceptæ sint, sine charitate & gratia.

O beatissima gratia, quæ pauperem spiritu virtutibus diuitem facis, & diuitem multis bonis humilem corde reddis. Veni, descende ad me, reple me manè consolatione tua, ne deficiat prę lassitudine & ariditate mentis anima mea. Obsecro Domine, vt inueniam gratiam in oculis tuis. Sufficit enim mihi gratia tua, cęteris non obtentis, quæ natura desiderat. Si fuero tentatus & vexatus tribulationibus multis, non timebo mala, dum mecum fuerit gratia tua.

Ipsa fortitudo mea, ipsa consiliũ confert & auxilium. Cunctis hostibus potentior est, & sapientior vniuersis sapientibus. Magistra est veritatis, doctrix disciplinæ, lumen cordis, solamen pressuræ, fugatrix tristitiæ, ablatrix timoris, nutrix deuotionis, productrix lachryma-

marum. Quid sum sine illa, nisi aridum lignum & stirps inutilis ad eijciendum?

Tua ergo me Domine gratia semper præueniat & sequatur, ac bonis operibus iugiter præstet esse intentum, per Iesum Christum dilectum filium tuum, in quo tibi complacuit. Amen.

Oratio pia qua à Deo iustificationem expetimus.

QVi in æternum dominaris & solus potes omnia, Deus cęli & terrę moderator, ad cuius nutum omnes creaturę contremiscunt, & cæli cardines nutant. O Domine cælestis, perfecte opifex & figule, ego miser de limo effectus, vel potiùs limus sordidus, cum timore & trepidatione ad thronum tuæ Maiestatis venio: agnosco & confiteor meam imbecillitatem. Scio quòd nihil sum, imò quòd abominatio mera, & horror existam coram tuo aspectu, si tua gratia & misericordia destituar. Sine te nihil boni cogito, sine te nihil boni facio, sine te sum reptile quoddam deperditum. Non possum saluari sine te; in tua manu est omnis mea salus. Ioannes Fabri.

Ago tibi gratias, ô Deus, vel propter hoc, quòd eam cognitionem mihi dederis, vt videam & cognoscam me nihil esse, vel posse absque te. Tu es figulus, & ego limus: qualem me esse vis, talem potes effingere & formare. Si beatũ me reddis, ostendis misericordiam tuam, &

gratiam: si conijcis in perditionem, demonstras iustitiam, & tuum exequeris iudicium. Nec meum est contradicere, cur hoc, aut qua ratione facis? Etenim cui tu bene vis, misereris. Hæc ego mecum reputo, ô Domine, & iudicia tua extimesco.

Cùm igitur omnis mea incolumitas & salus ex te pendeat, & in manu tua atque potestate sita sit; cumque vniuerso mundo maximè placabilem & misericordem Deum te exhibueris, per hoc, quòd filium tuum charissimum Iesum Christum innocentem pro nobis noxijs mori, & nostra peccata illius sanguine in cruce voluisti expiare: Cùm denique docueris nos, in omni nostra perturbatione te inuocare, tuam gratiam & misericordiam efflagitare, promittẽs quòd daturus es nobis omnia, quæ in nomine filij tui simus petituri: Venio ad te limus & massa lutea, ô clemens & cęlestis figule, à te peto suppliciter, vt misericordia tua vtaris: ex hac licet indigna materia facias vasculum ad æternam gloriam.

Digneris etiam ex mera tua gratia ad fidem veram, spem solidam, castum & sanctum amorem voluntatem meam permouere: vt per hæc dona iustificatus, integer, perfectus, bonus, sanctus, secundum tuum beneplacitum in medio vitæ meæ, & in fine, atque adeò in extremo die iudicij inueniar. O mitis Pater,

ter, concede mihi veniam omnium peccatorum meorum, per mortem filij tui amantiſſimi Ieſu Chriſti. Fac vt tibi vni placeam, tibi gratus ſim filius & hęres: adauge in me clementer iuſtitiam qualemcunque mihi diuinitùs datam, vt in ea pergam viuere. Auge in me fidem acceptam, confirma ſpem meam, accende & illuſtriorem redde in me tui amorem: vt auxilio tuo, tuæque gratiæ præſentia, & ex operatione tuæ ſanctiſſimæ voluntatis vitam æternam, quam tu ſolus meruiſti, & nobis promiſiſti, impetrare queam, vt te laudem, tibi gratias agam in regno tuo, per æterna ſecula. Amen.

Pro fide firma & ſyncera.

EXcæcatus eſt homo à peccato, ſed miſeratione patris tui appoſitus es tu Chriſte, dux cæco, magiſter rudi. Illud tamen atrociſſimum in cæcitate hac & ruditate malum, quòd ſubinde trepidamus & nutamus, aliâs optima præceptoris monita non capimus, aliâs hæremus & ambigimus de veritate. O miſerum & cæcum, quomodo paratam perniciem euades, ſi te ſubtrahis? ſi nec ipſe noſti viã, nec fidem habes monſtranti? Lodouicus Viues.

Chriſte veritas pura & ſempiterna, dignare ita pectoribus noſtris illabi, vt te ac tua omnia ſicuti veriora ſunt, ita pro certioribus habeamus, quàm quæ vel oculis noſtris cernimus, vel digitis

contrectamus, fallacibus corporis sensibus, quibus stolida & bruta caro tantopere confidit. Seda & compone motus istos carnis, detrudentes nos subinde ad mutationẽ eius, quod firmissimum atque stabilissimum oportet esse apud animos nostros. Donum est luminis tui fides; hoc tu Christe benignissime ita cordibus nostris instilla, vt vitiosi isti oculi vel reluctantes & inuiti cogantur illud aspicere.

Credo Domine, sed tu adiuua incredulitatem meam: succurre imbecilli & languidæ fidei meæ, quæ in me est exigua, instar grani sinapis: vt illa indies succrescens, in te radices agat: firma & immobilis maneat semper, ne inter tot sectas & schismata huius mũdi labascat aut deficiat.

Da quoque ô pie Iesu, ne fides mea sit nuda, inanis, seu mortua, sine operibus & fructibus bonis: sed efficax, & per charitatem operans, vt finẽ fidei reportem, salutem scilicet animæ meæ: vt te, quem nunc fide cognosco, tanquam per speculum & ænigma, facie ad faciẽ conspiciam in altero seculo, vbi viuis & regnas cum Patre & Spiritu sancto Deus per omnia secula seculorum. Amen.

Pro solida spe & fiducia.

Collector. QVare tristis es anima mea, & quare
Psal.41. conturbas me? Spera in Deo, quo-
Psal.42. niam adhuc confitebor illi, salutare vul-

tus mei, & Deus meus. Credo enim visurum me bona Domini in terra viuentium. Expecta igitur, ô anima mea Dominum, viriliter age & sustine Dominum, quia bonus est omnibus sperātibus eum. Cur dubitas quòd dabit tibi bona sua, qui non dedignatus est suscipere mala tua?

Adesto igitur, ô dulcissime Iesu, auctor spei & consolationis: Plasma tuum sum; manus tuæ Domine fecerunt me, & plasmauerunt me. manus, inquam illæ, quę affixæ clauis sunt pro me. Opus manuum tuarum, Domine, ne despicias: vulnera manuum tuarum precor vt aspicias. Ecce in manibus tuis Domine Deus descripsisti me: lege ipsam scripturam, & salua me.

Da mihi gratiam, ô æterne Pater, vt in omnibus necessitatibus, periculis & tribulationibus, quæ in hac vita occurrunt, in te sperē. Misericordia tua namque est infinita, promissiones tuæ sunt vt plurimę, ita verissimæ: & merita vnigeniti filij tui pretium aut numerū non habent, quæ omnia pro me clamant & vociferantur.

Tu igitur es Domine spes mea; quidquid agendum, quidquid declinandum, quidquid tolerandum, quidquid optandum, tu es Domine spes mea. Hæc vna mihi omnium promissionū causa, hæc tota ratio meæ expectationis. In te Domine sperauerunt patres nostri, & libe- Psal.21.

 rasti

rasti eos: ad te clamauerunt, & salui facti sunt: in te sperauerunt, & non sunt confusi. Adesto igitur & mihi sæpe in tribulationibus de tuis promissionibus dubitanti: Esto mihi turris fortitudinis, vt siue insurgant aduersum me prælia, siue sæuiat mundus, siue fremat malignus, siue caro aduersus spiritum concupiscat, ad te confugiam; non timeam, sed in te sperem Domine. Et si liberatio iuxta tuam voluntatem subinde differatur, & intercapedine tēporis prolongetur, ne ambigam de ope & auxilio tuo; sed sperem quia veniens venies,
Hab.1. & non tardabis: quia fidelis es, & non defraudabis desiderium nostrum.

1 Pet.1. Benedictus esto Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui secundum misericordiam tuam magnam regenerasti nos in spem viuam; & benedictus vnigenitus
2 Thes. 3. filius tuus, qui dilexit nos, & dedit nobis consolationem & spē bonam,
Rom. 8. per gratiam quæ diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum nunc & semper & in secula seculorum. Amen.

Pro charitate erga Deum.

Orationes huc spectantes inuenies, lector, Capite septimo huius libelli.

Pro charitate erga proximum.

Collector. DOmine Iesu Christe, qui ex sola tua erga nos charitate, è sinu Patris in hanc vallem lachrymarum descendisti,

pro nobis in ſtabulo natus, triginta tribus annis varijs miſerijs exagitatus, & tandem in cruce mortem amariſſimam paſſus es, etiã tunc, cùm nos omnes inimici tui eramus; non tantùm tua, ſed & temetipſum nobis impendens; vt & nos veſtigia tua ſequeremur, & proximos noſtros diligeremus: qua ſola nota dixiſti tuos diſcipulos à filijs huius ſeculi fore dignoſcendos. Oro te per hanc flagrantiſſimam, abundantemque charitatem tuam, accende corda noſtra frigida affectu veri amoris, vt ſermonem tuum ſeruemus, mandatum ſcilicet illud nouum, quod peculiariter nobis commendaſti, inquiens; Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, ſicut ego dilexi vos.

Ioan. 13.

Ioan. 13.

O ardentiſſime amator hominum, excita in nobis fraternæ & feruidæ dilectionis ſtudium, vt quilibet curam proximi habeat, eumque pro viribus iuuet, non ſecus ac membra, quæ in vno corpore compacta alia pro alijs mutuam ſolicitudinem gerũt. Sit dilectio noſtra perfecta, non ſimulata, non ficta, non moroſa, non tædioſa, non faſtuoſa, nec quæſtuoſa: ſed ſimus erga proximum patientes & benigni; eius defectus & infirmitates toleremus, eius onera portemus, conſilio & auxilio iuuemus, peccantem corrigamus, errantem in viam rectam reducamus, pijs admonitionibus & bonis exemplis eum ad iter ſalutis pertra-

1 Ioan.3. hamus, vt sic verè diligamus nos mutuò, non verbo, neque lingua, sed opere & veritate.

O charitas æterna, ô amor increate, ô Agne Dei qui tollis peccata mundi, tolle à nobis omnem amarulentiã, iram, vociferationem, maledicentiam, æmulationem & contentionem. Inflamma pectora nostra, vt exemplo tuo informati, complectamur etiã inimicos nostros vero amore: bene precemur deuouentibus nos: benefaciamus ijs, qui nos lædunt, & insectantur: tibi relinquentes vindictã & vltionem in omnibus, quam retribues illis, & nos ad æternam illam vitam perduces, qua tu cum Patre & Spiritu sancto viuis sine fine. Amen.

Pro corde recto & pura intentione.

Ioannes Faber paucis tamen interiectis.

DEus æterne & misericors, ad te venio peccator miser, corde saucio, ægro & impuro, quod tantùm vanitatem huius mundi quærit, desiderat & amat, quam tu odisti: Non cogitat de salute sua, expetit quæ sunt caduca & omnibus casibus obnoxia; & sic cogitationes habet in varias res dispersas.

Quid faciã, ô Domine? ad te clamo, ô mitis Saluator, crea in me cor mũdum, mansuetum, pacificum, pium, humile, deuotum. Da mihi cor quod nulli noceat, nulli damnum vel iniuriam inferat, non malum malo compẽset, sed malum bono superare assuescat. Largire cor

quod

quod amet quod amandum est; oderit quod odio habendum est; timeat quod verè timendum est; desideret quod verè desiderandum est. Ingere mihi cor, quod te super omnia amet, de te perpetuò cogitet, de te loquatur assiduè, tibique gratias agat; quod à terrenis se auocet, & in cælo versetur, seque in illa æternorum bonorum contemplatione delectet.

Et hoc in me effice ex tua gratia, quod mea non potest natura: tu enim solus tale cor, talem mentem largiri potes, quæ virtutes omnes secum ferat, vitia auersetur. Munda me, ô Deus, ab omnibus terrenis cupiditatibus: extolle cor meum ad te, qui in cælis habitas: illumina pectus meum vera & viua fide, & legem tuam digitis tuis cordi meo inscribe. da vt in omnibus operibus meis ad te vnum intentionis meæ oculum dirigam, te solum attēdam, tibi soli placere cupiam, neque ad rectè agendum vllo humano respectu, atque intuitu, neque vlla aut necessitate aut vtilitate, aut hominum metu aut simili aliqua ratione, sed solo amore tui impellar.

Custodi, ô Domine, cor & voluntatem, animum & intellectum meum ab omni errore & malo, vt in omni patientia fructus verbi cælestis ex me proueniant vberes, & sic in bono perseuerem, vsque in finem ad vitam æternam. Amen.

Pro bono proposito.

Collector. IEsu Christe, Fili Dei viui, redemptor & mediator æterne, ad te suspiro creatura tua: Creator es, recrea me: vita es, viuifica me: plasmator es, reforma me. Ægrotus sum, ad medicum clamo: cæcus sum, ad lucē propero: mortuus sum, ad vitam aspiro. Tu es medicus, tu lux, tu vita; Iesu Nazarene miserere mei, fili Dauid miserere mei fons misericordiæ. Omnia interiora & exteriora mea deprauata sunt, non est bonum in me: intellectus est cæcus, voluntas infirma, sensus omnes ad peccatum proni, & cuncta cogitatio cordis intenta est ad malum omni tempore: iniquitatem sicut aquam bibo.

Genes. 8.

In hac sarcina seculi veluti somno premor, cogitationes quibus meditor in te similes sunt conatibus expergisci volentium, qui tamen superati soporis altitudine remerguntur. Tu hactenus vocasti me, & non audiui: tu traxisti me, & ego non sequebar, nec adhuc sequor: semper obmurmurabam; Modò, & ecce modò; sine paululum. Sed, ô pie Iesu, quando modò & modò illud habebit modum? & istud sine paululum vlteriùs non ibit? Quamdiu cras & cras? quare non modò? quare non hac hora finis turpitudinis meæ?

Sæpe dico, Hoc faciam, illud perficiam. Adest voluntas, non est facultas: adest facultas, non est voluntas. multa propono, nihil perficio. quod vna hora pla-

cet, altera displicet: quod nunc probo, paulò pòst improbo. & sic semper vacillo, nec vnquam in eodem proposito permaneo; quia de viribus meis confido. Nunc autem cõfiteor tibi Domine, quia non in fortitudine sua roborabitur vir, vt glorietur ante te: stulta omnis præsumptio carnis. Non enim est hominis velle quòd possit, aut posse quòd velit, sed potiùs à te gress⁹ hominis dirigũtur.

Obsecro igitur benignissime Iesu, per viscera misericordiæ tuæ, da mihi simplex & rectum propositum, vt nec committam nec omittã aliquid tuę voluntati contrarium: nihil in tota vita mea quæram, aut concupiscam aliud, quàm quod animæ meæ sit vtile, ac salutare: quodque diuinæ Maiestati tuæ in primis placeat. Da propositi huius immobilem constantiam, vt neque propter diuitias, neque propter honores, neq; propter voluptates, aut pro alia quacunque re mundi te in posterum offendere præsumam: da vt omnia potiùs mundi tormenta ferre, imò vitam hanc potiùs velim amittere, quàm vnum lethale peccatum committere. Scio enim te nulla re magis offendi, nihil magis odisse, nihil in oculis tuis abominabilius esse peccato: vt quod solum tuos humeros flagellis lacerauit, caput tuum spinis pupugit, corpus tuum cruci affixit, & diuinam animam amarissima morte à suo corpore separauit.

Hæc quotieſcunque Diabolus impugnat, mens cogitet; hæc quoties mūdus tentat, animus meditetur: hæc quoties caro ad peccandum ſolicitat, cor ſentiat. Ad hoc certamen alacri ſpiritu curram,

Heb.12.

aſpiciens in te auctorem fidei, & cōſummatorem Ieſum; qui propoſito tibi gaudio, ſuſtinuiſti crucem; recogitansque te qui talem ſuſtinuiſti à peccatoribus contradictionem, ne fatigetur animus meus: ſed ad ſanguinem vſque reſiſtat aduerſus peccatum repugnans, vt poſt legitimum certamen à te coronetur in cælis. Amen.

Pro humilitate, & ſuæ vilitatis cognitione.

Granatēſ. in Appen. Memorialis prima.

DOmine mi, quis es tu, & quis ſum ego? tu es Deus magnus, Deus cæli & terræ, Deus Deorum, Rex Regum, & Dominus Dominantium: ego ſum vermis & non homo, fæx hominum, & opprobrium mundi. Tu es ſumma bonitas, ſumma dulcedo, ſumma pulchritudo; tu es gloria ſanctorum, theſaurus opulentiſſimus, vera lux, ſplendor clariſſimus, fons vitæ, vita animarum noſtrarum, lumen cæli, & claritas mundi. Ego ſum abyſſus tenebroſa, terra miſerabilis, filius iræ, vas ignominiæ, conceptus in peccatis, natus in miſerijs. Ego ſum ſterquilinium immundum, plenum fœtore & corruptione: infirmus, cæcus, claudus, ſurdus, & mutus: omnium re-

rum bonarum vacuus, miseriarum verò plenus. Principium meũ fuit peccatum, finis meus erit mors: quæ mihi stipendium peccati est.

O Domine mi, quid sum ego, nisi vmbra mortis, & vniuersa vanitas? puteus sordidus, terra sterilis, & maledicta, cuius fructus sunt spinæ, tribuli & confusio? Igitur, ô Domine, & Deus misericordiarum, propitius esto huic pauperrimæ animæ, quæ ex se nihil est, & ratione peccati plus quàm nihil: pelagus vanarum cupiditatum, fons peccatorum; pro quibus, si pro tua iustitia debitè punirer, tot vtique supplicia, & tanta tormenta sustinere deberem, quanta est tuæ Maiestatis magnitudo. siquidem tanta est culpa, quanta est Maiestas offensa.

O Domine, quis ego sum, vt loqui tecum audeam, cùm tu sis Deus ille magnus, verus, omnipotens, immensus, æternus, incomprehensibilis, & Angelicis etiam spiritibus admirabilis? Audi, ô Deus, clamores meos, vide lachrymas meas, intellige mea suspiria, & succurre. Illa quæ te mouit pietas vt me redimeres, etiam te moueat, vt me exaudias. Ne perdat mea malitia, quod in me creauit tua potentia. Quando non eram, tu me fecisti: cùm erraui, tu me in viã rectam reduxisti: cùm rudis eram & ignarus, tu me docuisti: quando cecidi, tu me sublenasti: quando stabam, tu me tenuisti: quando affligebar, tu me consolatus es:

quando desperabam, tu mihi animum addidisti: quādo dormiebam, tu me custodijsti: quando eram infirmus, tu me sanasti: quando veniebam ad te, tu me recepisti. Omnia hæc tua sunt Domine, omnia hæc mihi fecisti gratis, nullo meo præcedente merito.

Quid igitur est quod à me habeo? quid habeo, quod non à te accepi? si autem acceperim, cur gloriabor? Qui enim de bono tuo gloriam sibi quærit, & non tibi, hic fur est & latro: similis Diabolo, qui tuam gloriam furari voluit. Quid superbiam ego cinis & puluis? quid me extollam putredo & esca vermium? Sed & si quando mens inani gloria solicitetur, oro te, ô æterne Deus, & pater humilium, largire mihi virtutum omnium parentem humilitatem: qua in conspectu Maiestatis tuæ vilis terræ vermiculus & cinis erubescam, & meiipsius vera cognitione vilescam, omnia tibi soli accepta feram; omnibus me facilè lubensque subijciam, neque altè de meipso sentiam: sed vilis sim, abiectusque semper in oculis meis, & talis ab omnibus haberi cupiam.

O melliflue Domine mi, cognoscam me, cognoscam & te. Qui enim te bene cognoscit, etiam amat te: & qui amat te, contemnit se, & plùs amat te, quàm se. Veni igitur ad me, ô fons dulcedinis, cibus animæ, & lumen intellectus mei. illumina cæcum hunc; sana ægrotum

hunc, ciba famelicum hunc, visita captiuum hunc, tege nudum hunc; & seruum hunc tot tyrannorum, quot passionibus exagitatur, & quot peccata commisit, tui sanguinis lytro redime: vt ab omnibus animi perturbationibus, & peccatis, maximè autem à superbiæ atque inanis gloriæ malo liberatus, tibi in omni humilitate, animique demissione famuletur hîc, & in perpetuum. Amen.

Pro timore Dei.

SVmme, inæstimabilis, metuende, & terribilis Deus, remunerator omnium bonorum & malorum operum iustissime, qui per vnigenitum filium tuum, Verbum verum & æternum admonuisti nos, ne timeamus eos qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere: sed vt potiùs timeamus te, qui potes & animã & corpus perdere in gehennam. Fac Domine, vt anima mea te timeat: non enim minùs dignus es timore, quàm amore, cùm sis vti infinitè misericors, ita etiam infinitè iustus: & quemadmodum opera tuæ misericordię sunt infinita, sic & opera iustitiæ tuæ nec numerum habent, nec mensuram: & quòd magis metuendũ est, plura sunt vasa iræ, quàm misericordiæ: cùm damnandorum numerus sit infinitus, saluandorum verò perexiguus.

Granatẽs. lib. 5 Memorialis.

Matth. 10.

Operare igitur in me Domine, vt timeam te, propter magnitudinem tuæ

iustitiæ, & propter iudiciorum tuorum profunditatem: propter celsitudinẽ tuæ Maiestatis, & propter immensitatem tuę magnitudinis: propter multitudinem meorum peccatorũ, & super omnia propter rebellionem, qua tuis sanctissimis præceptis & inspirationibus hactenus reluctatus sum. Æquum enim omnino est, vt timeam in conspectu illius, ante quem columnæ cæli, & vniuersæ terræ ambitus contremiscit.

Si igitur omnes creaturæ tam in cælo, quàm in terra te sic metuant, & reuereantur, tibique obediant; quid faciã ego miserrimus peccator? quid faciam ego cinis & puluis? Si Angeli tremant, cùm te adorant, tibique laudes canũt; cur non tremet cor meum, cùm eidem vacat officio? Ah miserum me, quomodo sic induruit cor meum, vt non infinitas profundat lachrymas, quoties seruus loquitur cum Domino, creatura cum Creatore, homo cum Deo? ille qui de terra formatus est, cùm eo, qui omnia fecit de nihilo?

Psal. 118. Da Domine, vt inscrutabilia iudicia tua in corde meo fixa sint, propter hæc confige timore carnes meas, vt ab ijs timeam semper. Iudicium tuũ magnum fuit casus totius generis humani, propter peccatum vnius. Iudicium tuum fuit magnum, cùm vniuersum terrarum orbem diluuio extinxisti. Magnum fuit iudicium tuum electio Iacob, & Esau re-

pro-

probatio; Iudæ desperatio, & Pauli vocatio; Iudæorum reiectio, & Gentium assumptio. Super omnia verò metuendum iudicium tuum est, tot nationes in superficie terræ habitare, quæ sedent in regione & vmbra mortis, atque in tenebris infidelitatis; de tenebris interioribus ad exteriores properantes, & de tribulationibus tēporalibus ad æterna tormenta progredientes. Propter hanc iudiciorum tuorum abyssum timebo te Domine, quia incertus sum an ne & ego de numero eorum sum, qui à te reprobati, & ab æterna salute exclusi sunt. Si enim iustus vix saluabitur, impius & peccator vbi parebunt? 1 Pet. 4.

Infinitæ sunt iniquitates meæ, peccata mea non habent numerum, & scio quòd hæc omnia mecum procedent in iudicium, & corā tribunali tuo mecum stabunt. Cùm enim in conspectu tuo ignis exardescet, & in circuitu tuo tempestas valida ingruet; cùm aduocabis cælum desuper, & terram discernere populum tuum, coram vniuersi mundi nationibus nudabuntur omnes iniquitates meæ; omnibus agminibus Angelorum patebunt scelera mea, non solùm actuum, sed etiam cogitationum, simulque locutionum. Tot iudicibus astabo, quot me præcesserunt in opere bono; tot arguentibus confundar, quot mihi præbuerunt bene viuendi exempla; tot cōuincar testibus, quot me monuerūt pijs ser- Psal. 49.

monibus, ſeque imitandos iuſtis dederũt actionibus. Domine mi, non ſuppetit quid dicam, non occurrit quid reſpondeam, niſi hoc ſolum : Non intres, Domine, in iudicium cum ſeruo tuo: quia non iuſtificabitur in cõſpectu tuo omnis viuens : quem enim inuenies iuſtum, ſi remota pietate iudicaueris? Igitur proſtratus ante pedes pietatis tuæ corde humili & contrito dicam cum Propheta; Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me &c. Sana me Domine, & ſanabor : ſaluum me fac, & ſaluus ero : quia ſpes mea tu es, qui viuis & regnas Deus per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

Pſal.6.

Ierem.17.

Pro vera obedientia.

Petrus Michael in Sertis ſuis.

Pſal.118.

DOmine Deus, deprecatus ſum faciem tuam in toto corde meo : miſerere mei ſecũdum eloquium tuum. Cogitaui vias meas : & conuerti pedes meos in teſtimonia tua. Paratus ſum, & non ſum turbatus: vt cuſtodiam mandata tua. In æternum non obliuiſcar iuſtificationes tuas : quia in ipſis viuificaſti me. Tuus ſum ego, ſaluum me fac, quoniam iuſtificationes tuas exquiſiui.

Tibi enim meipſum, & omnia mea tẽpora, ſenſus, cogitationes dedico, meq́ue totum tanquam holocauſtum tibi offero. Non mea vnquam, ſed tua in me & de me voluntas fiat. Certè ſi tu voles, facile mihi erit, nõ ſolùm me præceptis

tuis ſubdere, verùm etiam ſacris inſpirationibus nihil penitus obluctari; Neque tantùm Superioribus meis cæca, veloci, humili voluntatis & iudicij obedientia, verùm etiam ad imitationem tui, qui te obſequentẽ prębuiſti in grauiſſimis tormentis, dum ab impuriſſimis miniſtris iuſſus purpurã induere vel exuere, ſedere vel ſtare, caput, corpusq; ad colaphos, alapas & flagella, vel clauos extendere, crucem portare, mortis ſententiam ſuſcipere, ómne improperij genus moriendo tolerare, libenter paruiſti: te inquam in tantæ obedientiæ tuæ exemplo intuens, in tolerandis aduerſis, vtpote morbis, damnis, confuſione & contumelia, à quocunque, ſiue meritò, ſiue immeritò illatis; quin imò morte etiam, ſi ita voles, ignominioſa ſubeũda tibi obediam, nihil aliorum iudicia verbaque reueritus à cœpto deſiſtam, aut contra te quicquam agam, dicens cum Propheta: Ego Pſal.72.
tanquam iumentum factus ſum ante te, ego autem ſemper tecum.

Hæc mea eſt voluntas, hoc deſiderium, quod te dignum eſt, quodque tuæ in me obedientiæ vis & meditatio excitat. Conſerua Deus meus, quod operatus es in me. Orabo te Domine Ieſu cum Dauide, quem ob hanc virtutem virum ſecundum cor tuum appellaſti, orabo te, inquam, & dicam: Vtinam dirigantur Pſal.118.
viæ meæ ad cuſtodiendas iuſtificationes tuas. Tunc non confundar, cùm perſpe-

xero

xero in omnibus mādatis tuis. Confitebor tibi in directione cordis, in eo quòd didici iudicia iustitiæ tuæ. Iustificationes tuas custodiam, non me derelinquas vsquequaque. Amen.

Pro mentis & corporis castitate.

Collector. DOmine Iesu Christe, fons puritatis, & amator castitatis, qui pasceris inter lilia: qui candidus es & rubicundus, sponsus omnium castarum animarum, scio quòd thesaurum incomparabilem, quem in hoc fictili corporis mei vase mihi concreditum circumfero, absque singulari tua gratia illęsum seruare non possum: scio corpus meū esse templum Spiritus sancti, quod contaminare sacrilegium est. sed & scio quòd non possum Sap. 8. esse continens, nisi tu Deus dederis: cùm caro semper concupiscat aduersus spiritum, & brutis suis voluptatibus ęgrè vult defraudari.

Cùm itaque, ô purissime amator hominum, castitas donum tuū sit, supplex ad te venio, obsecrans te, vt extinguas in me omnem flammam libidinis: cingas lumbos meos zona castitatis, & vras igni Spiritus sancti cor meum Domine, vt tibi mundo corde placeam, & casto corpore seruiam.

Tibi hodie & omni tempore puritatem corporis mei commendo, vt sub tua custodia secura sit ab omni actu illicito, siue is violentus sit, siue voluntarius:

neque

neque vlla vel locutione obſcœna, vel cogitatione immunda polluatur. Extollentiam oculorum ne dederis mihi, ne fortè mors per feneſtras iſtas ad me ingrediatur, & impudicus oculus impudici præcurſor ſit animi. Ne derelinquas me in cogitatu immundo, & omne deſiderium malum auerte à me. Aufer à me ventris concupiſcentias, & concubitus concupiſcentiæ ne apprehendant me, & animæ infrunitæ atque irreuerenti ne tradas me: ſed deſponde me tibi in iuſtitia & iudicio, in pietate & miſerationibus: deſponde me tibi in fide, vt verè te cognoſcam & diligam: coniunge me corpori tuo inſertum, vt tibi adglutinatus hauriam ex te ſuccum vitæ, & ſapientiæ cæleſtis, quæ non habitat in corpore peccatis ſubdito.

Nihil eſt carne noſtra magis lubricũ, ô Domine; ad cogitationem vnam impuram, ad vnum verbum obſcœnum, & aſpectum vnum impudicum concupiſcentiæ ſtimulis exagitatur, inardeſcit, reluctatur ſpiritui, & illicita concupiſcit: tolle quæſo omnes huiuſmodi occaſiones, & præſerua me, ne pudicitia mea vnquam vel periclitetur, vel carnis deſiderijs ſuccumbat. Amen.

Pro ſalutari morte.

O Domine Ieſu Chriſte, fili Dei viui, per amariſſimam illam anguſtiam, quæ animã tuam inuaſit, dum ora- Granatẽſ. in Appẽdice 2 Memorialis.

bas in monte Olïueti; perque tremorem &pauorem illum,qui concusserunt sanctissimam carnem tuam,quando prę dolore dicebas; Tristis est anima mea vsque ad mortem : te oro,animo & spiritu humillimo, corpore quoque in terram prostrato, vt in vltima hora transitûs mei, quando in extrema angustia timor & tremor occupabũt cor & intellectum meum,succurras mihi, & des in tristi illa agonia, vitæque & mortis duello robur & fiduciam tuæ misericordiæ.

O suauissime Domine, & Magister mi,noli me illa hora, & in summo illo periculo derelinquere: sed sicut Pater tuus misit tibi Angelum de cælo, qui te consolabatur; ita tu Domine mitte mihi Angelum sanctum tuum, qui mihi assistat in illa hora : qui me confirmet, ac robur mihi subministret, contra omnes impugnationes inimici : quique in omnibus mihi auxilietur. Ne patiaris Domine, vt consilium & tentationes maligni præualeant contra nos,aut eius tentationes nos superent ; aut vt ille falsis suis persuasionibus nos seducat, & decipiat.

Arma & corrobora cor nostrum virtute tuæ patientiæ, vt nec aduersitas, nec dolor quantũuis magnus nos ad impatientiam impellat: sed in omnibus & per omnia sit anima nostra subiecta & conformis tuæ diuinæ voluntati, tam in infirmitate, quàm in sanitate; tam in ad-

uer-

uersitate; quàm in prosperitate, tam in morte, quàm in vita: quemadmodum & tu Domine volũtatem tuam naturalem postposuisti voluntati Patris tui, dicens; Non mea, sed tua voluntas fiat. Non flagito Domine, vt mortem mihi tribuas dulcem, non vt dolores exiguos, non morbum oro facilem. Omnia hæc tuæ committo pietati, vt disponas hæc non secundum desiderium meum, sed secundum vtilitatem & necessitatem salutis meæ. Gratia quam à te petimus, hæc est, vt in omni afflictione nobis detur robur & fortitudo talis, quæ nulla in re succumbat; sed inuicta maneat, & inexpugnabilis, vsque ad vitæ terminum: vt ex societate, quam in hac vita tecum habemus per gratiã, mereamur hinc transmigrando venire ad illam, quam tecum habent Sancti in gloria. Amen.

CAPVT XV,
EAS CONTINENS ORATIONES, QVIBVS BONA temporalia à Deo expetimus.

Pro pace impetranda.



Omnipotens sempiterne Deus, Pater misericors, largitor pacis, & amator charitatis, qui in tantum pacem nobis commendasti per filium tu- Ioannes Ferus.

Matth. 5. um Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, vti ſolos pacificos filios tuos vocare dignareris: da omnibus quibuſcunque cauſis diſcordantibus, nobisque tuis filijs veram cum tua voluntate concordiã, quam mundus dare nequit: tu enim ſolus, qui pugnas pro nobis; vt ſepoſita hoſtium formidine, tibi in tua protectione hîc ſeruiamus, & in futuro ſeculo tecum in ſempiterna pace viuamus.

Additio. Benefac Domine terris, vrbibus & cunctis oppidis, atque locis, in quibus verbum tuum habitat, & ſincerè docetur: cõforta ſeras portarum noſtrarum, (Pſal. 141.) & benedic filijs tuis in eis: pone fines & terminos noſtros pacem, & adipe frumenti ſatia nos. Æterne Deus, qui nos vocaſti in pace, da vt cum omnibus hominibus pacem habeamus, quantum in nobis eſt: Mitiga corda noſtra, vt omnes obliuiſcamur iniurias, atque alij alijs in multis rebus mutuam demus veniam, ne vlciſcentes nos, & offenſas noſtras, tollamus vitæ tranquillitatem.

Reprime Domine Satanam turbatorem piæ concordiæ, & Chriſtianæ pacis, qui circumeundo per omnes regiones in terris diſſeminat litium & bellorum occaſiones. Cuſtodi nos à bello & cæde, diſſipa gentes quæ bella volunt. Infringe atque impedi omne malum conſilium, & volũtatem eorum, qui nihil meditantur, nec ſitiunt aliud, quàm vt ſanguinem profundant. Exaudi nos Deus

pacis,

pacis, & largire, vt pax tua exuperans omnem intellectum humanũ custodiat corda nostra, & sensus nostros in Christo Iesu, Dño nostro, qui tecum viuit & regnat per omnia secula seculorũ. Amẽ.

Vt vitæ nobis det Deus necessaria.

VTique Domine Deus meus, Pater meus, tu corpus meum, animã meam, facultates meas mihi contulisti, ego de manibus tuis quicquid illud est, quod esse & possidere videor, suscepi. Tu Ecclesiæ tuæ etiam promissiones de rebus corporalibus tradidisti; ideo ad te clamamus filij tui, vt des nobis panem quotidianum, & quidquid pertinet ad corporalẽ sustentationem. Mendicitatem prohibe à me, ne egestate compulsus furer, & periurem nomen Dei mei: néve murmurando contra tuam volũtatem, & meam sortem, aut inuidendo ditioribus fortunam eorum meliorem, offendam te, & mandata tua transgrediar. Diuitias quoque ne dederis mihi, ne captus & immersus terrenarum opum desiderio insatiabili, néve inhians turpi lucro, obliuiscar regni tui, & excusem me non posse venire ad cœnã magnam & cælestem, ad quam omnes vocati sumus per Euangelium; ne denique satiatus illiciar ad negandũ, & dicam; Quis est Deus meus?

Collector.

Prou. 30.

Luc. 14.

Tribue tantùm victui meo necessaria: da victum & amictum, da animum

his contentum. In te enim fiducia mea, in te ſpes mea: conquieſco planè in te: ſcio quòd non derelinques me. Tibi omnia mea, vxorem, liberos, domeſticos commendo, ad tua præſidia confugio. Benedic Domine operibus manuum nostrarum, benedic agris & ædibus noſtris: emitte benedictionem tuam ſuper horrea & cellas noſtras. Manda virtuti tuæ, & benedic promptuarijs & omnibus reliquijs noſtris. Da alme Deus, vt in nomine tuo laxemus rete noſtrum, operaque vocationis noſtrę ſedulò & diligenter faciamus, cum inuocatione auxilij tui, & fauore tuo proſperos habeamus ſucceſſus in hoc ſeculo, & in futuro vitam æternam. Amen.

Deut. 28.

Luc. 5.

Pro ſanitate corporis.

Lodouic. Viues.

VEra atque vnica eſt ſalus, id valere in nobis, quod noſtri eſt pars potiſſima, tuiq; Domine ſimillima. Hoc eſt, fieri eam, quoad eius perfici queat, cultu atque amore vicinam coniunctamque tibi, qui ſolus es ſalus noſtra. Sed ea ipſa mens, quatenus corpori eſt annexa, ſentit illius affectiones, & in eis commouetur. Pharmaca & medicinæ omnes ex iuſſu tuo ac nutu proſunt, ſuperflua atque inania futura, niſi tu annueris, & illorum, & naturæ vniuerſæ opifex.

Voluntas tua vnica autor eſt vitæ ac mortis, valetudinis proſperę & aduerſæ, quam tu ſæpe immittis nobis, propter

caſti-

castigandum & cohibēdum corpus hoc, effundens se in libidinem omnium proiectissimam, veluti belluam immanem & effrę nem, quod viribus & felici habitudine obliuione nos obruit veræ salutis. Da Pater vt rectè valeamus corpore, quo integra & sana sit mens in corpore sano. Aut si bene esse corpori non est è re nostra, tribue saltem fortem animum; præbe vires ac robur, vt morbum possimus tolerare; ne corporis dolor atque infirmitas in ipsam mentem redundet. Amen.

Pro bona fama.

HÆ sunt artes Satanæ accusatoris fratrum nostrorum, ô iustissime iudex, & innocentium patrone, Domine Deus, vt cùm nos palàm ad malitiam inducere non potest, ad insidias antiquas se conuertat: famam scilicet nostram denigrare, & bonum nomen nostrum traducere quouis modo studeat; vt talibus iniurijs, & pessimarum linguarum petulantia ad iram commoueamur, & indignas calumnias impatienter feramus. Ne in hanc igitur tentationem incidamus te oro, pijssime Domine Iesu; vt qui calumnias & blasphemias Iudæorū perferēdo didicisti compati infirmitatibus nostris, etiam tentatus in hoc; nomen meum & integram famam meam custodire digneris, cùm nihil pretiosius possideam nomine bono, quod melius est di- *Collector.* Eccles 7.

uitijs multis, & vnguenta pretiosissima quæque superat.

Hoc autem insigne decus boni nominis habere non possum, sine tuo auxilio: cùm nomen bonum oriatur ex vita bona & inculpata. Te igitur inuoco, mitissime Domine, vitæ integritatem & sanctimoniam mihi concede, ad tuũ honorem, & proximi correctionem. Verùm quia etiam innocentia & probitas à venenatis & falsis linguis non semper est tuta, sed interdum vulneratur ab ijs, qui
Ezech.2. dicunt; Linguam nostram magnificabimus, labia nostra à nobis sunt, quis noster Deus est? fit sæpe vt dum inter amicos versari nos arbitramur, cum Propheta tuo in medio scorpionũ habitemus. Ideo supplico tibi, pie defensor innocentium, disperde vniuersa labia dolosa, &
Psal.11. linguam magniloquam. Sepulchrum enim patens est guttur eorum, nil nisi
Psal. 5. fœtidos odores exhalans, & linguis suis agunt dolosè: iudica illos Deus, quoni-
Psal.13. am venenum aspidum sub labijs eorum est. Dentes eorũ arma & sagittæ, & lin-
Psal.56. gua eorum gladius acutus. Eripe me de inimicis meis, & à calumniantibus me
Psal.90. libera me: libera me de laqueo venantium, & à verbo aspero. Libera, inquam, ô
Psal.119. Domine, animam meam à labijs dolosis, & peruersis, à lingua fallaci defende me.

Si verò sic tibi placeat, ô benignissime Iesu, vt per tales linguas ad pietatem

exer

exercear, da mihi, vt cum S. Paulo in bonitate perseuerare possim, quicquid tandem de me sentiant & loquantur inuidi: siue honore me afficiant, siue ignominia, siue malos, siue bonos rumores de me spargant. Amen.

In sumptione antidoti.

DEus infirmitatis humanæ singulare præsidium, qui benedictionis tuæ gratiam ægris infundendo corporibus, facturam tuam multiplici pietate custodis: ad inuocationem nominis tui benignus assiste, vt per hoc medicamẽtum omnis de meo corpore pellatur humor pestifer; quatenus clarescentibus meis sensibus in tuo seruitio valeam mundus persistere: Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Ex libello cui titulus Hymni & Collectę.

In diminutione sanguinis.

MEdiator Dei & hominũ Deus homo Iesu Christe, qui ne æternæ mortis deputaremur supplicio, tui sacri sanguinis nos redemisti precio: præsta, vt per hanc diminutionẽ sanguinis proueniat mihi salus corporis; omnes mei clarescant sensus, totiusque in me frigescat prauæ voluptatis luxus; per te Saluator mundi, qui venturus es iudicare viuos & mortuos, & seculum per ignem. Amen.

Ibidem.

Tempore diuturnæ siccitatis.

Collector. Deut.11.

MIsericors & pie Deus, qui in præceptis tuis ambulātibus promisisti daturum te pluuiam temporaneam & serotinam, vt colligant frumentum, & vinum, & oleum, fœnumque in agris ad pascenda iumenta, vt comedant ipsi, & saturentur. Vides sitiētes agros nostros, vides arentes herbas & segetes ardore solis amburi. In hortis, & agris, & pascuis languent omnia, & quasi intermoriuntur: quia cælum desuper nobis factum est quasi æneum, nec ros, nec pluuia descendit in terram nostram. Non quia tu vanus es in promissionibus tuis, sed quia istæ non pertinent ad nos, qui peccauimus, iniquitatem fecimus, & declinauimus à mandatis tuis. Ideo stillauit super nos maledictio & detestatio, quæ scripta est in libro Moysi serui tui.

Deut.12.

Pius tamen es, & misericors Domine, nec repellis orationes eorum, qui ex toto corde clamant ad te. Procidentes igitur ad genua diuinę Maiestatis tuę, obsecramus te, auertatur ira tua, & furor tuus à nobis, & à loco isto: ne secundum peccata nostra multa & magna facias nobis, sed secundum misericordiam tuam, quæ superat omnia opera tua. Aperi cælos tuos, & terram nostram, quam videmus tabescentem, cælestibus aquis perfunde, & irriga eam beneficijs gratiæ sempiternæ. Aërem redde temperatum, pluuias lenes, rores benignos, fructuum magnam vim: vt annus plenam nobis

omnium rerum copiam ſuppeditet, ac totius anni curriculo fructus nobis abundent: quò præſentibus ſubſidijs ſufficienter adiuti, ſempiterna expeditiùs & alacriùs appetamus, & conſequamur, per miſericordiā vnigeniti filij tui, cum quo benedictus es nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amen.

Pro frugibus terræ.

OMnipotens, benigniſſimeque Domine Deus, aperi obſecro tuam infinitæ miſericordię manum; eleua oculos tuæ munificæ prouidentiæ, & reple orbem terræ benedictione, quò creaturarum tuarum neceſſitati proſpectum ſit. Corona annum benignitatis tuę, vt terra optatos populo tuo proferat fructus. Petrus Michaelis in Sertis ſuis.

Conſerua & cuſtodi, quod iam natum eſt, à grandine, & quauis alia tempeſtate, aëriſque omni nociua intemperie. Ante omnia verò te oro, vti nobis eam des mentem, vt timeamus, & rectè colamus te: ne indigni ſimus, in quos beneficia tua conferantur: ſed nos in conſpectu tuo filios obſequentes præbeamus, quibus panis menſæ tuæ debetur, quique tibi ob beneficia accepta honorem & debitum obſequium impartiri ſemper ſolicitè curent, atque omnibus, quæ largitus fueris, ad tuam gloriam & ſalutem ſuam vtantur. Amen.

CAPVT XVI.

PRECATIONES PIAE QVIBVS FRATRIBVS NOSTRIS & proximis fausta omnia, feliciáque precemur.

Pro Ecclesia Catholica.

Collector.



ÆLestis, omnipotens & misericors Deus, qui Ecclesiam sanctam, quæ est congregatio hominũ per vniuersum terrarum orbem dispersa, & in vnitate veræ fidei collecta, Vnigenito filio tuo desponsasti tunc, cùm illam amarissima sua morte in Cruce redimeret, ita vt ille nunc Ecclesiæ non tantùm sponsus sit, sed & caput: qui antequam ad cælos reuerteretur, promisit se cum ea futurum vsque ad consummationem seculi. (Matth. 28.) Nos illius membra rogamus te supplices, vt digneris clementissimos oculos tuos in nos conuertere, & omnes infirmitates nostras à nobis auferre; quæ sanè quàm plurimæ sunt; vt per fidem in nobis operantem liquidò constare queat, cuius patris filij, & cuius præceptoris discipuli sumus.

Ante omnia verò deprecamur te, vt protegas & conserues nauiculam Petri in medio maris impetuosi, inter omnium turbinum procellas, & terribiles in-

undati-

undationes fluctuantem, ne demersa intereat. Ouile tuum defende ab impetu luporum, ne maceriam perfodiant, & ingressi oues tuas, quæ numero paucæ sunt, prosternant, iugulent, ac deuorent. Expectamus quotidie, & sperauimus hactenus, quòd vnum facies ouile, sicut vnus est pastor. sed ô Domine, videmus quotidie numerum tuarum ouium minui, multas perire, & ouile magis magisque coarctari. Multiplicati sunt lupi, & nusquam non ferox aper inuenitur, qui execrabili sua & maledicta hæresi, doctrinaque tot seculis aut non audita, aut penitus damnata vineā tuam, quam maximis laboribus ex Ægypto transtulisti, exterminare atque depascere gestiunt. sed tu Domine excita potentiam tuam, & ostende te nostrum esse Deum: custodi eos, super quos nomen tuum inuocatum est, & qui in nomine filij tui congregati sunt. Psal. 79.

Memento cælestis Pater, tibi post Christi filij tui humanitatem nihil charius esse Ecclesia; ne sinas igitur, vt propter nostras transgressiones hæc tua in nos charitas extinguatur, aut nos secundum merita nostra in corruptam fidem incidamus. Oro te Domine, pro me, & pro omnibus qui sub alis Ecclesiæ matris nostræ adhuc latitant; ne nos vnquam patiaris ab eius vnitate deuiare; custodi nos ab illis, qui Petri, cęterorumque Apostolorum ac Patrum Ecclesiæ

doctrinam euertere, & in eius locum Caluinum, Lutherum, Mennonem, aliosque eius farinæ pseudoprophetas suos substituere conantur.

Exurge Domine, & vide, quàm multæ innocentes animæ pereunt, nescientes quid faciunt: quæ in nomine tuo baptizatæ sunt, & tamen ad hanc cæcitatem peruenerunt. Quousque, benignissime Pater, videbis templum tuum demoliri? sanctuarium tuum igni accendi? pollui tabernaculum nominis tui? portionem tuam desiderabilem dari in desertū solitudinis; & tacebis? Quamdiu cernes sanctissima tua Sacramenta, ad nostram sanctificationem instituta, conculcari? iuge illud sacrificium Missę contemni, & impugnari? corpus & sanguinem dilectissimi filij tui, verum animarum nostrarum alimentum, prophanis manibus attrectari, ne dicam pedibus proteri? Hæccíne videbis adhuc diutius & silebis? Cur, Domine, pateris hæc, vt fiant? An peccata mea hæc meruerunt? Meruere sanè hæc, & mea, & totius populi peccata: ideoque non immeritò horrore concutimur: nam si ea in hoc seculo tanta cæcitate plectantur, quid fiet in futuro, si in hac ingratitudine, cordisque duritia perseueremus?

Psal. 73.

Tolle igitur à nobis Domine, tolle causas ad hanc iracundiam te prouocantes: ostende nobis faciem tuam; oriatur nobis sol gratiæ & misericordiæ

tuæ; crescat fides nostra sanctissima; extende regni tui pomœria, dilatetur Ecclesia, exerat palmites suos ad mare, & vsque ad flumē propagines suas. Infringe potentiam hostium tuorum, qui immani odio cum suis satellitibus grassantur, & conspiratione facta debacchantur aduersus Ecclesiam tuam, vt ea faciant stabula luporum, & latronum antra perniciosissima.

Conserua nos, vt maneamus in sancta, Catholica & Apostolica Ecclesia, collecta ex membris multarum gentium; sed coniunctis tibi in eadem confessione. Sanctifica nos spiritu tuo, vt peccatis nostris remissis deinceps in nouitate vitæ ambulemus; vt tandem ex hac Ecclesia militante, ad illam triumphantem sine vllo offendiculo transmigremus. Amen.

Alia pro Ecclesia breuior.

O Amicissime nostri Christe, ô sponse, cui est vnicè chara tua Ecclesia, quique pollicitus es, te illi nunquam defuturum; auge eam, & fac lætissimam bona sobole, patris simillima, nēpe tui: fac nos omnes idem & de te sentire, & in te, vt simus verè vnum corpus illud, cui tu es caput, conglutinati & compacti charitate mutua de tuo illo perpetuo igne accensa. qui ita nos amasti, vt sanguinem & vitam tuam pro nobis impenderes. Lodouic. Viues.

O Chri-

O Christe, auctor & suasor charitatis, pacis, beneuolentiæ, emolli durissima nostra pectora, & planè ferrea: calefac corda nostra glacie cōcreta, & durata, vt mutuò bene cupiamus, quo agnoscant omnes discipulos tuos esse nos, & iam nunc incipiamus vitam illam cæleste̅ exprimere, in qua nulla est dissensio, nullum odium; sed pax & amor omnium inter nos. Amen.

PRO ECCLESIA,

Cùm ab hæreticis bello & falsis doctrinis exagitatur.

Clerus Coloniensis, quo tempore Truchsesius Ecclesiam persequebatur.

OMnipotens & misericors Deus, creator & moderator cæli & terræ, quem nihil latet eorum, quæ nobis miseris Christianis in hac lachrymarum valle eueniu̅t: qui etsi iustè propter peccata & iniquitates populi tui irasceris, & permissione horrendi furoris, & persecutionis impiorum grauiter tentari, contristari, & ad tempus lædi pateris: Nihilominus tamen pro paterna tua pietate, & prouidentia, in æquissima ira multoties promissæ misericordiæ citò soles recordari, simulac populus & filij tui, ô benignissime Pater, cordibus contritis ante thronum gratiæ tuę se humiliant, & spiritu tribulato, firmaque fiducia, per Iesum Christum dilectissimum filium tuum, suum verò fidelem seruatorem & redemptorem, tanquam propitiationem pro peccatis suis, & per quem

solum

ſolum tibi placuit reconciliare, & reſtituere, quod perditum, atque dirutũ fuerat, pro gratia & remiſſione grauiſſimi debiti, miſerè gemunt & obteſtantur, ſeq́ue auxilio gratiæ tuæ ad omnẽ emendationem ac obedientiam promptos offerunt; firmiter confidentes, te eſſe Patrem miſericordiarum & Deum totius conſolationis, qui non vis mortem peccatorum, ſed magis vt conuertantur & viuant, clamasq́ue per filium tuum dilectiſſimum; Venite ad me, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Matth. 11.

Reſpice propterea, ô clementiſſime Deus Pater, Deus Filius, & Deus Spiritus ſanctus, vnus verus Deus, & ęternum bonum; O vnicum Chriſtianiſmi tui afflictiſſimi perfugiũ, reſpice te obteſtamur oculis tuæ infinitæ miſericordiæ hunc puſillum Catholicum gregẽ, quem multis hactenus in periculis conſeruaſti. Illumina tenebras cordium noſtrorum, in omnium hominum ordinibus, vt vnanimes, communiq́ue doloris ſenſu peccata & iniquitates noſtras, tanquã cauſam omnis miſeriæ & calamitatis, humiliter agnoſcamus, vera cordis contritione confiteamur, & dignis pœnitentię fructibus caſtigantes, per ſacramẽta, gratiæ tuæ inſtrumenta, in ſanguine Ieſu agni innocentiſſimi, pro nobis cæſi, eluamus, & expiemus; nosq́ue tibi, ô fideliſſime & fortiſſime liberator, oblationem ſanctam, viuam, beneplacentem &

per-

perfectam offeramus ac consecremus: quæ tibi in conspectu & æstimatione pretiosissimi sanguinis, passionis & mortis filij tui sic accepta sit, vt coram te in gratiam accepti, & forti brachio tuo, quo sæpius populum tuum è manibus inimicorum tuorum fortiter eruisti, contra inimicorum nostrorum iram & rabidum furorem defensi atque protecti maneamus.

Respice de summo Maiestatis tuæ throno, ô Domine Exercituum, in iram & insolentiam Aduersariorum nostrorum, & vide, quàm temerè veritatem & illustrationem tuam in impuris & abominanda hypocrisi contaminatis cordibus, studijs, machinationibus suis iactitent. Sacramenta profanent, verbum tuum adulterent, thesaurum sanctissimæ carnis & sanguinis tui, quem fidelibus tuis singulare præsidium & solatium testamento legasti, negent & propulsent. Catholicam & Apostolicam Ecclesiam, sponsam tuam & saluificā religionem conuicijs proscindant, calumnientur, & mendacibns criminationibus insectentur. Nobisq́ue ideo, quòd ab accepta fideliter à patribus religione, quam tot sanctorum Martyrum corporibus fundasti & contestatus es, recedere, & nos in societatem impij & iniqui studij & conatus illorum adiungere nolimus, omnis generis clades, per seditiones, rapinas, cædes, & incendia minentur & inferre

conen-

conentur. O Domine & fortis ſaluator, qui odiſti & citò præcipitas turgidos & inflatos ſpiritus, & nequaquam aſpernaris humiles pauperum tuorum preces & obſecrationes, conuerte ad te corda eorum, vt agnoſcant impios ſuos conatus & deſerant. Imple facies eorum ignominia, vt nomen tuū, quod per excæcationem & ſubuerſionem cordium ſuorum in nobis Catholicis perſequuntur, quærant & inueniant. Infatua & in nihilum cōuerte eorum conſilia, confunde eorum ſtudia, vt in veritate experiantur te populi tui qui ſe ad te conuertit, iuxta promiſſiones tuas obliuiſci, & hoſtibus eorum parcere nequaquam velle. Largire quæſumus Eccleſiaſtico Magiſtratui, Pontifici Romano, Archiepiſcopis & Epiſcopis omnibus veram doctrinam & pietatem. Da Regibus & Principibus ad communem pacem Eccleſiæ, & ſacri Romani Imperij conciliandam, felicem ſucceſſum & victoriam, contra inimicos tuos & ſuos. Da illi & alijs magiſtratibus & huius ciuitatis Moderatoribus & Senatui lætitiam ſalutaris tui, & confirma eos ſpiritu principali veræ ſapientiæ & fortitudinis, per quem in omnibus conſtituant & promoueant, quod ad tuum beneplacitum & communem pacem & vtilitatem profuerit. Da etiam Ciuibus noſtris & Inquilinis, ad conſeruationem & defenſionem peruetuſtæ & venerandæ fidei, in te cor im-

per-

perterritum & inuictum, Magistratibus suis obedientissimũ, inter se mutuò pacis & concordiæ studiosissimum, miseris & afflictis foris consolationem & patientiam, nobis & singulis nouum spiritum cum firmo proposito & bona voluntate in omnem obedientiam & pietatem paratissima, quo in pręsentis belli periculis fidelissimum auxilium ad gloriam nominis tui reipsa experientes, & à timore inimicorum nostrorum liberati, in sanctitate & iustitia te laudemus, tibi gratias agamus, atque debitum obsequium præstemus.

Exaudi ergo, ô spes & consolatio afflictorum, hos gemitus & preces nostras, per Iesum Christum Dominum & Redemptorem, perque intercessionem gloriosissimæ matris illius, atque omnium Sanctorum, eorum præcipuè, quorũ preciosa morte & fortitudine hanc Prouinciam & Ciuitatem bene hactenus ornatam & communitam esse voluisti, qui tecum in perpetua pace, ad quam omnes post huius vitæ ærumnas aspiramus, viuunt & regnant. Amen.

Pro omni Ecclesiæ statu.

Ioannes Ferus.

O Domine Deus, cuius misericordia magna est, cuius gratia superabundans est, cuius dilectio immensa est, humiliter te obsecramus, misericordiam, gratiam & charitatem tuam omnibus Ecclesiæ tuæ Præsulibus ostende propi-

tius,

tius, vt officio, quod te tradente veluti per manus acceperunt, dignè incũbant, in seipsos & gregem attendant, pascere Ecclesiam tuam, quam filius tuus proprio sibi vindicauit sanguine. Sint inculpatæ vitæ in sancta conuersatione, propter sempiternum illum animarum nostrarum Episcopum.

Sed & pro omnibus Pastoribus, & Christianæ Ecclesiæ presbyteris interpellamus, vt gregi Christi spontaneè, non coactè præsint, pro quo cùm apparuerit pastorum princeps immarcescibilem accipient gloriæ coronam. In Apostolicis statutis veluti claro speculo se contemplentur, agnoscant & emendent.

Pro Romano Imperatore etiam, ô Pater clementissime, precamur te, pro Regibus & omnibus Magistratibus, vt ad senectam vsque perueniant curuam: perfunde in illos gratiæ tuæ benedictionem, Sapientiam illis largire & scientiam, vt per te regnent, populumque tuum paterna gubernent solicitudine. Admone illos tu, vt erudiri & doceri patiantur se, vtque diuinæ legis volumen ipsi in manibus habeant, legantque semper, & ex eo tibi deuoti seruiant. Ne timorem tuum illis subtrahas, quo pacem inter se mutuam conseruent, & foueant, populumque tuum iustè iudicent, & omnibus ex æquo sine personarum respectu iustitiam administrent, scientes & se

Dominum in cælis habere.

Conserua populum tuum in obedientia fidei, vt omnem potestatem reuereantur, & venerentur, ipsique quod suum est tribuant in humilitate: quoniam ministra illa tua est. Sed & pro omnibus in genere tuam precamur misericordiam. Confirma debiles, sana ægrotos, cura infirmos, adiuua derelictos, honorifica contemptos, miserere pertinacium, illumina inimicos nostros, dimitte persequentibus nos, benefac mala facientibus nobis, vt te donante errata sua tandem agnoscant.

Pauperibus necessaria administra, peregrinos recrea, captiuos visita, pupillos & viduas vindica, lætifica mœstos, conuerte delinquentes, confirma iustos, custodi progredientes, pasce fideles operarios, succurre in partu laborantibus, adsis morientibus, consilia pia approba, benedic terram, bella compesce, diaboli pessunda malitiam. Angelos tuos de cælo mitte sanctos, qui nos in aduersis tueantur, ab omni malo custodiant, infernalis illius draconis assiduò oppugnent tyrannidem, vt securi persistamus ab illius potentia: præcedant nos semper, vt in tua protectione, quæ bona sunt perficiamus, quę mala omittamus, per Iesum Christum Dominum & redemptorem nostrum. Amen.

Pro summo Pontifice Romano.

Domine Iesu Christe, Pontifex ęterne, qui per proprium sanguinē introijsti semel in sancta, æterna redemptione inuenta, quique in cælum vnde descenderas ascensurus Apostolo Petro, eiusque successoribus Romanis Pontificibus, Agnos tuos pascere præcepisti, regni cælestis claues tradidisti, eosque Vicarios tuos in terris constituisti, ne visibilis Ecclesiæ corpus, visibili capite in rebus dubijs & aduersis carere videretur. Quæsumus clementiam tuam, vt hunc famulum tuum N. Pontificem Maximum, pastorem & Rectorem nostrum, ab omni aduersitate & periculo tam animæ, quàm corporis, quàm diutissimè serues incolumem: vt Ecclesiam tuam in hac regnorum omniū ruina, & postremæ ætatis calamitatibus grauissimis, atque in tot peruersorum dogmatum atque hæresium confusionibus piè ac sapienter regat, & tueatur.

Collector. Heb. 9. Ioan. 20. Matth. 16.

Illumina mentem eius vera verbi tui agnitione, vt salutaria nos doceat, & oues suas pascat sanæ atque incorruptæ doctrinæ pabulo. Suggere illi consilia optima, sapientiam, industriam, fortitudinem animi: vt hæreses omnes, & peruersa dogmata tollat è medio, ne posteritati vlla errandi relinquatur occasio: quò sic ab omnibus Regibus & Principibus Christianis, veris Ecclesiæ tuæ nutricijs, suspiciatur, diligatur, & à virulentis hostium blasphemijs, violentisque

impu-

impugnationibus in ſua functione defendatur: vt in animorum concordia, & vnitate fidei tibi Chriſte ſeruiamus; Qui viuis & regnas Deus, per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

Pro Epiſcopo & Paſtore.

Collector. DEus fidelium omnium paſtor & rector, qui hunc famulum tuum N. ad functionem muneris Apoſtolici, vt regeret Eccleſiam hanc, quam acquiſiuiſti ſanguine tuo, vocare dignatus es; te ſupplicibus ac deuotis ſuſpirijs oramus; da illi ſpiritum tuum rectorem linguæ illius, vt potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos qui contradicũt arguere.

Da vt verbo tuo dignè ambulet; ſit
1 Cor. 9. exemplum populo ſuo, ne dum alios docet, ipſe reprobus inueniatur. Attendat ſibi & gregi vniuerſo; ambulet in conſpectu tuo in veritate, & iuſtitia, & recto
Tit. 1. corde. ſit ſine crimine, ſit hoſpitalis, benignus, ſobrius, iuſtus, ſanctus & continens: fac eum vigilantem & ſolertem, vt audacter ab ouili ſuo depellat lupos rapaces, qui dilacerant & diſpergũt gregem tuum, vt poſſit conuincere pſeudoprophetas redarguendo, & confutando hæreſes eorum.

Tribue illi os & prudentiam, cui ne-
Luc. 12. mo poteſt reſiſtere, & contradicere. Eos qui manifeſtè peccant coram omnibus arguat, ſine reſpectu perſonarum; vt & cęteri timorem habeant, & auertantur

à vijs

à vijs pessimis: si quis autem præoccupatus fuerit aliquo delicto, huiusmodi spiritu mansuetudinis obiurget, ne qua anima ex ouibus suis pereat: sed ad vitam vnà cum vniuerso grege sibi concredito perueniat sempiternam. Amen.

Pro Cæsare Romano.

Memento Domine pijssimi & fidelissimi Imperatoris, quem decreuisti regnare super terram. Da ei arma veritatis, arma bonæ voluntatis: corona eum, obumbra caput eius in die belli, confirma brachium eius. Exalta dexteram eius, corrobora imperium eius, subditas illi fac omnes Barbaras nationes, quæ bella volunt: Tribue illi profundam & inablatam pacem; loquere in cor eius bona pro Ecclesia tua, & omni populo tuo, vt in tranquillitate eius tranquillam, pacificamque vitam peragamus, in omni pietate & venerabilitate. Amen. Ex Missa Basilij Magni.

Pro Rege Catholico.

Dominator Domine, Rex cæli & terræ, cuius est magnificentia, & potentia, & gloria atque victoria, & tibi laus: cuncta enim quæ in cælo sunt, & in terra, tua sunt; tuũ Domine regnum, & tu es super omnes principes. Cor Regis in manu tua est, & tu quocunque volueris inclinabis illud. Cùm itaq; multum intersit qualem habeamus princi- *Collector.* 1 Par. 29. Prou. 21.

Eccli 10. pem, (Rex enim insipiens perdit populum, & ciuitates inhabitantur per sensum prudentium) te supplices rogamus Domine, rege mentem & voluntatem Principis nostri, vt seruiat tibi Deo omnipotenti in timore, & exultet in tremore: apprehendat disciplinam veram; & religionem catholicā aduersus omnes nostri temporis hæreticos tueatur: sit
Psal.17. verus Ecclesiæ tuæ nutricius, Persequatur inimicos & tuos & suos: comprehendat illos, & non conuertatur donec
2 Reg.7. deficiant. Stabiliatur Domine regnum eius, & thronus eius sit firmus iugiter. Largire illi sapientiam & intellectum agendi, quæ tibi grata sunt, quæque ad incrementum Reipub. faciunt, & omittendi his contraria. Defende eum contra omnes osores & æmulos, qui clàm aut palàm vitæ & dignitati eius insidiantur, vt afferat eius imperium pacem populo, & in omni loco vigeat iustitia: iudicet afflictos populi, & saluos faciat filios pauperum, ne quādo irascaris Domine, & transferas regnum hoc in gentem alteram.

Similiter tibi supplico, ô Rex Regum & Domine Dominantium, pro inclyta coniuge Regis nostri, proque prole regia & omnibus hæredibus eius, vt eos diutissimè superstites & incolumes conserues, illisque benefacias, & fortunes eos in successione dominij, & regiminis, vt felices sint, & beati: fruantur bona va-

letudine, & pace; floreant vera Religione, opibus, auctoritate, omniumque rerum prosperitate, & post hanc vitam miseram & caducā ad te in illud æternum regnum tuum perueniant, vbi tu viuis & regnas Deus, per omnia secula seculorum. Amen.

Pro omni Magistratu tam Ecclesiastico quàm ciuili.

MIsericors Deus, cælestis Pater, in cuius manu est omnis terrena potestas & magistratus, per te constitutus, ad suppliciū malorum, & defensionem bonorum: in cuius potenti dextera sita sunt omnia iura & leges imperiorum; Te supplices corde deuoto oramus, pro Magistratu nostro Ecclesiastico, & seculari, vnà cum ijs, qui sunt vtrique dignitati à consilijs, & qui Rempub. administrant; vt gladium tam spirituale͂, quàm secularem, ipsis per te commissum, in sincera & vera fide & timore Dei rectè gerant, eoque pro tua voluntate & iussu vtantur. Obumbret ipsos virtus & sapientia altissimi. Illuminet & conseruet eos in amore Dei ipsa diuina gratia. Ioannes Fabri.

Da illis, ô Domine, sapientiam & intellectum, concede pacatam gubernationem, vt omnes subditos in veritate fidei, dilectione, & iustitia, quæ tibi cordi est, regant, & dicto audientes cōseruent. Proroga ipsis dies vitę suę, & annos multos largire, vt prospera & laudata ipso-

rum functione nomen tuũ, sanctificetur, & laudetur in omne æuum. Amen.

Pro subditis omnibus Christianis.

Petrus Michael in Sertis suis.

MIsericordissime Redẽptor, & Deus pacis, exaudi preces meas, & per infinitã misericordiam tuã largire omnibus Christianis subditis, vt spontè & libenter in omnibus ijs, quæ tibi non aduersantur, Magistratibus suis morem gerant; eos syncerè ament, & honore prosequantur; de illis vt par est sentiant, ac loquantur, & tribuant, quæ illis debent: vt in bona pace & tranquillitate ab omnibus tibi seruiatur, per quem reges regnant, & legislatores iusta decernunt: quique per Apostolum tuũ dixisti; Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit: qui autem Dei ordinationi resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.

Rom. 13.

Tuere, ô Deus pacis & dilectiõis, subditos omnes ab impœnitentiæ & obdurationis grauissimo peccato, ab Hæresibus & perditionis Sectis, quibus trãsuersum actis sub falso Euangelij & verbi tui prætextu, inobedientia & manifesta rebellio ad cõmunem perniciem inducuntur. Exaudi etiam, ô Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, exaudi, inquam, oppressorum & protritorum gemitus: adauge illis patientiam, & tandem aliquando de manibus inimicorum & oppressorum suorum eos erue, ad laudem magni nominis tui, quod sit benedictum in ęternum. Amen.

Pro parentibus & consanguineis.

DOmine Deus, qui secundum te patrem & matrē honorare, pro eorum incolumi vita & fortunis, vt ęquum est, orare strictè præcepisti: da parentibus nostris, omnibusque domesticis & consanguineis nostris salutem & pacē. Conserua eos in fidei tuę pietate; custodi eos ab omni corporis, animæq; incōmodo: largire gratiam, ne vnquam in vllo te offendant: sed propitium te semper patrem & Deum experiantur. Amen. — Ioannes Ferus.

Pro fidelibus coniugibus.

BEnignissime Deus meus, cuius dulcedinis & misericordiæ non est numerus, concede quæso omnibus Christianis coniugibus, quos coniūgere, & gratia tua sacramentali benedicere ad populi tui propagationē dignatus es, vti vocationem suam tanquam tuam ordinationem agnoscant, ornent, & exequantur: vero amore, fideque se diligant, sicut Christus dilexit Ecclesiam, & ab ea meritò impēsiùs diligetur. Da, vt tanquam sanctorū filij, quos in sanctificationem vocasti, in omni modestia & vitæ sanctimonia vnanimes cohabitent, & cum liberis suis, quos donasti, vel donaturus es, temporali & æterna benedictione tua cumulentur. Amen. — Petrus Michaelis in Sertis.

Pro muliere prægnante.

IVste Domine Deus, qui propter primæ mulieris piaculum communem omnibus fœminis seueram & ineuita- — Ioannes Ferus.

bilem malediĉtionem denũciasti, & impofuisti: nẽpe in peccato originali conciperent, grauidæ multis & magnis cruciatibus subiacerent, & tandem cum vitæ periculo parerent: mitiga quæso pro tua immensa bonitate, proque inexhausta misericordia tua huius legis ediĉtũ: quiescat paululum ira tua, & fœminam hanc N. partum enitentẽ tuæ gratię sinu foue; adiuua eam, vt sine periculo vitæ dolorem superare, prolẽ corpore elegantem, anima nobilem iusto tempore valeat parere; quo pòst oblita angustię gaudio miserationis tuæ gratiã celebret, teque benedicat in secula seculorũ. Amen.

Pro Christiana iuuentute, vt rectè instituatur.

Ex libello cui titulus Hymni & Collectę

DEus, cuius Vnigenitus post assumptam carnem à matre triduo perditus, in templo inter Iudæorum Scribas inuentus est, suæque absentiæ rationem prudenti responso cum obedientia reddidit: da, vt non solùm ipsi tuo verbo, tuęque doctrinę adhęreamus, verùm etiã liberos nostros, quos de tua munificẽtia habemus, ad nominis tui gloriam, ad timorem, ad disciplinam, ad virtutem, ad obedientiam educemus, vt probitate vitæ, & pietate fidei crescant: tu beneplacitum, nos gaudium sine incommodo habeamus, teque per omnem vitam nostram celebrare valeamus.

Additio generali-

Non pro nostris tantũ liberis te, Domine, deprecor, sed & pro vniuersa Chri-

ſtiana iuuentute. Cuſtodi eam, ne corrupta doctrina & falſis inficiatur opinionibus: da vt in tui & veræ Religionis, qua colendus es, cognitione bene formetur, & proficiat; iugumque tuũ ab adoleſcentia libenter portare addiſcat. Præſerua piam & ſimplicem iuuentutem à cõmercio malo, & ſodalitio turpi, quod inſtar contagij & fermenti ſubigit ac penetrat totam maſſam. A crapula & ebrietate, à vagis libidinibus, ab otio inerti omnium vitiorũ materia, & nutrimento iuueniles animos auerte. ter pro omni iuuentute.

Dona omnibus pueris & ſcholaſticis bonitatem ingenij, capacitatem mentis, firmitatem memoriæ, vt admittant, retineantq; vtilia, & quę animabus ſuis & Rebuſpub. quibus nati ſunt, conducunt: vt exculti neceſſaria ſcientia & induſtria omnes in vtiles Eccleſiæ tuæ ciues euadant, ad gloriam nominis ſancti tui, & ſalutem animarum ſuarum. Amen.

Pro amico.

CÆleſtis Pater, æterne Deus, cùm ipſa me dudum experientia docuerit, in quantis anguſtijs, & in quot periculis hanc vitam trahimus, ex humana & fraterna ſympathia tibi, ô Deus, pro chariſſimo amico meo N. ſupplico, cuius ſalutem anxiè deſidero; vt eum poſthac in tuam ſuſcipias tutelam, eum cuſtodias, & diuinę prouidentiæ oculos in eũ conijcias, haud aliter, quàm pia mater in filium, quem tenerrimè diligit.

Ex manu ſcripto Belgico verſa.

Ne patiare, Domine, vt secundũ carnem ambulet, sed secundum spiritum: nec ab huius mundi contagio inficiatur, sed dulcedinẽ spiritus tui gustet, omniaque secundum hunc iudicet: nullũ maius existimans detrimẽtum, quàm à tua charitate diuelli: nec aliquod lucrũ opimius, quàm adhærere tibi, etiam si ob idipsum tribulatio, angustia, iniuria, infirmitas; imò mors ipsa esset perferenda. Confirma illum, Domine, in sanctis cogitationibus; largire illi fidẽ ardentem, eumque ad opera bona facienda compelle. Perfice dona quę in eo cœpisti; delicta verò & crimina, in quæ prolapsus est, aufer ab eo: vt cor eius acceptum tibi fiat habitaculum.

Tribue illi victui necessaria, ne aliena rapiat, aut concupiscat: ne imposturis quæstum faciat; sed sua potiùs non habenti largiatur. Adesto illi in omni periculo, & esto turris fortitudinis, aduersus inimicos eius, vt inuocatione sua tibi pacificè & tranquillè seruiat. Vbi verò appropinquauerit dies, in qua eum ex hac misera vita euocare decreueris, ne recedas ab eo: sed ex angustijs huius ergastuli educ animam eius in cęlestem illam beatitudinem, vbi tu, mi Pater, viuis & regnas in secula seculorum. Amen.

Pro benefactoribus.

Collector ALtissime Deus, retributor omnium bonorum, cui potestas & misericordia, cui omnis displicet ingratitudo; te

oro, da mihi animum gratum, & beneficiorum acceptorum memorem, ne oblitus meritorum mihi, vel à te, vel ab hominibus exhibitorum, in turpe & abominandum crimen ingratitudinis incurram. Concede, Domine, vt pro facultatum mearum modulo accepta beneficia recompensem, & non verbis tantùm, sed & re ipsa gratus sim.

Quòd si qui sint, quorum in me beneficia maiora sunt, quàm vt queā rependere, pro his oro te, Domine: benefac illis hic, & in resurrectione iustorū. Redde retributionem his, qui me genuerūt, educârunt, instituerunt, & promouerūt: omnibusque alijs, qui bene de me meriti sunt: qui in me contulerunt opera misericordiæ, & officia humanitatis. Hos omnes tibi precibus meis commēdo, oro & obtestor te, vt ipsi, & eorum familiæ benedicantur: omnia quæcunque faciunt prosperentur, ab omnibus aduersis, cùm animæ, tum corporis præseruētur. Si de hoc mundo transierint, non prçualeat illis Aduersarius, sed recipi ad te in vitam æternam mereantur: sin adhuc superstites sint, tuæ misericordiæ fauore, tuaque protectione sic vitam instituant, vt post mortem misericorditer à te bona recipiant æterna. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Pro fratribus in calamitate positis.

VItam hanc singulis penè momētis experimur calamitatibus refertam, Ludouic. Viues.

quæ vnicuique vel ex carne peccati pullulant, vel ex malitia sua, aut aliena. In hoc quoque indulge nobis Pater indulgentissime, ne ad res nostras tristes ex amicorum aduersis accedat tristitia. Exime illos è calamitate, vt & ipsis quietioribus cogitare de te vacet, & nos munere tuo non parua solicitudinis leuemur parte.

Quòd si hoc vel illis non expedit, vel nobis, (nam quid cuique expediat tu nosti solus) at certè da illis vires in animo, firmitatem in corpore, quo res duras & graues faciliùs valeant perferre: ne corpore sint impares, dolori, neu animus succumbat ęgritudini: vnde vel per impatientiam, vel per desperationē aliquid faciant, dicant, cogitent parum tibi gratum, ipsisque pestiferum. Amen.

Pro Captiuis.

Petrus Michael in Sertis suis.

CLemētissime Deus, qui audis gemitus compeditorū, & soluis filios interemptorum, miserere obsecro per captiuitatem amantissimi filij tui omnium Christianorū, qui apud Turcas aut Gentiles, Hęreticos vel Schismaticos captiui tenentur. Refoue eos in vinculis, & acerba afflictione, cælesti tuo solatio, ne aliquando pusillanimes reddantur, & in infidelitatem, impietatemque acerbitate tribulationum deiecti, temporalibus calamitatibus ęternam damnationem adijciant. Adiuua illos Domine eo modo, quo nosti ad eorū conferre salutē.

Misericordissime Saluator mūdi, qui captiuis prædicari facis redemptionem, vinctis libertatem, & præcepisti prædicari & annunciari populo tuo annū placabilem, & diem salutis; largire nobis, vt de perpetuis carceribus & infernalibus vinculis liberati, ea deinceps libertate fruamur, qua liberasti nos; neque patiaris, vt ad seruile peccati & diaboli iugum reuertamur, & tandem æternæ damnationi obnoxij reddamur. Amen.

Pro Viduis & Orphanis.

DOmine Deus, Pater viduarum & orphanorum, auxiliator in tempore opportuno omnium afflictorum & consolationis egentium; Concede omnibus Christianis viduis, vt sperent in te Deum viuum, atque ad te tanquam ad fidelem patrem in aduersis rebus confugiāt, mandata tua obseruent, vacent bonis operibus, à voluptatibus & scādalis abstineant, quò assiduè paternā tuam erga se prouidentiam largiùs experiantur. Idem ibidem.

Largire etiam, vt Orphani fideliū in tuo timore & omni modestia educentur, debitaque cum obedientia educatoribus suis obsecundent; in omni temperantia & pietate crescant, fideli admonitioni, consilio bono, & disciplinæ paternæ obtemperent, quò à vitijs & criminibus, opprobrio & exitio immunes existant, & tandem ad vitam æternam perueniant. Amen.

Pro inimicis & ijs qui nobis mala volunt.

Ludouic. Viues.

MAnsuetissime & clemētissime Pater, qui nihil odisti eorū quæ creasti, qui sustines & suffers hominum delicta, dissimulans ea propter pœnitentiam, etiam atque etiam te precamur supplices, vt inimicis nostris ea largiaris plena manu, quæ scis illis profutura. Inprimis verò sanam atque integrā mentem, qua noscant te, & quærant vera charitate, ac toto pectore: nos autem filios tuos diligant tua causâ, ne illos odium nostri lædat, neque nos quodammodo nocumento illis simus, qui nequam & imbecilles adiumento esse non possumus. Ne perdas illos Pater propter odiū nostri, sed serua propter preces nostras.

Emendationem illorū cupimus, Domine, non vltionem: ne separes illos à nobis supplicio, sed coniunge & coaduna clementia. Et quandoquidem nos omnes vni ciuitati æternæ destinamur ciues, iam hîc per amorem mutuū incipiamus eam ingredi viam, quę rectà nos illuc, sine vllis ambagibus, adducit. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Pro iter agentibus.

Ex libello cui titulus Hymni & Collectę.

DEus, qui ad vitam ducis, & cōfidentes in te paterna protectione custodis, quæsumus Domine, vt præsentibus famulis tuis à nobis egredientibus Angelicum tribuas comitatum, vt tuo auxilio protecti, nulla mala concutiantur formidine, nullo comprimantur aduersitatis rigore, nullis irruentis inimici

mole-

molestentur insidijs: sed spatio necessarij itineris prospero gressu peracto, proprijs locis feliciter restituti, vniuersos reperiant sospites, ac debitas exoluant tuo nomini grates; Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuũ, qui tecum viuit & regnat in secula seculorũ. Amẽ.

Pro peccatoribus.

CLementissime Domine, qui Vnigenitum filium tuum in hunc mundum misisti, vt peccatores saluos faceret, errãtem ouem quæreret, atque mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum. Ecce refrixit charitas, & abundauit iniquitas. Populus tuus sicut aquam bibit iniquitatem, omnes declinauerũt, & inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum. Hinc ira tua exardescit, hinc fames & pestis, hinc gladius deuorat plebem tuam, & calamitates instar diluuij obruunt nos.

Collector. Ioan. 3. Matt. 24. Iob 15. Psal. 13.

At tu Domine, qui non vis mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat, miserere, miserere: parce populo tuo, quẽ pretioso sanguine tuo redemisti. Da quæso illis gratiam tuã, vt illuminata mente tandem perueniant ad agnitionem peccatorum suorum, & conterriti formident iram tuam, & æternas pœnas, vt resipiscant à Diaboli laqueo, capti ab eo ad ipsius voluntatem. Aufer contumaciam & duritiem cordis eorum: da eis cor nouum, & spiritum nouum: aufer

Ezech. 18. Ezech. 11.

cor lapideum, & da carneum, spiritumque tuum pone in visceribus eorum : vt abnegantes omnem impietatem, & secularia desideria, sobriè, piè, & iustè viuant in hoc seculo; expectantes beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi, qui tecum viuit & regnat in secula seculorũ. Amen.

Tit. 2.

Pro Infidelibus, Schismaticis, & Hæreticis.

Petrus Michael in Sertis.

DOmine Iesu Christe, vera mundi lux, illumina quæsumus omnium hominum mentes, qui tenebris obscuratum intellectum habentes, procùl aberrant à via veritatis; vtpote Iudæorum, & prophanarum gentium, quæ neque Patrem, neque te, quem misit, filiũ agnoscunt, sed in cæcitate mentium suarum quotidie blasphemant; tum etiã eorum, qui licet tibi nomen dederint, in omnis generis nihilominus Sectas & errores tanquam dispersæ oues aberrant, & in prædam lupo palàm rapaci cedunt, vel saltem occultè in vno aut altero sacræ Religionis tuę articulo superbum intellectum suum captiuare nolunt in obsequium sanctissimæ fidei tuæ, & obedientiæ Sponsæ tuæ, quæ est Ecclesia Catholica, colũna & firmamentũ veritatis.

Benignissime Pastor, amator & quæsitor omnium errantium ouium, quære obsecro largitione tuæ gratiæ, & per sedulam Ministrorũ Ecclesiæ curam, quod

perijt, reduc quod aberrauit, sana quod infirmum est, alliga quod cōtritum est; aperi cæcorum oculos, & surdorum aures, vt videant & audiant tam ea, ad quæ tendunt exitia, quàm ad quæ eos vocas salutis compendia; solue linguam mutorum, quò te nobiscum vno ore rectè profitentes atque colentes, communem nobiscum, & omnibus Sanctis tuis, salutem consequantur. Amen.

Pro Ethnico ad fidem veniente, vel Hæretico ad Ecclesiam reuertente.

DEus magne, magniq́ue nominis, qui oris tui verbo priores tenebras illuminasti, qui vnigenitum filium tuum in mundum misisti, vt esset propitiatio pro peccatis nostris: qui sedes super Cherubin, quem glorificant Seraphin, cui omne genu flectitur cælestium, terrestrium & inferorum, quem omnis terra Regem seculorum confitetur, qui ouem errantem in Seruatoris nostri Iesu Christi ouile reduxisti, qui conuertis peccatores à via ipsornm: ipsum hunc quoque seruum tuum à tenebris aduersarijs ad lumen æternum conuerte. Reuoca ipsum ab errore Diaboli, ad diuinitatis vnigeniti filij tui Iesu Christi cognitionem. Confirma cor eius in fide & dilectione Christi tui: Partem & hæreditatem ei largire in Ecclesia tua. Aufer ab illo veterem illum errorem, eumq́ue imple ea fide & charitate, quæ est in te. Da ei, vt

Nicetas in thesauro orthodoxiæ.

in cunctis præceptis tuis ambulet, & quę tibi complacita sunt obſeruet. Scribito eum in libro vitæ tuæ, & vnito eũ cum ouili hæreditatis tuæ. Tu enim es Deus noſter, & vnigenitus filius tuus, & Spiritus ſanctiſſimus nunc & ſemper in ſecula. Amen.

Pro vno & pluribus infirmis.

Ioannes Ferus. Eſa. 38.

OMnipotens & miſericors Deus, in cuius manu mors & vita ſunt; qui mortificas & viuificas, qui quondã Ezechiæ petenti ter quinos vitæ annos donaſti, tuã de morte eius reuocans ſententiam; per vnigenitũ filium tuum te oro, atque obteſtor, famulo tuo N. grauiter in infirmitate decumbenti, priſtinæ ſanitati propitiatus reſtitue, vt deinceps in emendata vita tibi per omnia placeat.

Additio generalis.

Sed & memor charitatis Domine, nõ pro hoc tantùm infirmo te deprecor, ſed & pro omnibus ægrotantibus, vbicunque terrarum decumbentibus: ſuccurre illis, & præſertim his, qui in agone mortis ſuæ cum multis & varijs luctantur tentationibus. Da illis gratiam, vt agnoſcant ægritudines non eſſe fortuitas, ſed à te Deo noſtro illis paternè immitti, vt reuoces eos ad pœnitentiam, aut in officio contineas. Conſolare, conſolare illos, Domine, in lucta conſcientiæ, affulgeat eis ſpes viua de tua miſericordia: tolle ab illis languores, aut ſaltem mitiga dolores eorum. Reſtitue eos in priſtinam ſanitatem, & medere languoribus

eorum, pro tua diuina voluntate, ad ſalutem ipſorum.

Quibus autem pro tuo beneplacito expedit, vt moriantur, hos tuo Spiritu ſancto confirma, ne vacillet in ijs fides, ne titubet ſpes, ne refrigeſcat charitas, ne terrore mortis deijciatur humana infirmitas. Abbreuia tormenta eorum, & poſteaquam mors occupauerit oculos corporis, mentis tamen à te non deflectantur: cumque linguæ vſum ademerit, cor tamen inſtanter ad te clamet; In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum: & ſic placidè in te obdormiſcant, triſtitiaque eorum vertatur in gaudium nunquam auferendũ. Amen.

CAPVT XVII, CONTINENS ORATIONES PARTICVLARIVM Perſonarum.

Oratio Paſtoris.



CLementiſſime Domine Ieſu Chriſte, Pontifex æterne, qui me indignum famulum tuum, ignorantem egreſſum & introitum meum, ad functionem muneris Apoſtolici vocare dignatus es, vt oues huius ouilis ſalutari pabulo doctrinæ paſcerem, & Eccleſiæ huic, quam pretioſo tuo ſanguine redemiſti, in his quæ ad te ſunt præeſſem, *Collector.*

horreo,

horreo, & toto corpore contremiſco, quoties conſidero, quis ego ſim, & quid requirat onus, quod infirmis humeris meis incumbit. Qui enim pro vna & ſola mea animula rationem reddere non poſſum, pro toto hoc grege quomodo reddam? Quid ego infelix, quò me vertam, ſi tantum theſaurum, ſi pretioſum depoſitum illud, quod tibi ſanguine proprio pretioſius iudicaſti, contingat me negligentiùs cuſtodire? Si ſtillantem in Cruce ſanguinem tuum collegiſſem, eſſetque repoſitus penes me in vaſe vitreo, quod portare ſæpius oporteret, quid animi habiturus eſſem in tanto diſcrimine? at certè ſeruandum accepi à te Domine, pro quo tu mercator non inſipiens, imò ipſa Patris ſapientia ſanguinem illum dediſti, idque in vaſis fictilibus, & quouis vitro fragilioribus. Impares ſunt ſanè humeri mei tanto ponderi, ſi meas vires reſpiciam: impeditioris & tardioris linguæ ſum, neſcio loqui, puer ſum, & regi, quàm regere, magis idoneus.

Obſecro igitur te Principē Paſtorum, & Archiepiſcopum noſtrū, qui nullum vocare ſoles ad aliquod munus obeundum, cui non etiam largiri conſueuiſti dotes eas, quibus ornatus & inſtructus dignè perficere poteſt, ad quod vocatus eſt: me etiam inutile inſtrumentum tuum reforma, & vocatione mea me dignum præpara. Da ſeruo tuo cor docile, vt voluntatem tuam annunciet populo

tuo: Da illi amplecti eum, qui secũdum doctrinam est sermonem fidelem, vt potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere. Verbum veritatis ne auferas ab ore meo, & da mihi gratiam, vt feruẽti spiritu eloquar illud, ne aures tantùm feriat, sed cor penetret, & fructum optatissimum adferat. Renoua vitam meam, & mores meos in melius commuta: ne dum alijs prædicem, ipse reprobus inueniar. Tit.1. 1 Cor.9.

Tolle à me superbiam, iracundiam, vinolentiam, & turpis lucri cupiditatem. Largire hospitalitatem, benignitatem, sobrietatem, iustitiam, sanctitatem & continentiam; ne vlli hominum impura vita mea scandalum præbeam, aut blasphemandi verbũ tuum occasionem offeram. Concede mihi spiritum, quo subditos meos in visceribus meis diligam, nec aliter tractem, quàm mater vnicum, quem habet, filium tractare soleat: nemo infirmetur, cum quo ego non infirmer: nemo scandalizetur, & ego non vrar. Iuua me Domine, vt quod infirmum est consolidem, quod ægrotum sanem, quod confractum alligem, quod abiectum reducã, quod perierat quęram. Quos concredidisti mihi custodiam, & vnus ex eis non pereat. Sanctifica eos in veritate, ô sanctificator hominum benignissime, atque illos ab omnibus inimicis & aduersitatibus corporis & animæ custodi. Sic mihi obtemperent, sic me Ezech.34.

diligant, vt ſit rationabile obſequiũ eorum, & vias Chriſtiano dignas ambulẽt: vt ego & verbo & exemplis eos præcedendo, & illi me ſequendo pariter curramus ad te verum animarũ noſtrarum paſtorem, qui nos in loco paſcuæ pinguiſſimæ collocabis, vbi viuis & regnas Deus per omnia ſecula ſeculorũ. Amen.

Oratio Confeſſarij.

Nicolaus Gallerius in Euang. explicandorũ ratione.

DOmine Deus omnipotens propitius eſto mihi peccatori, vt dignè poſſim tibi gratias agere, qui me indignũ, propter magnam tuam miſericordiam, miniſtrum feciſti officij ſacerdotalis, & me exiguum, humilemque conſtituiſti ad orandum, & intercedendũ ad Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum, pro peccatoribus, & ad pœnitentiam reuertentibus.

Ideoque Dominator Deus, qui omnes homines vis ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: qui non vis mortem peccatorum, ſed vt conuertantur & viuant, ſuſcipe orationem meam, quam fundo pro famulis & famulabus tuis, qui ad pœnitentiam veniunt, vt des illis ſpiritum cõpunctionis, reſipiſcant à Diaboli laqueis, quibus aſtricti tenentur, vt ad te per dignã ſatisfactionẽ reuertãtur.

Additio.

Sed & mihi Domine indigno famulo tuo adeſto, fidelium tuorum confeſſiones audituro, vt poteſtate ligandi & ſoluendi, mihi à te in conſolationem & inſtructionem Eccleſiæ tuæ tradita, ritè

& ſine animæ meæ detrimento fungi poſſim. da mihi ſpiritum conſilij & intellectûs, ſpiritum ſcientiæ & diſcretionis, vt populum tuū iudicare, inter bonum & malum, inter lepram & non lepram, inter peccatum & non peccatum, rectè queam diſcernere, & tanquam expertus medicus ſingulis infirmitatibus conuenientia adhibere pharmaca. Qui viuis & regnas Deus per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

Oratio in Magiſtratu conſtituti & Iudicis.

OMnipotens æterne Deus, qui omnia verbo tuo feciſti, tua ſapientia conſtituiſti hominem, vt dominaretur creaturæ à te factæ, & diſponat orbem terrarum in æquitate & iuſtitia, & in directione cordis iudicium iudicet: quique ad terrorem malis, & ad pacem bonis inſtituiſti poteſtatem, ordinaſti gladium: Tu fidis miniſtris tuis bene Rempub. adminiſtrantibus ingentes retributiones promiſiſti; pauperum contrà oppreſſoribus, ſuaue auxilium pro officij ratione denegantibus, iram tuam, ſeueritatem, iudiciumque denunciaſti. Ioannes Ferus.

Agnoſce, ô mi Domine, agnoſce & vide quàm timendis periculis pro officij mei cōditione vndique implicitus ſim. Scio enim, Domine, non eſſe mihi dominium, ſed ſeruitutē & officium. Scio non bruta mihi, meæque commiſſa fi-

dei, sed filios selectissimos, illosque tibi charitatis vinculo iunctos, vt pro ipsis temet mortis tradere supplicio non dubitares. Scio Domine, quòd quicunque pueros tuos iniuria affecerit, oculi tui pupillam tangit. Exaudis illos scio in quacunque tribulatione clamantes ad te. Concede mihi, ô Domine, ita præsim officio meo, vt omnis accusandi me apud tuum tribunal illis auferatur occasio. Quis enim ego sum mi Deus, qui tãto satisfaciam officio? Homo cùm sim imperfectus & æger, falli & errare mihi facile, in nullam declinare partiũ propè impossibile mihi est: adhæc populus tuus plurimus est, semper & in omni loco præstò esse quî possum? Ea propter te, ô Domine Deus, supplex precor, da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam, & noli me reprobare à pueris tuis, quoniam homo infirmus exigui temporis ego, & minor ad intellectum iudicij & legum. Sit licet consummatus quis inter filios hominum, si tamen illi sapientia tua abfuerit, nihili æstimabitur.

Zach. 2.

Sap. 9.

Tu ergo, ô Domine, mitte sapiẽtiam illam tuam de cęlis sanctis tuis, & à sede magnitudinis tuæ, vt mecum sit, & mecum laboret: vt intelligam & sciã quid acceptum sit apud te. sic tibi accepta erũt opera mea, sic disponam populum tuum iustè, sic tandem dignus meo habebor officio. Infunde cordi meo timorem tuum, ô Domine, ne quid in gratiam, vel

alicuius faciam odium : ſed vt ſecundum veritatem & iuſtitiam feram ſententiam. Illumina cor meum & intellectum meum tuo verbo, ô Domine, vt placeat mihi quidquid coram te iuſtum, diſpliceat quicquid iniquum. Mentem largire Deus amantem eorum, quæ tibi placent; aſpernantē quæ tu minùs probaueris. Spiritum tuum infunde mihi, ô Domine Deus meus, qui in omni verbo regat me, in omni opere ducat me: vt iuſtè adminiſtrans pueris tuis tibi placeam, & tandem coram tuo tribunali lætus, gaudensque compaream. Amen.

Oratio cuiuſcunque Subditi.

Orationes ſubditi pro Cæſare, Rege, Principe, & Magiſtratu, inuenies Lector capite decimo ſexto. Quibus ſubijciatur ſubſequens additio.

DOmine Deus, ſupplex etiam te oro, vt omnibus Subditis des ſpiritū obſequentē, & cor in omnibus, quæ tibi nō aduerſantur, promptè & alacriter obediendi, Magiſtratū honorandi, iuuandi atque amādi: dandi quod illis competit, ſeque ab omni ſeditione & conſpiratione nefaria ſeparādi. Diligant commune bonum magis quàm propriū, teque tanquam auctorem & conſummatorem ſalutis noſtræ in omnibus inuocēt, vt ſub bono Magiſtratuum regimine in omni pace & tranquillitate, ad gloriam tui ſancti nominis, vitam agamus, & in omni

Petrus Michaelis in Sertis ſuis.

mni pietate & modestia tibi laudes & gratiarum actiones referamus. Amen.

Oratio Consiliarij vel Senatoris.

Idem ibidem.

LArgire mihi, Domine Iesu Christe, Spiritū consilij & fortitudinis, quē super te requieturū Propheta vaticinatus est, cuius etiā inter alia nomina, quę tibi tributa sunt, illud commemoratur, quòd sis Cōsiliarius. Et quis melior te, qui ipsa Dei Patris es increata Sapiētia, quā nihil latere, quæq; nec fallere, nec falli potest? Da mihi, vt, quod Salomō docet, dum ad consultationē vocor, oculi mei recta videāt, & palpebræ meæ præcedant gressus meos: quando tantum differt sapiens à stulto, quantū distat lux à tenebris; & sapiētes oculi in capite ipsius, dum ratione & consilio velut oculis quibusdā vtitur, qui facienda omnia priùs prouideant, quàm in opus prodeant: dum stultus in tenebris ambulat, & ratione sopita velut oculis captus, non iudicio & ratione, sed turbulentis affectibus more pecudum ducitur. At tu Deus meus, illuminatio mea, illumina tenebras meas, vt clarè videam, quid ad tuam gloriam, & Reipublicæ salutem consulam Amen.

Prou. 4.

Eccles 2.

Oratio Coniugis.

Collector

OMnipotens & misericors Pater, author & institutor Matrimonij, quò status hic carni est propinquior, eò plura in illo se offerunt pericula, & occurrunt offendicula. Ideo te supplex oro, per dile-

ctum

ctum filium tuum Ieſum Chriſtum, Dominum noſtrum, ita vt nos in timore & amore tui contineas, ne aut te offendamus, aut tui planè obliuiſcamur. Circuncide, ô Domine, cor & carnem noſtram, ne velut impuri & impij, in deſiderijs & voluptatibus carnis demerſi, quæ ſpiritûs ſunt negligamus: ſed vt, iuxta Apoſtoli tui conſilium, ex conſenſu ad tẽpus abſtineamus, vt vacemus orationi, & iterũ cum timore tui, in idipſum reuertentes, prolem ſanctam & tibi placitam generemus. Si quid hactenus à nobis peccatum ſit, ignoſce precor, ô clementiſſime Pater, & conſerua nos, ne te poſt hac in aliqua re iterum offendamus. 1 Cor. 7.

Spiritus ſancte Deus, qui amorẽ coniugalem plantas & conſeruas in pectoribus noſtris, te rogo, vt ſuffles & exuſcites fomitẽ caſtæ dilectionis inter nos cõiuges, vt qui ſic copulati ſumus, ſola quòd mors poteſt nos ſepararè, diligamus inuicem amore forti & inextinguibili, diſcreto tamen, & qui limites pietatis non excedat: ne amor tui in nobis aut minuatur, aut extinguatur: ſed vt diligentes nos mutuò in te, & per te ſimilitudinem Chriſti & ſponſæ illius Eccleſiæ ſanctæ referamus.

Da mihi Domine Deus prudentiã, vt cum ratione cohabitẽ vxori meæ, ſciens illi imbecillitatẽ animi quaſi congenitã eſſe, quam ob rẽ multę mihi ineptię ſunt

ferendæ, multa mihi tædia deuoranda, si in ea affectuum imbecillitatem videro. Sit vxor mihi adiutorium vtile & iucundum, sine perfidia & dolo, vt in ea confidere possit cor meum, illaque tribuat mihi bonum & non malum: sit solatium animi mei, operetur manibus suis fusum, & paret cibaria familiæ meæ.

Profliga Satanã, huius ordinis tui infensissimum hostẽ, ne serat inter nos discordias & contentiones. Amputa omnium dissidiorũ & suspicionũ occasiones, vt in vera coniunctione animorũ viuamus: & tu, qui Deus pacis es, in medio nostrûm habites. Da vt alacri animo inter nos feramus abundantiam & penuriam, diuitias & paupertatem, dolorem & voluptatem, aduersitatem & prosperitatem, morbum & sanitatem, idque sine murmure. Da vt cuius est præesse, alterã non contemnat; & cuius est subesse, alteri non dominetur.

Largire Domine, vt coniugium nostrũ non sit sterile, sed fœcundũ: & liberos nostros educemus in agnitione & timore nominis tui, ne vel molliori educatione & conniuẽtia, vel illiberali asperitate, aut malo parentum exemplo deteriores reddantur: sed vt moderata tractatione, & bona nostra conuersatione contineãtur in timore ingenuo, augeaturque in eis obsequendi studium & alacritas. Concede nobis, vt simul laborantes,

tes, quæ ad vitam ſuſtentandam neceſſaria ſunt, honeſtè quæramus, quæſita non dilapidemus: ſed inde piè, & cum honeſtate viuamus, vt moderatam, laudabilemq́ue vitam coram te & vniuerſo mundo ducamus. Amen.

Oratio Patrisfamilias.

Ioannes Ferus.

QVum omnibus exęquo proximi ſui rationē habere, res & fortunas prouehere, incommoda verò omnia propellere mandas, quid velis, Pater, intelligo: nempe id magis decere patremfamilias in domeſticos ſuos, tum è diuerſo domeſticos in patremfamilias doces. Agnoſco officium, ſed ad regendos, quos meæ tutelæ commiſiſti, vxorem, liberos, ſeruos, ancillas, cęterosq́ue domeſticos, in me facultatem non inuenio, nec iudicium.

Ad te ergo ſummum Patremfamilias confugio, ad te inquam cæli terræq́ue Rectorem ſupplex gratiam petitum venio. Da pater & rector, vt mihi cōmiſſos domeſticos in tuo timore, in tua diſciplina conſeruem: tum quæ corporibus, animabusque ipſorum cōmoditati, quæ honori ſunt & emolumento ipſis tuear: ſine iracundia & amarulentia vindicem. Illi porrò è contrario officia ſua cum timore & obedientia, non ad oculum ſeruientes, beneuolè in cordis ſimplicitate, tanquam coram te Deo, nō homine pręſtent; quo tādem vtrique laboris merces

reddatur in cælis. Amen.

Oratio Pueri seu Filij.

Collector. OMnipotens æterne Deus, cui omnis obedientia liberorum in parentes placet, omnisque rebellio displicet: qui in lege tua nos parentes honorare præcepisti, mandatum hoc quasi duplici muro muniens, præmio scilicet atque pœna, Exod. 20. dum morigero atque obedienti filio vitæ diuturnitatem promittis; immorigero verò atque rebelli maledictionem & Leuit. 20. mortem denuncias. Nec præceptum hoc tuum supra me est, neque procùl positum, vt possim dicere; Quis opere compleat illud? sed iuxta me est, imò in me, cùm ipsa naturæ lex animæ meæ insculpta, ad hoc ipsum me incitet, atque inuitet.

Te igitur, ô benignissime Pater, ex quo omnis paternitas in cælo & in terra est, oro, aufer à me omnem rebellionem & contentionem: ne cuncta hæc diuini & humani iuris vincula perrumpere, & infringere audeam: sed parentes meos omni officiorum genere persequar, honore atque reuerētia debita illos colam, humili & prompta obedientia illorum præceptis obtemperem, subuentioneque, obsequio, & ministerio meo illis succurram: eorū obiurgationes, austeritatem, inconditos clamores, vel errata æquo animo feram: nec mœrore aut solicitudine illos per totum vitæ meæ curricu-

lum

lum afficiam. Si quando per ætatem defecerint sensu & vigore iudicij rationalis, ne eos ludibrio habeam: senectutem & imbecillitatem eorum debita modestia tolerem. eos denique si egeant aut ægrotent ope & opibus meis alam ac sustineam, ne culpa & auaritia mea his pereat vita, à quibus, & per quos ego vitæ exordium accepi: sed tanquam Dominis in omnibus seruiam his, qui me genuerunt. Eccli 3. Domine remitte mihi peccata mea, quibus parentes meos charissimos vnquam offendi. Auge multitudinem dierum, & conserua illos in omni mentis & corporis sanitate, videant filios suos tanquam nouellas oliuarum, in circuitu mensæ suæ: Psal. 127. educant illos in omni pietate: præsint familiæ suæ sermonibus & exemplis sanctis, vt tandem immaculati ad te perueniant, vbi viuis cum Filio & Spiritu sancto Deus, per omnia secula seculorum. Amen.

Oratio Præceptoris.

Petrus Michaelis in Sertis suis.

OMnipotens æterne Deus, in cuius ditione cuncta sunt posita, largire mihi Spiritum tuum sanctum, sine quo nihil discere aut docere possum; vt Iuuentutem mihi commissam sedulò instituam, & ad bonos mores, pietatemque colendam, non minùs quàm ad literas impigrè, & ad tui nominis gloriam formem, vt in ciues bonos, & Ecclesiæ tuæ vtiles aliquando euadant. Da illis cor

docile & intelligens, vt quæ docturus sum facilè percipiant, & retineant, mihique in omnibus, quæ officium meum postulat, morem gerant: seque duci & formari humili & sequenti animo patiantur: vt eorum senectus qui adolescentiam suam honestis artibus instruxerũt, ætate euadat doctior, & veterum studiorum iucundissimos fructus metat, alijsque communicet.

Oratio Professoris alicuius Facultatis.

D.Thomas Aquinas.

CReator ineffabilis Deus, qui de thesauris sapientiæ tuæ nouem ordines Angelorum informasti, & eos miro ordine super cælum Empyreum collocasti, elegãtissimè partes vniuersi dissposuisti, tu, inquam, qui verus fons luminis & sapientiæ diceris, atque supereminens principium, infundere digneris super intellectûs mei tenebras tuę radium claritatis, duplicem, in qua natus sum, remoueas priuationem, peccatum & ignorantiam. Qui linguas infantium facis disertas, linguam meam erudias, atque in labijs meis gratiam tuæ benedictionis infundas. Da mihi intelligendi acumen, retinendi capacitatem, interpretandi subtilitatem, addiscendi facultatem, loquendi gratiam copiosam: gressus instruas, processum dirigas, & egressum compleas. Qui cum Patre & Spiritu sancto viuis & regnas Deus per omnia secula seculorum. Amen.

Oratio litteris operam dantis.

SApientissime Pater, & omnipotentissime Deus, fons & dator omnis sapientiæ & intelligentiæ, sine quo omnia nostra studia successu carent, qui per Spiritum sanctum tuum ex pastoribus ouium Prophetas populi, & ex piscatoribus Apostolos mundi totius Doctores effecisti, infunde mihi per meritum Christi filij tui eiusdem Spiritûs sancti gratiam, qua intellectus meus liberalibus disciplinis meliùs illustretur, quas in diuinum honorem tuum aliquando, & spiritalem Ecclesiæ tuæ vtilitatem possim conuertere. Da vt bonas litteras & linguas necessarias fideliter addiscam, & tenaci memoria retineam, & in vsum vitæ melioris conferam: vt ad tuæ sanctissimæ pueritiæ exemplum indies proficiam ætate, sapientia, & gratia apud Deum & homines. Largire docilitatem, & ingenij subtilitatem, vt discenda faciliùs comprehendam, & ex ijs sublimiora eliciam: alacritatem quoque in studijs, ne mens assiduo labore fatigetur, & quodam fastidio capta, à litteris abhorreat. Tempus inutiliter ne perdam, nec iuueniles annos studijs aptissimos in otio transigam, ne parentum sumptus in me malè collocati, eorum in me odium pariant, & ego amicorum meorum spem & expectationem turpiter eludam.

Collector.

Amos 1.

Tribue denique mihi Domine cor obediendi præceptoribus meis, vt in ijs colendis nullum pietatis, ſtudij, officij & obſeruantiæ genus prætermittam: ſed præcepta eorum ſuſcipiam, & admonitionibus locum relinquam, vt pietate, doctrina & obedientia ornatus, ad clariorem tui agnitionem, perfectumque tuæ bonitatis amorem, & gloriæ tuæ meritum tandem perueniam. Amen.

Oratio Adoleſcentis ſeu Iuuenis.

Ex manuſcripto Belgico.

CVm nunc in feruore carnis, periculoſiſſimoque ætatis meæ curſu viuam, ô Pater cæleſtis, oro te, miſericordia & paterna tua prouidentia non recedant à me, ſed maiori me ſolicitudine conſeruent: ne fortè præda fiam inimicis meis, qui vt lupi famelici in hoc toti ſunt, vt me in hac iuuenili ætate ſic peccatis onerent, ne vnquam ex ijs poſtea emergam.

Sed, ô pie Pater, diffidens de viribus meis, totum me in tuam protectionem confero, vt me nunc & ſemper cuſtodias, ne in eam peccandi conſuetudinem incidam, vt neceſſe ſit in ſenectute mea (niſi priùs in peccatis præfocatus fuero) iuuentutis meæ crimina deflere, & cum Propheta dicere, Delicta iuuentutis meæ ne memineris Domine: ſed potiùs, vt ab hac hora ſic virtutibus aſſueſcam, vt quotidie magis magiſque in ijs proficiam, trãquilla & pura tibi con-

Pſal. 24.

ſcientia deſeruiens: vt in ſenio cum humili gratiarum actione dicam illud Regis Ezechiæ; Obſecro Domine, memento quæſo quomodo ambulauerim coram te in veritate & in corde perfecto, & quod bonum eſt in oculis tuis fecerim. Eſa.38.

Dilectiſſime Pater, tu verè omnium hominum pater es, tibi cura eſt de omnibus, tibi commendo animam meam inſtar pueri, qui ex ſe nihil poteſt: defende me ab omnibus inimicis meis, qui mihi malè volunt, & mala machinantur, in his, quæ ad corpus vel animam meam pertinent: quique me ſeducere ſtudent, & quæ impia ſunt, docere. Ante omnia commendo tibi hodie caſtitatem corporis mei, vt ea non tantùm immunis ſit ab omni violentia, vel illicito conſenſu, ſed vt & ego eam nec per impuram cogitationem, nec per obſcœnam locutionem polluam. Theſaurus pretioſior eſt, quàm vt ego eum cuſtodire valeam: obſecro igitur, vt qui amator puritatis es, etiam & meæ ſis conſeruator. Ne iuuenile corpus hoc in omni concupiſcentia, infrę niique deſiderio excreſcat, aut ſenſus mei illicito capiãtur amore, vt te negligam: ſed liberi maneant ab omni amore externo, donec me ad caſtum matrimonium, aut alium ſtatum vocaueris.

Tribue Domine, vt parentibns, & ijs quorum tutelæ traditus ſum, nunc in

omni obedientia & humilitate seruiam, & da mihi gratiam, vt si me ad coniugij vinculum voceris, talis mihi persona cedat, qua cum tibi in pace & sanctitate deseruire, & statum istum in honestate & fœcunditate queam possidere. si inquam me huc vocaueris, & hæc voluntas tua sit, cui me, omniaque mea commendo, vt de me, & in me disponas, quod tibi beneplacitum, & mihi salutare sit. Amen.

Oratio Militis in bello iusto.

Collector. IVstissime Deus, qui propter peccata hominum excitas bella, & inducis super populum tuum gladium, vltorem fœderis tui: ecce hostes & tui & Principis nostri irruunt super nos, terram nostram crudeliter vastant, populantur agros, incendunt pagos, euertunt oppida, parentes, coniuges, liberosque nostros dulcissimos occidunt, vel in contumeliosam seruitutem abstrahunt; profanant & diripiunt templa, monasteriaque tua: ab ipsis aris & adytis sacras virgines ad incesta stupra abripiunt, & respersa sunt sanguine innocentium hominum & sacerdotum tuorum diuina Christi tui mysteria. Nec cupiditati & crudelitati suæ modum ponent, priusquam nos sedibus nostris omnino propulerint, aut sanguinem nostrum prorsus exorbuerint, nomenque nostrum deleuerint.

Non illi à nobis, ſed nos ab illis primùm laceſſiti, atque ad bellum ſumus prouocati. Et nunc Domine armis accincti, & ad iuſtiſſimum hoc bellum à famulo tuo, Principe noſtro euocati, en adſumus. Tu ſcis Domine, quòd nec amore prædæ, nec dominandi cupiditate, nec propriam iniuriam vindicandi libidine, nec denique alia re quapiam iniuſta prouocatus in hanc militiam veni : ſed ab ordinaria poteſtate mea vocatus, vt pro lege, pro rege, pro aris & pro focis dimicem, violatores mandatorum tuorum, perturbatoresque noſtræ Reipub. in ordinem redigam, atque ad pacem & tranquillitatem adigam.

Reſpice igitur, ô fortitudo mea, de excelſo ſanctuario tuo, & qui olim pro Iſraelitis, etiam tacentibus, contra Ægyptios pugnaſti, adeſto mihi famulo tuo, brachium meum corrobora ; vt viriliter agam, & victoriam de hoſte hoc immaniſſimo referam. Confundatur ille, & non confundar ego : cadat ille, & non cadam ego, à ſubitanea & improuiſa morte me defende : conſerua me in die belli, ne quando præualeat inimicus meus aduerſus me. Centurionem ad te venientem non repuliſti, fidem eius laudaſti, militiam vt deſereret non imperaſti ; & me precantem te exaudi Domine, dignum me fac vocatione mea, ne gladio iuſtitiæ abutar, &

poteſtas à te ordinata ad deſenſionem bonorum, & vindictam malorum, per me malè audiat, & blaſphemetur. Neminem concutiam, nemini calumniam faciam : prædas & ſpolia ab innocentibus non auferam ; nullius, qui in partem belli non venit, aut propter quem arma hæc ſumpta non ſunt, ager à me demetatur, vinea deſtruatur, pecus abigatur : ſed ſtipendio meo, mihi publicè decreto, contentus ſim, & ducibus meis in omnibus, quæ contra præceptum tuum non ſunt, obtemperem, & morem geram.

Indue me præter externam hanc panopliam etiam loricam iuſtitiæ : da ſcutum fidei in dextera mea ; accinge me gladio ſpiritûs, & galeam ſalutis impone capiti meo, vt poſſim reſiſtere inuiſibilibus hoſtibus meis in die malo, & in omnibus perfectus ſtare. Prudenter agam in omnibus vijs meis ; & tu mecum eſto. Cùm pugnandum eſt, inſere pectori meo fortitudinem, aufer timorem, adauge vires, vt ſim vir fortis, & prælier bella Domini. Extra pugnam tempera ardorem animi mei, ne ſanguinem innoxiũ profundam. Conſerua me ab omni raptu, inceſtu, aut illicitò violentoque concubitu. Viduas aut orphanos non opprimam, pauperibus iniuriam non inferam, ne quando vociferentur ad te, & furor tuus accendatur in me. Sed & hoc ſupplex oro,

ô mansuetissime Domine, aufer à me omnem iurandi, peierandi & blasphemandi te consuetudinem: sanguis tuus, vulnera tua, nomen & Sacramenta tua apud me summa in veneratione sint: vt mundo corde, labijs circuncisis, & manibus ab omni iniustitia & innocenti sanguine liberis, sic in vocatione mea ambulem, vt post hanc militarem vitam, ad illam tandem triumphalem perueniam. Amen.

Oratio Famuli.

BEnignissime Domine Saluator Iesu Christe, qui formam serui accepisti, cùm filius Dei & Dominus esses vniuersorum, vt per obedientiam nostrorum omnium, sine personarum acceptione, salutem operareris in terra, ita vt neque apud te sit distinctio inter omnes tibi famulantes, siue liberi sint, siue serui: Obtestor, vt cùm ad seruiendum alijs vocaueris, largiaris mihi cor humile & obsequens, quò de manu tuæ prouidentiæ hanc conditionem accipiam, facilè illis, quibus seruiendum mihi est, me submittam, meque, vt alijs seruiendo tibi non displiceam, in omnibus comparem: Nunquam contra te aut Superiores meos murmurem, aut conditioni aliorum meliori inuideam: In omnibus quæ obedientiæ, quam tibi debeo, non obstant, morem geram in omni timore & simplicitate cordis, non ad

Petrus Michaelis in Sertis.

Colos. 3.

oculum seruiendo, vt hominibus placeam, sed ex toto corde meo, idque propter mandatum tuum, quo obstrictus tibi teneor.

Da ergo, vt diligenter, fideliter, intelligenterque Superioribus meis seruiens, illorum iram declinem, atque nullum in sancto tuo obsequio detrimentum capiam: tum eam, quam mihi per passionem & mortem tuam comparasti, libertatem spiritualem, contra seruitutem Peccati, Dæmonis, Mortis, & Inferni, sedulò conseruem; vt tandem aliquando ad cælestem hæreditatem mihi in cælis promissam perueniam. Amen.

Colos. 3.

Oratio Ægroti.

Collector.

BEnedictus sis Deus Pater Domini mei, quòd me (qui ob fiduciam, quam in sanitate mea habebam, ad omne malum præceps ruebam, haud aliter, quàm si vires meæ in eodem semper vigore permansissent, nec vllis morbis debilitari potuissent) nunc tam paternè visitas, per corporalem hanc ægritudinem me meæ admonens mortalitatis, & ad pœnitentiam reuocans. Fateor Domine, perire potuissem, imò perijssem, nisi per morbum hunc oculos meos aperuisses, meque præsentis periculi admonuisses.

Cur igitur impatiens ero, licet dolores magni sint, & caro infirma releuari cupiat; cùm certò sciam, hanc virgam

mihi esse perquam necessariam, quæ etsi ego iustissimus essem omniũ mortalium, nunquam tamen mihi esse potest inutilis? Concede mihi Domine fortitudinem & patientiam, ne magnitudine dolorum victus, vnquam aliter credam aut sentiam. Si ægritudo hæc non sit ad mortem, fer mihi opem super lecto doloris mei, vniuersum stratum infirmitatis meæ verte mihi in lætitiam, & pro bona voluntate tua fac mecum vt membris meis sanitas restituatur, vt commodiùs tibi seruiam, & secundum vocationem meam sine querela viuam, ita tamen, ne in posterum mea fretus incolumitate & robore liberiùs te iterum offendam. Nihilominus ô cælestis Pater, tua voluntas in me fiat: tu enim solus nosti, quid mihi expediat: tantùm da gratiam, vt tuæ me voluntati totum submittam.

Quòd si autem animulam hanc ex huius corpusculi domicilio, adeoque ex hoc seculo demigrare placeat, ô cælestis Pater, nolo esse obstreperus. Cur enim in profundo procellosi huius maris, in mille naufragij periculis constitutus, metuam prosperum ventum, qui me in optatissimum portum potest adducere, vbi nullus dolor est ampliùs? Saltem, ô Pater, opus manuum tuarum ne despicias: sed animam meam aduersus omnes tentationes tua gratia corrobora, contraque omnes assultus Satanæ cinge

me

me ſcuto tuæ miſericordiæ, qua olim martyres tuos aduerſus horrendos cruciatus & mortes crudeliſſimas inuictos reddidiſti.

Nihil habeo meritorum aut bonorum operum, quod allegem apud te: malorum heu nimis multum video; ſed per tuam iuſtitiam confido me in numero iuſtorum cenſendum, quia vnigeniti tui filij morte me redemiſti, & ſanguine illius lauiſti.

Propter peccata quidem mea inducias & prorogationem peterem, ſi fortè poſt hac (vt ſpero) meliorem vitam ducerem: ſed quis huius rei me certum & ſecurum faciet, cùm infirmitas & vanitas mea tam magna ſit, niſi tu Deus adiuues me? Sine tuo auxilio nec viuere poſſum, nec mori. Quicquid igitur de me ſtatuas, ne me ope ſaltem tua deſtituas, oro Domine Deus veritatis, qui viuis & regnas cum Filio & Spiritu ſancto, vnus Deus in omni æternitate. Amen.

Oratio Morituri.

August. ex libro 1 de Viſitat. infirmorū.

DEus meus, Deus meus, miſericordia mea, refugium meum deſidero te, & ad te confugio, ad te venire feſtino, ne deſpicias me in tremendo diſcrimine poſitum. Adeſto mihi propitius in his magnis meis neceſſitatibus. Non poſſum me redimere meis operationibus, ſed tu redime me, & miſerere mei.

Diffi-

Diffido de meis meritis, ſed confido de tuis miſerationibus, & plus confido de tuis miſerationibus, quàm diffido de malis meis actibus. Tu es ſpes mea, Deus meus, tibi ſoli peccaui, mea culpa. Qui fui tibi tam charus ad redimendum, non ſim vilis ad perdendum; & nunc ad te venio, qui nulli dees, cupio diſſolui, & tecum eſſe. In manus tuas commendo ſpiritum meum, Domine; Reſpice in me Deus veritatis, & præſta mihi Deus meus, vt in pace dormiam & requieſcam. Qui in Trinitate perfecta viuis & regnas Deus, per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

CAPVT XVIII.

ORATIONES ET INTERCESSIONES PRO Defunctis.

ADMONITIO.

GRAVE & laborioſum eſt differri ſpem, & quod valde cupias, non aſſequi. Proinde Chriſtianorum animis eorum, qui cùm fide obdormierunt, adhuc in Purgatorio detentis aſperrimum eſt, ſpem ſuam prolatari, & arceri ab eo bono, quod ipſi ſupra quàm credi poßit deſiderant. Ideoq; cupiunt & implorant opem omnium, quotquot poſſunt. Adiuuemus — Ex Ludouico Viue.

itaque

itaque nos eos, quando alia re nequimus, certè votis, faustis ominationibus, & pijs orationibus nostris.

ORATIONES ALIQVOT *generales pro omnibus defunctis.* I.

S. Iacobus frater Dñi in sua Liturgia.

MEmento, Domine Deus noster, spirituum & vniuersæ carnis Orthodoxorum, & rectè de fide sentientium, ab Abel iusto, vsque in hodiernũ diem: fac eos requiescere in regione viuentium, in regno tuo, & delicijs Paradisi, in sinu Abrahæ, Isaac & Iacob sanctorum patrum nostrorum, vnde exulat dolor, tristitia, & gemitus, vbi præsidet lumen vultus tui, & perpetuò refulget, per benignitatem vnigeniti filij tui, cum quo benedictus es cum sancto, bono, & viuificatore Spiritu tuo, nunc & semper. Amen.

II.

Ex Liturgia B. Basilij.

MEmento Domine Patrũ, fratrumque nostrorum, qui obierunt in vera fide; Presbyterorum, Diaconorum, Hypodiaconorum, Lectorum, Cœnobitarum, in cęlibatu perpetuò viuẽtium; laicorum & omnium qui decesserunt de hoc ærumnoso mundo: recrea eos in tabernaculo tuo omnis decoris pleno. Traijce eos trans mansiones cruciatu horrendas, atque in tabernaculis lucu-lentissimis ipsos colloca. Erue eos ex te-

nebris & caligine, atque ex tribulatione, doloreque eripe: appareatque ipsis vultus tuus pacificus, neque intres cum ipsis in iudicium, aut acrem quęstionem habeas de acta vita: sed siue verbo, siue opere peccauerunt, vtpote homines carne induti, remitte, & abole errores eorũ. Quia benignus & summè misericors es, tibique congruit laus, & honor, & potestas: simulque vnigenito filio tuo, & sanctissimo tuo Spiritui bono, adorando, vitam largienti, ac tibi in substantia æquali, nunc, & semper, & in secula seculorum. Amen.

III *Alia.*

MEmento, Domine, dormientium Principum, Pontificum, Regum, Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum, Sacerdotum, Diaconorum, & Ministrorum tuorum, & omnium in recta fide quiescentium. Miserere animarum seruorum & ancillarum tuarum, qui manducauerunt carnem tuam, & biberunt sanguinem tuum: colloca animas eorum in sinu Abrahæ, Isaac & Iacob. Ex Missa Æthiopũ.

Etsi enim animæ quorundam illorum in tenebris sedeant, & in loco tormentorum; incredibili tamen tui flagrant desiderio, & multis suspirijs tuam gratiam præstolantur. Memento quàm abundè filius tuus Iesus Christus pro illis satisfecit. noli, Domine, noli *Generalis additio.*

ampli-

ampliùs vllum expoſcere debitum, vbi tam copioſa reperitur ſatisfactio. An paternum illud pectus tuum adhuc de inobedientia, luxuria, gula, ſuperbia, ira, & ſimilibus poterit cum illis expoſtulare, vbi frater noſter Chriſtus, vnigenitus tuus tantam obedientiam, caſtitatem, abſtinentiam, humilitatem, charitatem, & ſimilia exhibuit: non pro ſemetipſo, ſed pro nobis, & pro ijs, qui adhuc in pœnis Purgatorij detinentur? qui etſi dum viuerent ingrati fuerint, per eum tamen omnia à te expectant?

Libera eos, Domine, quorum nunc ora clauſa ſunt, & qui te tam auidè laudare & glorificare deſiderarent; nec diutius in perditione maneant, quos filius tuus triginta tribus annis in deſerto huius mundi, tantis tormentis & cruciatibus quæſiuit, & inuenit. Meretur, ô pie Pater, meretur optimus Paſtor, vt ouibus ſuis bene ſit propter illum, & vt perducas eò, vbi ille tecum viuit & regnat Deus, in ſecula ſeculorum. Amen.

IIII *Alia.*

Ludouic. Viues.

AMiciſſime ac benigniſſime Chriſte, qui ades tibi fidentibus, & illos ab omni eximis periculo, cuius miſerationes & infinita bonitas vniuerſa hominum ſcelera exuperat, quæ omnia, ſi quis in clementiam tuam conijciat, velut igne validiſſimo conſumentur: Animos

mos fratrum nostrorum corpore solutos maculis deterge, quæ illis ex vitæ huius actionibus adhæserunt: Frigus eorum quod illos à te arcet, ac separat, sanctissimo charitatis tuæ igne dispelle: vre, atque incende illos flammis tuis, vt emundati ac perpurgati celerrimè ad te reuolent, tecumque ad sempiternam beatitudinem vniantur. Amen.

V *Alia*.

OMnipotens sempiterne Deus, Deus vitæ & mortis, Iudexque viuorum & mortuorum, qui pro tua bonitate & sapientia constituisti inter fideles tuos omnes communionem, non gratiæ à te duntaxat comparatæ, & vbertim communicatæ, verùm etiam mutuæ intercessionis, auxilij & solatij: Oro te per amarissimam passionem & mortem, descensionem quoque ad inferos, & resurrectionem à mortuis, vt nostras, qui adhuc vitam mortalem ducimus, preces & supplicationes apud thronum gratiæ tuæ admittere digneris, pro animabus parentum, consanguineorum, & amicorum nostrorum, atque omnium Christi fidelium tuorum, vt qui ex illis adhuc carcere Purgatorij, & supplicijs non sempiternis detinentur, consolationem & remissionem peccatorum à tua clementia consequantur, à grauissimis tormentis ere-

Petrus Michael in Sertis suis.

pti, ad cæleſtis regni requiem & gaudium citiùs deducantur. Amen.

Pro vno defuncto.

Ex Belgico manuſcripto.

EX mera fraterna, Chriſtianaq́ue charitate, ô æterne Deus, commendo tibi animam N. quam tu ex hoc ærumnoſo euocaſti ſeculo : te ſuppliciter orans, vt eam non ſecus ſuſcipias, quàm olim ſuſcepiſti animam mendici tui Lazari. Ne memineris, Domine, quòd dum viueret te offendit : nam præterquam quòd iſtius eum pœnituit, etiam in infinita miſericordia tua ſemper ſperauit ; & in nunquam exhauriendo meritorum Filij tui theſauro ſemper eius fiducia fuit collocata, qui ſufficiens eſt non tantùm pro huius miſeri, ſed pro totius mundi peccatis ſatisfacere.

Domine, opus manuum tuarum non ſit in deriſum, & in ſimilitudinem improperij hoſtibus tuis, qui inuident ipſi gloriam, antequam crearetur à te illi præparatam ; quam vt conſequeretur, & locum vnde maligni illi eiecti ſunt poſſideret, toties eum à periculis & animæ & corporis liberaſti. Tu ſcis, Domine, quòd antiqui ſerpentes illi auctores & impulſores fuere, qui fragilem eius carnem peccare fecerunt : ne igitur, Domine, ab impoſtoribus illis hæreditas tua tibi ſubtrahatur, cùm vno verbo deſtruere poteris, quod illi tanto tempore, & tam varijs conſilijs conſtruxerunt ; &

hanc

hanc animam tam puram, ſanctam & nobilem vel vno momento efficere, vt digna ſit vocari & eſſe hæreditas Altiſſimi.

Oſtende illi, ô æterne Deus, extremam pietatem tuam, intima tuæ miſericordiæ viſcera, pectusque paternum tuum, quod toties dum vixit in hoc ſeculo illi exhibuiſti, in conferendis plurimis gratijs, quibus illam exornaueras. Non tam ingrata fuit, quin te omnis virtutis fontem & largitorem agnouerit: non tam cæca, quin à te petierit illuminari: non ita in peccatis ſepulta, quin ſemper voluerit ſe emendare: nō vſque eò poteſtati Dæmonis permiſſa, quin ſemper de paterna tua charitate ſpe plena expectauerit, fore, vt in extrema neceſſitate illi opitulareris, & in gratiam tuam reciperes.

Omnipotentiſſime Deus, id omnino credimus, quòd nullo nomine aut gratiori tibi, aut iucundiori nobis te indigitare poſſumus, quàm ſi te miſericordem Patrem appellemus: oſtende igitur, ô miſericordiſſime Pater, gratiam & miſericordiam tuam, erga hunc puerum tuum, quem creaſti, quem redemiſti, quem tot ſeculis ante orbem conditum in corde tuo geſtaſti: qui tibi tantæ curæ fuit, vt volens redimere, laueris eum in lauacro pretioſiſſimi filij tui ſanguinis, eiusque carne & ſanguine nutriueris: pro quo nihil facere

intermisisti aliud, quàm quod aut tibi impossibile erat, aut illi non necessarium. Quare, ô Domine, te iterum atque iterum obtestor & oro, tribue nobis, vt cùm & ego aliquando viam vniuersæ carnis ingressus fuero, hunc, pro quo deprecor, inueniam inter Sanctos tuos, vt vnanimiter te laudemus & glorificemus, quia tibi debetur laus & gloria in secula seculorum. Amen.

Pro recens defuncto, vel inter sepeliendum corpus dicenda.

Felician⁹ Ninguarda in Manuali Parochorũ.

ADesto Domine supplicationibus nostris, & pias aures tuas ad preces nostras inclinare digneris, vt nos de throno Maiestatis tuæ clementer exaudias, & orationes famulatûs nostri dignanter admittas. Te igitur inuocamus Domine sancte, Pater omnipotens, ęterne Deus, pro anima famuli tui, quam hodierna die de hac luce vocare dignatus es, vt iubeas, Domine, ei præparari Paradisi tui loca virentia, vt non eam exurat flamma ignis crudelis gehennæ. Quia propterea Dominus noster Iesus Christus filius tuus in ligno crucis sub Pontio Pilato pati dignatus est, vt animas quæ per Adæ transgressionem perierant, sua sancta resurrectione ab inferni claustris liberaret. Confundantur gehennæ ianitores, & ministri nequitiæ erubescant. Deducant eam Angelicæ potestates in sinus Patriarcharum Abraham,

ham, Isaac & Iacob patrum nostrorum. Consequatur à tua potentia paratam electis iucunditatem, & à dextris hæreditatem adepta lætetur: vt cùm dies illa tremendæ agnitionis aduenerit, vnà cum Sanctis & Electis tuis, qui tibi placuerunt, in gloria Maiestatis tuæ resurgere mereatur ad indulgentiam, non ad pœnam. Et animam illam quam fontis vnda perfudit, & chrisma salutis inunxit, non sinas Domine flammarum ardoribus cruciari, nec peccatorum vinculis alligari: sed liberam redde Paradiso tuo per indulgentiam pietatis tuæ: quia tuam clementiam dum in hoc seculo constitit non negauit. Per eũdem Christum Dominum nostrum. Amen.

Pro parentibus nostris defunctis.

DEus qui nos patrem & matrem honorare præcepisti, miserere clementer animabus patris ac matris meæ, eorumque peccata dimitte, meque eos in æternæ claritatis gaudijs fac videre. Per Dominum nostrum &c. Ecclesia Romana.

Pro ijs qui dum viuerent in nostra fuere congregatione vel fraternitate.

DEus veniæ largitor & humanæ salutis amator, quæsumus immensam clementiam tuam, vt nostræ congregationis fratres & sorores, qui ex hoc seculo transierunt; beata Maria Ex Missali Coloniensiũ.

ſemper Virgine cum omnibus Sanctis intercedente; ad perpetuæ beatitudinis conſortium peruenire concedas. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Pro animabus iis quæ ſingulares non habent interceſſores.

Ibidem. MIſerere miſericors Deus animabus illis, quæ ſingulares non habent apud te interceſſores, quibus nulla eſt conſolatio in tormentis, neque ſpes vlla, niſi quòd factæ ſunt ad imaginem & ſimilitudinem tuam. Parce & defende plaſma tuum nobile, gloriam nominis tui ne des alteri, opus manuum tuarum reſpice in eis, & libera eas ab omnibus intolerabilibus pœnis & cruciatibus, & perduceas ad ſocietatem ciuium ſupernorum. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum, Qui tecum viuit & regnat Deus per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

FINIS.

INDEX TOTIVS LIBELLI.

CAPVT II, *continens orationes Liturgicas, quæ sub sacrificio Missæ legendæ sunt.* 108.

CAPVT III, *continens orationes pœnitentium, pro impetranda remissione peccatorum.* 146.

CAPVT XVII, *continens orationes particularium Personarum.* 569.

CAPVT XVIII. *Orationes & intercessiones pro Defunctis.* 593.

FINIS.

Ex libris [illegible] Hieronymi Sch-
mensis [illegible] Anno ab
incarnatione Dni. 1618

Adamus Hen[illegible]

Baliswensky

